
BIBL. NAZ
Vitt. Emanuele III
RACCOLTA
VILLAROSA
F
35
NAPOLI



DE' LIBRI DELL' ILLUSTRISSIMO, E
REVERENDISSIMO MONSIGNOR
D. DOMENICO QUERCIA REGIO
ABBATE DI SCURCULA.

Digitized by Google

Digitized by Google

VAILLANT
HISTORIA
PTOLEMÆORUM.

Rau Vill. F. 35
597672

HISTORIA PTOLEMÆORUM ÆGYPTI REGUM,

Ad fidem NUMISMATUM accommodata,

Per J. VAILLANT Bellov. D. M. &
S. Ducis Cenom. *Antiquarium.*



J. Goeree Inventor *G. vander Gouwen sculp*

AMSTELÆDAMI,
Apud G. GALLET, Præfectum Typographiæ
HUGUETANORUM.

M. DCCI.



COSMO III.

ETRURIÆ

MAGNO DUCI,

OPTIMO PRINCIPI,

LITTERARUM PATRONO,

JOANNES VAILLANT.

*Q*Uàm honorificè de me ſemper ſenſeris PRINCEPS SERENISSIME, & quo me hactenus, licèt, immeritum, loco habueris, dum mecum ipſe reputo; non poſſum non ſuaviſſima voluptate affici. Et ſi enim felicitatis ſuæ rationem nemo reddit; mea tamen, quæ ſumma eſt, tum primos ortus, tum continuas progreſſiones remetiri, longè jucundiſſimum eſt. Quippe hereditaria verè eſt Tua illa in me propenſa voluntas, quam à FERDINANDO III. feliciſſimæ memoriæ Patre Tuo, & ab Eminentiſſimo Cardinale LEOPOLDO veluti tranſ-

★ miſſam

miſſam accepiſti. Orta illa eſt à nobiliſſimo Numiſmatum antiquiorum ſtudio, quo Tu quoque laudatiſſimo Deceſſorum Tuorum exemplo mirificè teneris, ſummo non tantùm Reipublicæ, ſed etiam Rei literariæ bono natus.

Etenim locupletiſſimum illud ac toto orbe celebratiſſimum Cimelium, quòd Regias Tuas Ædes exornat, enatum eſt primò diligentia ac ſolertia LAURENTII MEDICEI *ejus qui nomen ſuum tum rebus præclarè fortitérque geſtis innumeris, Tum verò inſigni literarum, literatorúmque amore poſteris commendavit. Crevit deinceps, ac ſi licet dicere adolevit Theſauri illius domeſtici opulentia, cura & impenſis* FRANCISCI *Magni Ducis ordine ſecundi, qui nullis pepercit ſumptibus, ut undique conquiſitas toto orbe pretioſas illas merces colligeret, quibus poſſet ornare nobiliſſimam Laurentinam Bibliothecam, quam intelligebat priſcis illis monumentis fore longè illuſtriorem.*

Ita ſenſim aucta in immenſum Numiſmatum antiquiorum multitudine, dicam audaciùs, penè Te inopem, PRINCEPS SERENISSIME, *copia fecerat, tam difficile erat & ſcire quæ haberes, & ſuis ſingula locis diſpoſita reperire, quampluribus ſcilicet diſtincta abacis, neque uno congeſta loco perveſtigare res erat operæ ſanè intricatioris. Itaque nec ad illa facilis dabatur cuiquam aditus, nec ſi daretur, non poterat tamen non eſſe eorum, quæ quiſque potiſſimùm quæreret, permoleſta diſquiſitio, dicam igitur cum merito grati animi Teſtimonio, unum me fuiſſe ex omnibus, cui conceſſus fuerit ad eruditas illas capſas acceſſus, agente ſcilicet apud* SERENISSIMUM *Fratrem,* EMINENTISSIMO LEOPOLDO *hanc ut mihi gratiam faceret.*

Quam ingentes igitur perſolvere Tibi grates Eruditi omnes debent, PRINCEPS SERENISSIME; *qui juſſeris immenſas illas opes, unum in locum univerſas colligi; ſinguláſque Nummorum quas appellamus ſeries, ſuis quaſque forulis collocari; in quibus & illas ſine perturbatione contemplari rerum illarum ſtudioſi poſſent, & oculos mentémque nobiliſſimo illo ſpectaculo ſine labore paſcere. Quin-*

etiam

etiam ut horum pretium dignitatémque dignoſcere vel minùs periti poſſent : Addidiſti Sapientiſſimo conſilio, peritiſſimum interpretem, tantóque Cimelio dignum Præfectum. Huic ut nihil deeſſet tum à Latinis, tum à Græcis literis ſubſidii, Imperaſti perluſtrare præſtantiſſima totius Italiæ Cimelia, diverſari apud Antiquariæ rei Principes viros, Romæ potiſſimùm diutiùs commorari Tuis ipſius in Ædibus; ut in alma Urbe, tamquam in ipſo eruditionis fonte haurire copioſè poſſet, iſtius præſertim literaturæ abſolutam conſummatámque notitiam. Ac ne quid deſideraretur ab exteris etiam præſidii, Juſſiſti illum venire Pariſios, qua ſola in urbe compendium faceret omnium qui ſunt in orbe peritiſſimorum in Arte Nummaria virorum, eorúmque conſuetudine inſtitueretur.

Nefas ſit præterire hoc loco maximam illam acceſſionem Nummorum quibus interim collectam à Majoribus Gazam feliciter Locupletaſti. Præſtantiſſimum illud Cimelium loquor Proregis Sardiniæ, quod univerſum Tuas in Ædes Tranſportaſti : unde incredibili dictu eſt quantùm Adjunxeris Theſauro Tuo ſplendoris dum Græca præſertim Numiſmata, quæque olim variis in Coloniis cuſa ſunt, Tui juris, uno velut retis jactu univerſa Feciſti.

Patere ergo pro Tua ſingulari humanitate, PRINCEPS SERENISSIME, *ut me hîc toti orbi beatiſſimum prædicem, cui uni Conceſſiſti frui tam opulento patrimonio Tuo, ſcrutari ſingula, ac per otium pertractare cum doctiſſimo hodiéque* EMINENTISSIMO NORISIO, *atque inde per multos dies exſcribere, unde meas tum de Latinis, tum de Græcis Nummis lucubrationes exornarem. Quid dicam, quóve ſermone concelebrem quod mihi fuit uni præ omnibus ſingulare? Admiſſus ſum enimverò ad agendas coram gratias de tanta humanitate in me Tua. Meminiſti,* PRINCEPS SERENISSIME, *factum me tunc Tua facilitate paulò audaciorem, petiiſſe, ut quam olim ego ſpoponderam Regum Ægyptiorum Hiſtoriam, Auguſtiſſimo Tuo nomine inſcriptam, luci demùm committerem, Tanto Patrono ſuperbam. Annuiſti ſcilicet benigniſſimè atque ex eo tempore quaſi jam me in numerum familiarium Tuorum adſcriberes, Præcepiſti ex eorum*

eſſe numero unum, quos tranſmiſſis à Regio Tuo penu pretioſis liquoribus quotannis ſoles cohoneſtare. Pudebat equidem me qui nihil dum tanto beneficio dignum geſſiſſem, diutiùs tantis ſtipendiis extra militiam frui. Verùm non licebat quicquam aggredi per injuriam temporum, quæ ſæviente graviſſimo per totam fermè Europam bello, Muſis infenſiſſima fuere. Silendum illis fuit inter armorum ſtrepitus, & expectanda pacis optatiſſimæ tranquillitas, qua quidem nobis licuit Opus noſtrum inchoatum cum dignitate abſolvere.

Habes igitur nunc tandem PRINCEPS SERENISSIME *tot jam nominibus Tuam Ptolemæorum Regum certam è Nummis Hiſtoriam, quorum ut eſt probatiſſima fides, ita eſt ad emendanda Scriptorum* Σφάλματα *invictiſſimum teſtimonium. Nemo hactenus hanc indagandæ veritatis, in tam obſcuris temporibus, iniit viam. Utinam ſatis ego feliciter & inoffenſo pede emenſus ſim. Sed quid porrò dico feliciter? nihil poteſt eſſe invium Te Duce; nihil tam impeditum, quod non facili negotio expediatur, ſi Tu modò faveas, & probare videaris inceptum. Norunt Eruditi omnes quàm paucis agnitæ ſint eorum Regum res geſtæ, quantíſque vel ſola eorum nomina involuta manſerint tenebris. Prodibunt nihilominus in lucem Tuo patrocinio, tum expreſſi ad verum illorum vultus æneis formis crediti; tum verò eruta diligenter ſingulorum facta longa retrò oblivione ſepulta. Quódque jam pridem felix fauſtúmque fuit Literatis omnibus Majorum Tuorum præſidium, itidem erit & fortunatiſſimum mihi, ut eodem tutus ornatúſque, tot Reges velut è tumulo excitatos novam in vitam proferam; Auguſtiſſimo Tuo nomine futuros immortales.*

Scribebam in Muſeo meo
Pariſienſi, Anno 1699.
Nonis Septembris.

LECTORI.

LECTORI.

QUum ante annos aliquot ederem in lucem Hiſtoriam Regum Syriæ, ad antiquiorum Numiſmatum fidem; pollicitus ſum, ſi gratum & acceptum Eruditis id Opus accidiſſet, me quoque Regum Ægyptiorum Hiſtoriam aliquando eadem fide editurum. Acceſſit primò quod dixi Operi tanta undique omnium comprobatio, ut aut promiſſis meis ſtare jam planè neceſſe ſit, aut datam fidem cum ignominia fallere. Dediſſem bis ſanè, ſi dediſſem citiùs; ſed nec defuiſſet muneri ea gratia, ſi tantam in exequendo opere facilitatem inveniſſem, quantam mihi ipſe imprudens propoſueram.

Credideram etenim ex eodem illo ſæculo, unde tot Seleucidarum Numiſmata erueram, habiturum me quoque unde Lagidarum Hiſtoriam non magno negotio contexerem. Cogitabam præterea mecum ipſe dum utramque Spartam compararem inter ſe, abſolviſſe me feliciter eam partem, quæ eſſet longè impeditiſſima. Quid enim, inquiebam, in Ptolemæorum nummis futurum eſt tam operoſum? Reſtituendos habui viginti duos è Regia Seleucidarum ſtirpe Principes, ſpurios quatuor: Armeniæ præterea Regem à Syris evocatum ad eorum Imperium. Nunc autem pauciores ſunt è Ptolemæorum ſanguine, quum tantùm novem ab antiquis Scriptoribus numerentur, quamvis extremum eúmque Nothum complectantur? Ubi tot Seleuci? tot Antiochi? tot Demetrii? quos tam ingentis operæ fuit diſcernere ab invicem? ubi tot incerta nomina, ſeu potiùs ſcommata maledicentiſſimæ plebis? Quid latebunt ſimile Ptolemæi? quorum quot aiunt nomina, tot erant ad ſingulos ſecernendos præſentiſſima præſidia.

Sed eheu? quantùm mea me ſpes fefellit, crederes præter inſignia illa nomina nihil fermè occurriſſe apud Hiſtoricos, nihil in nummis præter confuſam appellationem ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. Adfuerat mihi ſemper ubi pedem tutò figerem in deſcribenda Regum Syriacorum ſerie; certiſſima illa nota temporis, quam Seleucidarum Epocham dicimus: occurrerat enim ſignata diligenter in ſingulorum penè nummis. Adjuvabat è ſacris Codicibus incorrupta fides libri utriuſque Macchabæorum & Joſephi hiſtoria. At in Ptolemæorum nummis nihil omnino Adjutorii. Sola quandoque annorum Regni nota numeralis: obſcura reliqua, ac propè dicam deſperata. Nec præſentibus ab æreis quos plures videbam nummis præſidium, occurrebat: quippe in paucis aliquot addita nomina quædam ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ, ac ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ, verùm ſine effigie Principis; unum enim ubique Jovis inſculptum caput. Ut viderentur ſua ſuperbi dignitate Ptolemæi, noluiſſe pati ut ſuus vultus alteri metallo, quàm argento vel auro crederetur. Excipio Cleopatram Reginam, Lathyri & Alexandri matrem, & Selenen Lathyri conjugem, cujus utriuſque imago æreis in nummis expreſſa occurrit.

Igitur in aureis argenteiſque Nummis tota ſpes collocanda fuit. Quæ verò illa ſpes in tanta aureorum Numiſmatum penuria? nec majori copia argenteorum ſecundi aut tertii moduli. Quid facerem? data erat fides: repetebatur in dies, nec ſine aliqua moræ impatientia. Confugiendum itaque fuit ad argenteos nummos maximæ formæ, quibus ſolis adjuvari me poſſe intellexeram.

ram. Quàm longo vero tempore opus fuerit ad ejuſmodi Numiſmata conquirenda, qui ſecum reputare voluerit: fatebitur profectò viginti illos totos annos, qui ab edita Seleucidarum Hiſtoria interceſſere hanc ad diem, vix ſufficere potuiſſe; ut eos ſatis magno numero compararem, quot nunc ſunt penes me, qui unus, citra jactantiam dictum ſit, plures poſſideo, quàm ſint in univerſis totius Europæ Cimeliis.

Ex his ergo molis maximæ Nummis tum varios Regum vultus licuit diſtinguere, tum ex appoſitis regni annis ſingulos quoſque ſuis locis diſponere. Sic enim mecum ipſe ſtatui ea Numiſmata in quibus annus viceſimus V. G. notatus eſſet, ad eos pertinere Reges non poſſe, qui decimum aut quintum decimum regni annum non attigiſſent. Deinde quæ res cuique, quæ ſymbola, quæ nomina communi Autorum conſenſu propria fuiſſent, ea certè aliis accommodanda non eſſe, ſed tantùm ſingulis quod ſuum eſſet. Ita abſolvi tandem opus difficillimum & intricatiſſimum. An verò ſatis feliciter, ſatiſque ad illuſtrandam antiquiorem Hiſtoriam opportunè, tuum eſto Lector Erudite, ex his quæ dicturus ſum, judicium.

Conveniunt Scriptores penè omnes regnum Ptolemæorum inchoare ab Olympiade 114. Alexandro ſcilicet mortuo menſe Dœſio, qui noſtro Maio reſpondet: ſed regnandi initium Alexandrini tribuendum cenſuerunt menſi ſuo Thot ejuſdem anni, qui incipit duodecima Novembris noſtri die ſi Capello credimus; ſed quot ſinguli Reges annis regnaverint, non parva inter Hiſtoricos controverſia eſt. Neque conſtantior ullius fides de annis Ægypti Monarchiæ. Fatentur tamen univerſi, tum demùm deſiiſſe, quum à Romanis redacta in Provinciam Ægyptus eſt, poſt Achaiam pugnam, Auguſto de expugnata Alexandria, & adacta ad mortem ſpontaneam Regina Cleopatra, triumphante. Scimus tamen Ptolemæum inter Geographos virum primæ notæ, doctiſſimúmque noſtris temporibus Petavium, Ægyptiorum regno annos ipſos 294. tribuiſſe.

Jam ut dicamus de ſingulis, primus inter Ptolemæos qui à Rhodiis ΣΩΤΗΡ dictus eſt, quod nomen ipſius nummi exhibent, regnavit annos ipſos 40. ſic volunt qui filio eju ΦΙΛΑΔΕΛΦΩΙ annos 38. tribuere. Verùm quia conſtat ceſſiſſe Regno patrem in filii gratiam duobus ante mortem annis, quum diceret ſe deinceps apud filium Prætoriani cuſtodis loco eſſe velle: nimirum ſi filio annos Regni 40. dederim, maximè quum in argenteo ejus nummo annum 39. habeam expreſſum.

Ptolemæus vocatus ΕΥΕΡΓΕΤΗΣ 26. ad ſummum annis regnavit integris illis & abſolutis, inchoato etiam viceſimo ſeptimo ad aliquod tempus, ſic enim manifeſtè colligitur ex eo marmore cui thronus ejus impoſitus fuiſſe creditur, quódque extat in urbe Adulenſi ad Erythræum mare. In eo enim exſculpta leguntur, quæ ipſe geſſiſſe ſe memorat, ad thronum anno regni 27. poſitum.

Ptolemæus ΦΙΛΟΠΑΤΩΡ regnaſſe 17. annis creditur. Filius ejus ΕΠΙΦΑΝΗΣ annis 24. incœptis. ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΙ annos 35. tribuunt omnes, ſed non abſoluti ſunt: itaque 34. numerandi ΦΥΣΚΩΝΙ joculariter dicto ejus fratri 29. dantur. Quod autem Lathyrum vulgò appellatum majorem filium ejus ſpectat, Porphyrius qui eo loco viſus eſt omnium exactiſſimè numerare, tribuit primùm quidem annos 10. quibus exactis ſolio pulſus eſt, poſteà fratris locum tenuit Alexander annis 19. mox interempta Cleopatra matre quæ unà cum illis imperaverat, ea cæde concitavit in ſe Alexandrinorum animos, qui ejecto parricida, primogenitum fratrem è Cypro, ubi regnabat, revocatum ſolio reſtituerunt. Tenuit ergo illud deinceps annis 7. & menſibus 6. ejúſque filia Berenice 6. nec ampliùs menſibus imperavit.

Mortuo Lathyro regnaſſe volunt antiquiores Hiſtorici filium ejus nothum,

Ptole-

Ptolemæum ΑΤΑΗΤΗΝ annis circiter 30. Nec enim illi rationem habent 6. menſium, quos Berenice tribuimus. Hanc Alexander II. ejus maritus interemit poſt dies 19. Filius videlicet Ptolemæi Alexandri quem Sylla ab urbe miſerat, ut Berenicen duceret. Obſerva peccare illos, in eo ſaltem, quòd aſſerunt Alexandrum 19. tantùm diebus conjugi ſuæ ſuperſtitem fuiſſe corruptis Appiani verbis, dum quòd ille ait ipſum nono decimo poſt die uxorem è medio ſuſtuliſſe, ipſi dicunt uxore interfecta non niſi 19. diebus regnaſſe. Sanè ex Cicerone nõn uno loco pluribus illum annis regnaſſe, demùmque regni Ægyptiaci heredem P. Romanum inſtituiſſe eruitur.

Debemus equidem utrique Manutio excitatum velut è tumulo Alexandrum, quem diximus Ægypti Regem, quem priſci Scriptores velut oblivione ſepultum prætermiſerant. Venerunt in eorum ſententiam tum Petavius, tum Uſſerius, qui tamen omnes, inter ſe de regni illius tempore diſſenſere. Ego verò variis Tullii locis verbiſque Suetonii perſuaſus huic Alexandro ſex admodum annos & aliquot menſes tribui. Auleti vero 23. integros quo tempore apud Cyprios Ptolemæus frater ejus imperavit Uno enim tempore Reges ambos ab Alexandrinis conſtitutos eſſe Trogus Pompeius aſſerit, alterum impoſitum Ægyptiis, alterum ad Cyprios ablegatum.

Supereſt ut regni Cleopatræ tempus definiam, cui quidem 22. annos tribuunt quotquot ejus initia à morte patris auſpicantur, à quo unà cum fratre Regina paterno teſtamento ſcripta eſt. Verùm quia videtur æquius Reginis Reges anteire; Primùm tres annos cum 8. menſibus & ferè totidem alteri juniori fratri aſſignavi, qui ſeptenarii ſpatium impleant cum aliquot menſibus, ſiquidem Cleopatra ad hujus mortem octavum dinumerabat, & poſt illos annis quindecim incœptis imperavit.

Habes igitur, LECTOR ERUDITE, explicatam hîc breviter de regno Ptolemæorum mentem. Induſi fateor in ea deſcribenda mihi aliquid paulò pluſquam in Seleucidarum rebus geſtis enarrandis. Neque enim quod priùs feceram, alligare me volui referendis ſolis Autorum verbis. Libuit exſpatiari liberiùs, & Hiſtoricum agere. Quare nec in diverſis Scriptorum ſententiis referendis luſi operam, ſed ea amplexus ſum quæ propiùs ad verum viderentur accedere, contentus ad marginem laudare, quorum dictis adhæſiſſem. Neque verò credidi referenda mihi eſſe omnia quæ inter Auguſtum & M. Antonium geſta eſſent: unum illud ſpectavi ne quid omitterem quod Regni Ægyptiaci res propiùs ſpectaret.

Doctus præterea mea ipſius experientia, eamdem mihi tenendam viam ſtatui, quam in Seleucidarum Regum Hiſtoria ſecutus eram ſatis feliciter. Regis cujuſque vultum inſculpendum æreis formis credidi, ut ex ea imagine quam rebus geſtis præfixam viderent, dignoſci primò facilè ſinguli poſſent ex nativis lineamentis: tum etiam in ipſo ſtatim cujuſque ore legeretur, quam quiſque indolem ad Regnum attuliſſet. Mox ubi ſingulorum facta abſolvi, nummos eos omnes adjunxi, qui quidem in manus venere meas. Neque putavi faſtidio cuiquam fore, ſi ubi diverſum quidpiam poſtica in parte occurreret, idem iterum caput repræſentarem: ſic enim altiùs menti impreſſa inhæret eorum imago, quum ſæpiùs repetita oculis uſurpatur.

Potuiſſem facilè univerſa M. Antonii Numiſmata referre, quæ, dum in Ægypto fuit, ubique paſſim cuſa ſunt: iis tamen contentus fui, in quibus ipſius Cleopatræ vultus exſculptus eſſet: quid enim ad Ægyptiacorum Regum Hiſtoriam, quæ Romanorum res geſtas unicè ſpectant? & quidem illa exhibui ſola quæ manibus terere licuit.

Scio certè in poſtica Numiſmatum area quæ affero, nihil eſſe admodum eruditis oculis dignum. Ubique enim fermè Aquilam fulmini inſiſtentem videre eſt. Laus eorum omnis in antica parte videtur, quæ ad vivum Principis vultum

vultum repræſentat; ſed nihil ferè aliud exhibent alii Reges qui nobis ſunt hodie ſuperſtites.

Manet quippe alterum nobis opus, in quo magna cum Reip. Nummariæ utilitate illorum omnium Principum, quorum Numiſmata occurrunt Hiſtoriam breviter complexus ſum. Ideo ſatis me facturum putavi ſi ſingulos ſingulorum vultus ad maximi pluſquam moduli formam expreſſos, uti Ptolemæos exhibui, omnium vitæ compendio repræſentarem. Illos inter tum Syriaci, tum etiam Ægyptiaci Reges locum habebunt iterum ſuum, ſed breviùs

Hoc quidem opus intentatum hactenus; fruſtráque ab omnibus diu expectatum, in lucem edendum ſuſcepere HUGUETANI fratres viri Clariſſimi, & quidem idiomate Gallico, in eorum gratiam, qui Latinis litteris non ſunt imbuti. Non enim aut viris ſolis, aut peregrinarum linguarum ſtudioſis ſcribere animus fuit: ſed etiam Curioſis Antiquæ hiſtoriæ feminis præſtantiſſimis, quibus virilem animum natura melior indulſit, eo enim me feliciorem putabo, quò ad plures laborem meorum fructus uberior pertinebit. Vale benevole LECTOR, & tranquillè fruere.

I N D E X
REGUM ÆGYPTI.

1 PTOLEMÆUS I. *vulgò* ΣΩΤΗΡ.

2 PTOLEMÆUS II. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΣ *dictus*.

3 PTOLEMÆUS III. *vocatus* ΕΥΕΡΓΕΤΗΣ.

4 PTOLEMÆUS IV. ΦΙΛΟΠΑΤΩΡ *dictus*.

5 PTOLEMÆUS V. *appellatus* ΕΠΙΦΑΝΗΣ.

6 PTOLEMÆUS VI. ΦΙΛΟΜΗΤΩΡ *vocatus*.

7 PTOLEMÆUS VII. *dictus* ΕΥΕΡΓΕΤΗΣ. Β.
vulgò PHYSCON.

8 PTOLEMÆUS VIII. *appellatus* ΣΩΤΗΡ. Β.
vulgò LATHYRUS.

9 PTOLEMÆUS IX. *dictus* ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ.
BERENICE PTOLEMÆI SOTERIS FILIA.

10 PTELOMÆUS X. *vocatus* ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ. Β.

11 PTOLEMÆUS XI. *appellatus* ΝΕΟΣ ΔΙΟΝΥΣΟΣ.
vulgò AULETES.

12 PTOLEMÆUS *dictus* ΔΙΟΝΥΣΟΣ.

13 PTOLEMÆUS *vocatus* ΝΕΩΤΕΡΟΣ.

14 CLEOPATRA *Regum Ultima*.

LAGIDARUM
STEMMA

Eleus Menelaus PTOLEMÆUS Soter Apame | Thais Eurydice Berenice
frater frater Lagi F. Ægypti R. I. Artabaſi F. | Attica Antipatri F. Philippi vid.

Lyſandra Alexandri Agathoclis — Ptolemais Demetrii Uxor — Meleager — Ptolemæus Ceraunus — Leontiſcus — Lagus — Irene Solonis

Philotera — Arſinoe Lyſimachi uxor — Argæus à fratre occiſus — PTOLEMÆUS Phila-delphus Æg. Rex II. — Arſinoe Lyſimachi filia — Arſinoe ſoror & uxor 2.

Berenice Antiochi II. — Lyſimachus à nepote occ. — PTOLEMÆUS Evergetes Ægypti R. III. — Berenice Magæ Cyrenes F. uxor

MAGÆ FAMILIA
Philippus Macedo ign. – Berenice Antipatri N.
Theogena Agathoclis — Antigone Pyrrhi — Magas R. Cyrenarum – Apame Ant. Dei F. uxor
Berenice Ptol. Evergetis uxor.

N. N. N. Anonymi — Arſinoe fratris ux. — Magas à fratre occ. — PTOLEMÆUS Philopator Æg. Rex IV. — Arſinoe Soror & uxor.

PTOLEMÆUS Epiphanes Ægyp. Rex V. — Cleopatra Ant. Magni F. uxor.

PTOLEMÆUS Philometor Æg. Rex VI. — Cleopatra ſoror & uxor utriuſq. fratris — PTOLEMÆUS Evergetes II. Æg. Rex VII. — Cleopatra Neptis uxor.

Cleopatra min. Evergetis patrii uxor 2. — Cleopatra maj. Alex. Balæ Demetrii nic. Ant. Evergetia — Memphis Puer occiſus à patruo. — Tryphæna Ant. Grypo — Cleopatra Ptol. fratri Ant. Cyziceno. — Selene Ptol fratri Ant. Grypo Ant. Euſebi. — PTOLEMÆUS Ægypti R. VIII. — Selene — ALEXANDER Ægyp. F. IX.

Nothi filii

PTOLEMÆUS Rex Cypri — Cleopatra Soror & uxor. — PTOLEMÆUS N. Auletes Æg. R. XI. — BERENICE Regina nupſit — ALEXANDER II. R. Æg. X.

PTOLEMÆUS Dionyſus Rex Ægypti XII. — CLEOPATRA Regina utriuſque ſoror & uxor. — PTOLEMÆUS Junior R. Ægypt. XIII. — Arſinoe Necata Mileti.

Alexander ex Antonio — Cleopatra Jubæ uxor — Ptolemæus Philadelphus — Cæſario ex Julio Cæſare.

CANON

CANON CHRONOLOGICUS

REGUM ÆGYPTI.

Anni Olymp.	A. Ch.	Lagid.	R. Æg.	
2	321	1	1	Ægypti Satrapia Ptolemæo aſſignata à Perdicca.
3	320	2	2	Ptolemæus Cyrenaïcam adjungit Ægypto.
4	319	3	3	Alexandri corpus recipitur Alexandriæ.
115	318	4	4	Confirmatur ab Antipatro Ægypti Satrapia Ptolemæo.
	317	5	5	Antipater ſenio confectus moritur.
	316	6	6	Ptolemæus claſſe per Zephyrium Ciliciæ navigat.
	315	7	7	In Ægypto quieſcit.
116	314	8	8	
	313	9	9	Seleucus ex Babylonia ad Ptolemæum confugit.
	312	10	10	Confœderatio ducta contra Antigonum.
	311	11	11	
117	310	12	12	Cyrenæi à Ptolemæo deficiunt. Seleucidarum Imperium.
	309	13	13	Pax inter Fœderatos & Antigonum.
	308	14	14	Bello redintegrato, Ptolemæus Cyprum occupat.
	307	15	15	Berenice Philadelphum in Co Inſula genuit.
118	306	16	16	Ptolemæus ad urbes Græciæ liberandas navigat.
	305	17	17	Alexandri Duces ſe omnes appellant Reges.
	304	18	18	Antigonus cum filio Ægyptum fruſtrà tentat.
	303	19	19	Rhodii bello impetuntur, quos juvat Ptolemæus.
119	302	20	20	Soteriæ cognomen Ptolemæo à Rhodiis datum.
	301	21	21	Sicyon Ptolemæo eripitur à Demetrio.
	300	22	22	Omnes Duces contra Antigonum fœdus ineunt.
	299	23	23	Antigonus commiſſo ad ipſum prælio victus occiditur.
120	298	24	24	Fœderati Reges de Antigoni præda non conveniunt.
	297	25	25	Ptolemæus Demetrio per Seleucum reconciliatur.
	296	26	26	Pyrrhus in Ægypto Antigonen ducit uxorem.
	295	27	27	Caſſander Macedoniæ Rex moritur.
121	294	28	28	Alexander Caſſandri F. Lyſandram Ptolemæi F. ducit uxorem.
	293	29	29	Pyrrhus Ptolemæi nomen filio imponit.
	292	30	30	Ptolemæus Cyprum recuperat.
	291	31	31	Ptolemæus Phaleræus ad Ptolemæum confugit.
122	290	32	32	Lyſimachus à Drochimæſe Getarum Rege captus.
	289	33	33	Lyſandra Alexandri vidua Agathocli nupta.
	288	34	34	Theogena Berenices F. Syracuſanorum Regina in Ægyptum redit.
	287	35	35	Ptolemæus Alexandriam pacatus ornat.
123	286	36	36	Regum in Demetrium Polyorceten conſpiratio.
	285	37	37	Demetrius in Cherſoneſo Syriæ includitur.
	284	38	38	Philadelphus à patre Rex Ægypti renuntiatur.
	283	39	1	Agathocles Lyſimachi F. à patre occiditur in carcere.
114	282	40	2	Ptolemæus Soter moritur.
	281	41	3	Seleucus occiditur à Ptolemæo Cerauno.
	280	42	4	Ceraunus interficitur à Gallis.
	279	43	5	Argæus Philadelphi frater ejus juſſu occiditur.
125	278	44	6	Meleager Philadelphi ex Berenice frater etiam interficitur.
	277	45	7	Antigonus Demetrii F. Macedoniæ Regnum occupat.
	276	46	8	Arſinoe Philadelphi uxor marito inſidias ſtruit.
	275	47	9	Philadelphus ſororem ſibi matrimonio jungit.
126	274	48	10	Arſinoe Adonidis feſta ſummo apparatu celebrat.
	273	49	11	Berenice Philadelphi mater moritur.

ANNI Olymp.	A. Ch.	Lagid.	R. Æg.	
	272	50	12	Philadelphus Legatos Romam miſit.
	271	51	13	Romani Legatos ad Philadelphum viciſſim mittunt.
127	270	52	14	Pyrrhus in urbe Argo à vetula occiſus eſt.
	269	53	15	Ptolemæus filios ſorori dat adoptandos.
	268	54	16	Philadelphus copias Auxiliares Areo Spartæ Regi tranſmiſit.
	267	55	17	Athenienſes contra Antigonum auxilium petunt.
128	266	56	18	Patroclus claſſis Dux mittitur.
	265	57	19	Athenienſes tribum in Philadelphi gratiam appellant Ptolemaïda.
	264	58	20	Magas Cyrenæis perſuaſit ut à Philadelpho deficerent.
	263	59	21	70 Interpretes in linguam traducunt ſacros Codices.
129	262	60	22	Philadelphus Elephantorum venationem fruſtrà prohibet.
	261	61	23	Magas Antiocho ſocero Syriæ Regi ſuadet bellum contra Philadelphum.
	260	62	24	Philadelphus viam aperit ex Arabico ſinu Coptum.
	259	63	25	Antiochus Soter Syriæ Rex moritur.
130	258	64	26	Ptolemæi in conſtruendo magnificentia.
	257	65	27	Magas Berenicen filiam dat Ptolemæi filio.
	256	66	28	Ipſe moritur.
	255	67	29	Apame Magæ conjux ad Antiochum patrem mittitur.
131	254	68	30	Aratus ad Philadelphum venit.
	253	69	31	Ipſum criminantur apud Regem.
	252	70	32	Eleazarus Judæorum Pontifex moritur.
	251	71	33	Philadelphus & Antiochus ſimul bellum gerunt.
132	250	72	34	Etſi bello detentus, libris tamen emendis non vacat.
	249	73	35	Podagra laborat.
	248	74	36	Arſaces & Teridates fratres ab Antiocho deficiunt.
	247	75	37	Philadelphus pacem init cum Antiocho.
133	246	76	38	Berenicen filiam Antiocho collocat.
	245	77	39	Arſinoe ſoror & uxor Ptolemæi moritur.
	244	78	40 1	Philadelphus è vivis excedit, & ſuccedit Epiphanes.
	243	79	2	Ptolemæus Epiphanes regnat.
134	242	80	3	Ad Berenices auxilium in Syriam progreditur.
	241	81	4	Epiphanes ſeditione in Ægyptum revocatur.
	240	82	5	Seleucus contra civitates quæ defecerant, copias comparat.
	239	83	6	Bellum Ptolemæo cognominato Epiphani infert.
135	238	84	7	Epiphanes Bibliothecam Alexandrinam auget.
	237	85	8	Seleucum & Antiochum fratres bellum inter ſe gerentes obſervat.
	236	86	9	Antiochus victus exercitum reſarcit.
	235	87	10	Liberalitas Epiphanis in Rhodios.
136	234	88	11	Seleucus fratre apud Ptolemæum detento contra Arſacem ducit.
	233	89	12	Antiochus è Ptolemæi carceribus aufugit.
	232	90	13	Epiphanes in Arabiam & Æthiopiam Speculatum mittit.
	231	91	14	Nicæa Antiochi Dei F. ad Seleucum fratrem profugit.
137	230	92	15	Induciæ inter Epiphanem & Seleucum prorogantur.
	229	93	16	Seleucus contra rebelles varia utitur fortuna.
	228	94	17	Epiphanes ulteriores verſus meridiem partes aggreditur.
	227	95	18	Æthiopiæ fines ingreditur.
138	226	96	19	
	225	97	20	Seleucus Callinus Rex Syriæ moritur.
	224	98	21	
	223	99	22	Diverſas gentes imperio vectigales reddit Epiphanes.
139	222	100	23	In Arabiam exercitum transfert.
	221	101	24	Seleucus Ceraunus è vivis exceſſit.
	220	102	25	Ad Ptolemæum confugit Cleomenes Spartæ Rex.
	219	103	26	Antigonus Macedoniæ Rex circa hæc tempora moritur.
140	218	104	27	Epiphanes è vivis excedit.
	217	105	1	Philopator Epiphani patri ſuccedit.
	216	106	2	Berenice matrem, Magamque fratrem interficit.

Anni Olymp.	A. Ch.	Lagid.	R. Æg.	
	215	107	3	Bellum inter Byzantinos & Rhodios.
141	214	108	4	Andromachus è Ptolemæi carceribus liberatur.
	213	109	5	Antiochus Magnus Seleuciam ex Ægyptiis retrahit.
	212	110	6	Pugna inter Ptolemæum & Antiochum ad Raphiam.
	211	111	7	Ptolemæus Judæos acerbè tractat.
142	210	112	8	Iis ignoſcit, & illos in amicitiam recipit.
	209	113	9	Bellum Ægyptiis infert.
	208	114	10	Romanorum ad Ptolemænm legatio.
	207	115	11	Ætolorum Legati ad Philopatorem.
143	206	116	12	Ptolemæus ad Philippum Legatos mittir.
	205	117	13	Naſcitur filius Philopatori.
	204	118	14	Ptolemæus uxorem è medio tollit.
	203	119	15	Moritur Soſibius Regis Conſiliarius.
144	202	120	16	Agathocles & Agathoclia ſorot regnum diripiunt.
	201	121	17	Philopator è vivis diſceſſit.
	200	122	1	Epiphanes ejus filius illi quadrimulus ſuccedit.
	199	123	2	Agathoclis Tutoris cædes.
145	198	124	3	Antiochus & Philippus inter ſe fœdus ineunt.
	197	125	4	Alexandrini à Romanis tutorem Regi poſtulant.
	196	126	5	Antiochus hinc & Ptolemæus illinc Ptolemæi Provincias ingrediuntur.
	195	127	6	Senatus Legati ad Antiochum pro Attalo veniunt.
146	194	128	7	Antiochus Scopam Ptolemæi Ducem ad Panium profligat.
	193	129	8	In Aſiam vere copias tranſmittir.
	192	130	9	Ptolemæi Anacleteria.
	191	131	10	Mortuum Ptolemæum exiſtimat Antiochus.
147	190	132	11	Bellum inter Antiochum & Romanos.
	189	133	12	Ptolemæi ad Romanos Legati pro auxilio ferendo.
	188	134	13	Secunda ad Romanos legatio Ptolemæi pro eorum victoria.
	187	135	14	Antiochus ſecundo prælio ad Magneſiam ſuperatur à Romanis.
148	186	136	15	Ptolemæi ad Achæos legatio.
	185	137	16	Naſcitur Ptolemæo filius.
	184	138	17	Rex venatione delectatur.
	183	139	18	Regni viis exornandis incumbit.
149	182	140	19	Adulatoribus corruptus ad ſævitiam ſe convertit.
	181	141	20	Ægypti aliquæ civitates rebellant.
	180	142	21	Ptolemæns Nicopolim obſedit.
	179	143	22	Seleucus dimidiam vectigalium Cœleſyriæ pártem colligit.
150	178	144	23	Ptolemæus Seleuco bellum denuntiare meditatur.
	177	145	24 1	Veneno perit Epiphanes, ei ſuccedit filius.
	176	146	2	Ptolemæus, Philometoris nomen aſſumpſit.
	175	147	3	Seleucus Syriæ Rex Antiochum fratrem Romæ obſidem petit.
151	174	148	4	Demetrius Soter paternum Syriæ Regnum recuperavit.
	173	149	5	Cleopatra Philometoris mater obiit.
	172	150	6	Tutores Ptolemæi Cœleſyriam occupare volunt.
	171	151	7	Antiochus eos in Cœleſyria prævenit.
152	170	152	8	Uterque Rex Romam ea de cauſa Legatos mittit.
	169	153	9	Ptolemæi Anacleteria.
	168	154	10	Ptolemæus in Antiochi manus venit.
	167	155	11	Alexandrini Ptolemæum jun. declarant Regem.
153	166	156	12	Pax inter fratres Ptolemæos inita.
	165	157	13	Romam Legati veniunt ex Alexandria.
	164	158	14	Antiochus Ludos apud Daphnem edit.
	163	159	15	In Perſidem proficiſcitur.
154	162	160	16	Moritur Antiochus, & Ptolemæi diſſident inter ſe.
	161	161	17	Bellum videtur inter eos inchoatum.
	160	162	18	Philometor à fratre expulſus, Romam abit.
	159	163	19	Junior Ptolemæus viciſſim ad Senatum confugit.

Anni Olymp.	A. Ch.	Lagid.	R. Æg.	
155	158	164	20	Senatus decretum ſuum ad Juniorem per Legatos mittit.
	157	165	21	Hic de Cypro à Romanis ſibi adjudicata, Inſulam occupare meditatur.
	156	166	22	Inſidiis fratris appetitus iterum Romam venit.
	155	167	23	Cyprum ingreſſus eam occupare tentat.
156	154	168	24	Archias Cypri Præfectus ſe ſuſpendit.
	153	169	25	Philometor, Antiochenſium rebellionem fovet.
	152	170	26	Heraclidem cum Alexandro Romam mitti procurat.
	151	171	27	Ptolemaïdis portas iis Roma reducibus pecunia aperit.
157	150	172	28	Philometor Alexandrum copiis adjuvat.
	149	173	29	Alexandro Cleopatram filiam in matrimonium collocat.
	148	174	30	Naſcitur Alexandro filius ex Cleopatra Ptolemæi filia.
	147	175	31	Alexander in Ganeo & luſtris jacet.
158	146	176	32	Demetrius Junior Alexandro bellum infert.
	145	177	33	Ptolemæus genero opem ferens ab eo inſidiis appetitur.
	144	178	34	Ex vulneribus in prælio contra illum acceptis deceſſit.
	143	179	1	Evergetis nepotis parricidio regnum occupat.
159	142	180	2	Alexandrini ob ſcelera eum Cacergetem appellant.
	141	181	3	Natus eſt Ptolemæo filius Memphites. Tryphon pupillum occidit.
	140	182	4	Ptolemæus Cyrenæos illuſtres interficit.
	139	183	5	Demetrius contra Arſacem in ſuperiores Provincias proficiſcitur.
160	138	184	6	Hierax Ptolemæi Regnum ſuſtinet.
	137	185	7	Ægyptii Ptolemæum deſpiciunt.
	136	186	8	Tryphon ab Antiocho Evergete interficitur.
	135	187	9	Ptolemæus Cleopatram uxorem repudiat.
161	134	188	10	Alexandriam populus deſerit.
	133	189	11	Legati Romanorum in Ægyptum veniunt.
	132	190	12	Ptolemæus novis incolis Alexandriam frequentat.
	131	191	13	Ipſe ſe litteris & omni diſciplina ipſum imbuit.
162	130	192	14	Libros & Codices undique colligit.
	129	193	15	Peregrinis moleſtus eſſe incipit.
	128	194	16	Incenſa regia à populo, in Cyprum clam fugit.
	127	195	17	Alexandrinis bello illato in urbem recipitur.
163	126	196	18	Contra Demetrium Alexandro Zebinæ copias mittit.
	125	197	19	Demetrius in prælio victus, fugiens occiditur.
	124	198	20	Cleopatra Syria Alexandri milites pro filiis ſollicitat.
	123	199	21	Ad Patruum Ptolemæum recurrit.
164	122	200	22	Ptolemæus Tryphænam F. Antiocho uxorem concedit.
	121	201	23	Antiocho nepoti copias auxiliares mittit.
	120	202	24	Cleopatra veneno, quod filio paraverat, moritur.
	119	203	25	Ptolemæus pace parta Commentarios ſcribit.
165	118	204	26	
	117	205	27	Ptolemæus Junior Cleopatram ſororem ducit uxorem.
	116	206	28	In Cyprum Inſulam relegatur.
	115	207	29	Evergetes anno 29. imperii moritur.
166	114	208	1	Ptolemæus Soter II. ejus filius natu major regnat.
	113	209	2	Cleopatra Ptolemæi mater illi Selenen ſororem in uxorem locat.
	112	210	3	Memphi Ptolemæi fiunt Anacleteria.
	111	211	4	Ptolemæus Alexander ejus frater à matre Cypro præficitur.
167	110	212	5	Gryphina Antiochi Epiphanis uxor & Ptolemæi ſoror in ultionem Cleopatræ ſororis ab Antiocho Philopatore occiditur in Syria.
	109	213	6	
	108	214	7	
	107	215	8	Ptolemæus copias militares in auxilium Ant. Philopatoris mittit.
168	106	216	9	Cleopatra contra Ptolemæum eam ob cauſam indignata eſt.
	105	217	10	Ptolemæus ab Alexandrinis expulſus fugit in Cyprum.
	104	218	1	Ptolemæus Alexander Regnum cœpit.
	103	219	2	Ptolemaïdenſes Phœniciæ auxilium à Ptolemæo Sotere petunt.

169 Soter

ANNI

Olymp.	A. Ch.	Lagid.	R. Æg.	
169	102	220	3	Soter cum 30000 militibus Sycaminum appulit.
	101	221	4	Ptolemæus Ptolemaïdem ipſam oppugnat.
	100	222	5	Cleopatra Soterem in Phœnicia proſequitur.
	99	223	6	Ptolemæus occaſione arrepta Ægyptum fruſtrà tentat.
170	98	224	7	Alexander Jannæus in Cœleſyria bellum gerit.
	97	225	8	Gazeos in Phœnicia oppugnat;
	96	226	9	Antiochus Epiphanes ab Heracleone Berrhæo occiſus.
	95	227	10	Ptolemæus Apion moritur & P. Romanum heredem ſcribit.
171	94	228	11	Redingratur bellum in Syria inter Nepotem & Patruum.
	93	229	12	Deinceps inter cognatos.
	92	230	13	
	91	231	14	Selene nubit Antiocho Enſebi Syriæ Regi.
172	90	232	15	Soter iratus ob matrimonium ſororis olim uxoris hoſtem marito ſuſcitat.
	89	233	16	Demetrius copiis Ptolemæi adjutus, cum Philippo fratre init Societatem.
	88	234	17	
	87	235	18	Res in Ægypto turbantur, Cleopatra ab Alexandra filio occiditur.
173	86	236	19 1	Ptolemæus Alexander interficitur, & iterum regnat Soter.
	85	237	2	Lucullus Sullæ Legatus ad Ptolemæum venit auxilium contra Mitridatem petiturus.
	84	238	3	Ptolemæus Societatem Romanorum contra illum repudiat.
	83	239	4	Syri Tigranem Syriæ Regem appellant.
174	82	240	5	Alexander Alexandri F. ex Mithridatis aula ad Sullam confugit.
	81	241	6	Ptolemæus bellum Thebæis infert.
	80	242	7	Antiochus Euſebes cum Selene in Ciliciam ſe recipiunt.
	79	243	8	Ptolemæus moritur & ei ſuccedit Berenice filia.
175	78	244	1	Sulla Regem Alexandrinis dedit Alexandrum Alexandri filium,
	77	245	2	
	76	246	3	Sylla mortuo Alexander in Ægypto ſperni cœpit,
	75	247	4	Iſia feſta Alexandriæ celebrantur.
176	74	248	5	Antiochns Euſebes moritur.
	73	249	6	Alexander ex Ægypti Regno pulſus, Tyri moritur.
	72	250	1	Ptolemæus Soteris F. nothus ab Alexandrinis Rex Ægypti appellatur.
	71	251	2	Antiochi & Selenes filii Romam veniunt Ægypti Regnum petituri.
177	70	252	3	Redeunt Roma in Syriam poſtquam nihil obtinuere.
	69	253	4	Selene in gratiam filiorum Phœnices contra Tigranem commovet.
	68	254	5	Mithridates à Lucullo victus ad Tigranem generum confugit.
	67	255	6	Cleopatra Ptolemæo naſcitur.
178	66	256	7	A Ptolemæo Cypri Rege Ægypti regis fratre Clodius pro piratis lytrum petit.
	65	257	8	
	64	258	9	
	63	259	10	Craſſus & Catullus Cenſores de Ægypti Regno vectigale faciundo.
179	62	260	11	Lex Agraria Regnum Ægypti tacitè comprehendens, facta.
	61	261	12	Mithridatis & Nyſſa deſponſatæ Ptolemæis fratribus veneno periere.
	60	262	13	
	59	263	14	Pompeius Ptolemæi amicus factus.
180	58	264	15	Julio Cæſare & Bibulo Coſſ.
	57	265	16	
	56	266	17	Clodius Tr. plebis, legem tulit ut Cyprus in Provinciam redigeretur.
	55	267	18	Ptolemæus expulſus Regno, Senatum ad reſtitutionem in illud ſollicitat.
181	54	268	19	Sibyllini libri pro Ptolemæi rêdnctione conſuluntur.
	53	269	20	Gabinius Ptolemæum cum armis Alexandriam reducit.
	52	270	21	De Ptolemæi reductione poſtulatus eſt Romæ Gabinius.
	51	271	22	Rabirius ex Alexandriæ carceribus Romam fugit.

Digitized by Google

CANON CHRONOLOGICUS.

Anni				
Olymp.	A. Ch.	Lagid.	R. Æg.	
182	50	272	23	Ptolemæus mortuus eſt, Sulpicio & Marcello Coſſ.
	49	273	1	Ptolemæus ejus filius & Cleopatra Ægypti Reges à P. Romano declarantur.
	48	274	2	Coronatur in urbe Memphi.
	47	275	3	Pompeius ad Ptolemæum confugit poſt pugnam Pharſalicam.
183	46	276	4	Ptolemæus in Nilo perit.
	45	277	1	Cleopatræ datur in matrimonium Ptolemæus Junior.
	44	278	2	Arſinoe Ptolemæorum & Cleopatræ ſoror in Triumphum ducta.
	43	279	3	Cleopatra Romam cum fratre Juniore venit.
184	42	280	4	1 Ptolemæus Junior veneno perit, Cleopatra ſola regnat.
	41	281	9	2 Cleopatra auxilium Caſſio recuſat.
	40	282	10	3 Prælium Philippenſe.
	39	283	11	4 Cleopatra ad Antonium venit Tarſnm.
185	38	284	12	5 Fulvia ad Antonium fugit, & ipſa mortua Octaviam ducit Antonius.
	37	285	13	6 De Parthis Ventidius Antonii Legatus Romæ triumphat.
	36	286	14	7 Antonius cum Octavia ex Athenis Tarentum venit.
	35	287	15	8 Dormitans Cleopatræ amor ruſus eluxit.
186	34	288	16	9 Antonius poſt cladem à Parthis acceptam ad Cleopatram redit.
	33	289	17	10 Octavia ex Athenis Romam reverſa.
	32	290	18	11 Artabazem Armeniæ Regem in triumpho Alexandriæ duxit.
	31	291	19	12 Antonius ad Araxem profectus eſt.
187	30	292	20	13 Bellum contra Cleopatram decretnm Antonius Patris hyemavit.
	29	293	21	14 Pugna Actiaca IV. non. Septembris.
	28	294	22	15 Cæſar cepit Alexandriam menſe ſextili.

CHARISSIMO PATRI

JAM SELEUCIDARUM NUNC LAGIDARUM

HISTORIÆ SCRIPTORI.

Jo. Franc. Vaillant d. m. Scholæ Paris.

ANAGRAMMA.

Joannes Vaillant

ET E NILO LAUS NATA.

Quæ cernis, ſunt hæc antiqua Numiſmata Regum
    Ruderibus dudum contumulata ſuis.
His verò Syriæ nemo jam neſcit Oronti
    Quoſque Seleuciadas reſtituiſſe Patrem.
Immortalis ei e nilo laus nata videtur.
    Ægypto reddit, qui modo Lagiadas.

PTOLEMÆUS

PTOLEMÆVS SOTER, REX ÆGYPTI. I.



Ap. D. Foy Vaillant D. M.
ex num. arg. tetradr.

PTOLEMÆUS Lagi putativus filius credebatur, cùm enim Arſinoe Meleagri filia ex Philippo Macedoniæ Rege gravida eſſet, in uxorem ab eo tradita eſt Lago obſcuro Macedoni: Eordææ in provincia Mygdonica Regiunculæ natus, à matre in æneo clypeo eſt expoſitus; ferunt aquilam accedere ſolitam, quæ ardorem ſolis ab infante prohibuit, imbrem & gregales volucres abegit, coturnicibus laceratis ſanguinem pro lacte inſtillavit; grandior factus & agnitus à Lago, Lagides dictus eſt, & in illius memoriam, ordinem equitum aliquando inſtituit, quem λαγεῖον appellavit.

Sub Philippo tanta fide claruit, ut dubitatum ſit, Regíne an popularibus carior eſſet. Alexander eum poſt Philippi mortem inter corporis cuſtodes aſſumpſit, & in expeditione contra Perſas, inter duces retulit, cúmque Granico, Phrygiæ amne, magno cum periculo & labore ſuperato, Darii exercitum in Adraſtiis campis profligaſſet, & ejus provincias inundaret, Ptolemæus cum pedit. 3000. & equit. 200. Cariæ ab eo præfectus eſt, & Orontobatem Perſam qui urbes hujus provinciæ aliquas adhuc occupabat, prælio cæſis peditum circiter 700, equit. 50. captis verò 1000. ſuperavit: ad exercitum Alexandri poſtea in Ciliciam profectus eſt. Arriani l. 1.

Aſia Minori ferè à Macedonibus ſubacta, Parmenio deturbatis barbaris, Syriæ portas occupat, dum Alexander Iſſum urbem recipit; ubi audito Darii adventu, ſe uno certamine totum Perſarum imperium eruere poſſe credidit: itaque ordinata protinus acie, in hoſtem contendit, fugato Darii exercitu Alexandrum, cum inſtructa phalange ſuper ſtrata hoſtium cadavera inſequentem comitatus eſt, & tandem ultimo inter Darium & Alexandrum in Aſſyria ad Bumelum fluvium ut ipſe auctor eſt, prælio interfuit. Arrian. l. 2.

A Alexan-

Alexander cùm Perſepolim veniſſet, Epinicia celebravit, & magnifica diis ſuis ſacrificia obtulit, amicos ſplendidiſſimo epulo excepit, cui & meretrices interfuerunt quæ comeſſatum venerunt ad amatores ſuos; ex iis Thais fuit Ptolemæi amica, genere Attica.

Dario autem à Beſſo perfidè occiſo, Alexander eum in Bactrianam fugientem inſequutus eſt, deinde in Sogdianam, & cùm Spitamenes & Oxyartes qui Beſſum comitabantur, illum Oxum fluvium tranſiiſſe accepiſſent, Alexandro nuntios miſerunt pollicentes, ſi aliquem ex ducibus cum aliquantis copiis mitteret, ſeſe Beſſum ei endituros, ad quos Rex Ptolemæum ire juſſit cum tribus amicorum equitum cohortibus, & haſtatis equitibus, cum his decem ſtathmorum iter quatriduo emenſus, eò pervenit ubi pridie barbari qui cum Spitamene Beſſum comprehenderent, caſtra habebant: Beſſus ad Alexandrum perductus eſt, & dona omnibus qui eum adduxerant, Alexander diſtribuit, necatus eſt Beſſus in eo loco, quo Darium ipſe occiderat.

Ptolemæus in variis Indiæ ab Alexandro ſubactæ victoriis & occaſionibus, virtutis bellicæ ſuæ ſpecimen præbuit. In regione Naura vel Naulaca faucibus ejus & anguſtiis à barbaris impeditis, viam cum Leonato noctu aperuit. Ad urbem Choi Indiæ fluvio proximam cum eodem Leonato vulneratus eſt. In Aſpiorum regione, barbaris urbe incenſa ad montes fugientibus, eorum ducem proſtravit, armíſque exuit. Pabulatum ab Alexandro miſſus longiùs cum exigua manu ſpeculandi cauſa progreſſus, quùm Alexandro plures in barbarorum caſtris quàm oporteret, ignes videri nunciaſſet, tertiæ exercitus parti ab eo præfectus, barbaros longè latéque profligavit, innumeróſque captivos abduxit. Ab Alexandro Sangalam Cathæorum in India urbem expugnante, paludis cuſtodiæ præfectus, barbaris irrumpentibus donec urbs capta fuerit, ſtrenuè reſiſtit, 500. eorum in fuga cæſis.

In Alexandri ex India reditu Ptolemæus, unus ex triremium ducibus conſtitutus, ab ipſo quùm Hydaſpen fluvium navigaret, poſt ejus diſceſſum morari juſſus, ab exercitu in Aceſinis & Hydaſpis confluentibus expectatus eſt. In Oxydracis periclitanti Alexandro præ cunctis ipſius amicis auxilio fuit. Ad Bracmani urbis obſidionem ferramento lethali veneno tincto graviter feritus eſt, ſed peculiare Ptolemæo quidpiam & inexpectatum tunc accidit (quod divinæ nonnulli providentiæ adſcripſere.) Is omnibus, tum propter virtutem, tum mirificum benè de ſingulis merendi ſtudium, percarus, dignam humanitate egregia ſanationem eſt ſortitus. Species enim Regi per ſomnum oblata fuit, qua Draco quidam, herbam in ore ſuo geſtare, ejúſque naturam docere, locum etiam ubi naſceretur, oſtendere viſus eſt. Excitatus ergo Alexander inveſtigatam herbam contrivit, & Ptolemæi corpori per cataplaſma applicato, & potione ex illa adhibita, ſanitati ægrotum reſtituit.

Diodor. l. 17. p. 617.

Alexander quùm ad fines Neoritidis perveniſſet, tripartitum agmen fecit, uni Ptolemæum præfecit cui maritimam populationibus infeſtam habere juſſit, & ille Oritas pervaſtavit. Calano Gymnoſophiſtæ Indico more è vivis exire cupienti ignem Alexandri juſſu, poſt ſummos honores exhibitos, ſubjecit. Suſis Ptolemæus ab Alexandro illuſtres Perſarum ac Medorum filias amicis, uxores concedente, Apamen Artabazi filiam accepit: omnium nuptiæ eodem tempore & loco ſimul actæ ſunt, ipſo Rege dotes omnibus conferente & per quinque dies continuos inſigni pompa ſunt celebratæ; ſed cùm paulò pòſt Epheſtion inter Alexandri amicos cariſſimus, eſſet mortuus, ad luctus levationem bellum Coſſæis ipſe intulit & Ptolemæo dimidiam exercitus partem commiſit, quibus domitis Rex Babylonem venit, ubi è vivis deceſſit.

Diodor. l. 17. Arrian.

Alexandro die 22. Maii ſine liberis mortuo, ingens de principatu fuit diſſidium; peditum enim agmen Aridæum Philippi filium animi vitiis laborantem inſanabilibus, ad Regnum promovebat, Ptolemæus & alii qui maxima

ma dignitate pollebant cùm equitatu, ad gubernationem univerſam, cum admittere recuſabant, & ipſe, Regnum in plures dividendi autor fuit; re tandem compoſita, Regem crearunt Aridæum, quem Philippum nominarunt, Regni autem Procuratorem fecere Perdiccam: cui Alexander moriens annulum dederat: is autem rerum omnium imperio, & habito cum ducibus conſilio, primarii Satrapiis præfecti ſunt, primáque eorum Ptolemæo Ægyptus obtigit; & quidquid Lybiæ ac Cyrenaicæ Alexander obtinuerat cum omni Arabiæ parte adjacente, móxque Cleomenes, ab Alexandro vectigalibus hujus Satrapiæ præpoſitus, Ptolemæo provinciam tradere, eíque vicariam præſtare operam juſſus eſt. Pauſ. Attic.

Ab hoc tempore nempe Olymp. 114. & U. C. 432. cœpit Lagidarum imperium verſus Autumnum menſe Thoth, ſuperiore licèt Ptolemæus Regis nomen niſi poſt ſeptemdecim Dominationis ſuæ annos cum aliis Alexandri M. Ducibus qui illud uſurparunt, ſed quia Ægypti Satrapiam non mutaverat ut ſuam alii, & uſque ad Cleopatræ obitum, poſt quem Ægyptus, Romana provincia facta eſt ab Auguſto U. C. 724. menſe Auguſto. LAGIDARUM & Ptol. Sot. an. 1.

Ptolemæus in aſſignatam omnium optimam Satrapiam & magnos reditus habentem profectus, Ægyptum citra periculum adeptus eſt, humanum ſe ejus incolis præbuit, & octo millibus talentum potitus, conductis, qui æra mererentur, exercitum comparavit, complures etiam amicè erga illum affecti, propter æquitatem ad ipſum confluebant; ſed quùm certò ſciret futurum ut Perdiccas Ægypti Satrapiam ſibi adimere conaretur, Cleomenem ideo occidit quod Perdiccæ favere eum ſuſpicaretur; Reges finitimos beneficiis obſequiiſque ſibi devinxit, & per legatos cum Antipatro Societatis fœdus iniit Filia ejus Euridice in uxorem accepta cui Antipater Berenicem neptem Philippi cujuſdam Macedonis pro comite dedit: interea Ægyptum præſidiis firmavit. Diodor. l. 18. p. 634. Juſtin. l. 13. c. 6.

Quùm Thimbro interfecto in Creta per dolum Harpalo, qui direptis Alexandri theſauris ex Aſia profugerat, à Cyrenenſium exulibus accerſitus ex Cydonia urbe profectus cum ſex vel ſeptem hominum millibus urbem Cyrenem obſideret, ſeditio inter cives excitata eſt, in qua prævalentibus plebeiis, illi opulentos ejecerunt, qui in Ægyptum partim ad Ptolemæum confugiunt; Ophellam ille cum validis peditum & claſſicorum militum copiis miſit, tum plebis Cyrenaicæ ductores pace cum Thimbrone inita, contra Ophellam bellum gerere inſtituunt, ſed Ophellas Thimbrone debellato, capto, & occiſo redactíſque in poteſtatem oppidanis, urbes cum agris Ptolemæo tradidit; ad hunc ergo modum, Cyrenæi amiſſa libertate Ægypti Regno ſubjuncti fuere. Ptol. Sot. an. 2. Diodor. ut ſuprà.

Interea Perdiccas Ariarathe Rege debellato, & Satrapiam quam Eumeni tradidiſſet, in Piſidiam profectus erat, ille Nicæam Antipatri filiam deſponderat; ſed Regnum affectans, Antigonum de medio tollere ſtatuit, ſed hic ad Antipatrum, qui cum Cratero Ætolis bellum intulerat, fugit, eóſque de omni Perdiccæ molitione edocuit, quo nuntio accepto pacem Ætolis inierunt & legatos ad Ptolemæum Perdiccæ infenſum, ipſiſque amicum & iiſdem inſidiis appetitum, de ſocietate jungenda, mitti placuit. Perdiccas autem congregatis amicis & ducibus utrum in Macedoniam agmen movendum? an prius in Ptolemæum arma expedienda eſſent, deliberandum propoſuit, & cum omnes in hanc ſententiam irent Ptolemæum antè bello domandum. Idem.

Quùm Ariſtander Telmiſſenſis vates, à Diis ſibi revelatum finxiſſet, eam terram quæ Alexandri corpus exciperet feliciſſimam & ab hoſtium incurſionibus in perpetuum futuram liberam, de eo potiundo inter & Ptolemæum, magno ſtudio eſt certatum. A Perdicca ſuis negotium datum erat, ut illud Ægas deportarent; ſed Aridæus qui illud apud ſe Ptol. Sot. an. 3. Ælian. l. 12. c. 64 Pauſan. Att. p. 5.

LAGIDAR. ſervabat, contra Perdiccæ voluntatem cum eo ad Ptolemæum profectus eſt;
ao. 3. à Babylone per Damaſcum in Ægyptum iter fecit, & licèt ſæpè à Polemone
Arrian. ap. Photium. Perdiccæ familiari impeditus, pervicit tamen, re ex animi ſui ſententia geſta.

Diodor. Aridæus qui biennium in Regis funeris apparatu inſumpſerat, è Babylone profectus eſt, corpus Alexandri in Ægyptum deportaturus, Ptolemæus autem eum exercitu ex Ægypto Syriam uſque obviam proceſſit, & acceptum corpus maxima cura proſequutus eſt; illud enim in præſenti ad Hammonem non tranſvehere, ſed in condita ab eo urbe, omnium ferè per totum orbem clariſſima deponere ſecum conſtituerat. Alii corpus acceptum Macedonico ritu Memphi condidiſſe tradunt, & inde paucis poſt annis Alexandriam
Pauſ. Att. Curt. lib. 10. c. ult. tranſtuliſſe, quam tamen tranſlationem à filio ejus Philadelpho factam fuiſſe alii ſignificant.

Pauſ. ibid. Strab. l. 17. p. 794. Ptolemæus Alexandro delubrum tum magnitudine, tum ſtructura, majeſtate & gloria ejus dignum extruxit, in quo corpus in alveo aureo conditum eſt & exſequiarum juſtis & ſacrificiis heroicis, ludiſque magnificentiſſimis ſepultum veneratus, non ab hominibus tantùm, ſed à diis remunerationem præclaram accepit: Homines enim liberalitate ac animi magnitudine Ptolemæi invitati, undique Alexandriam confluebant, magnâque animorum alacritate nomina ſua ad militiam (quùm tamen Regius Ptolemæo exercitus bellum inferret) profitebantur, & licèt magna jam pericula manifeſtè imminerent: ſuo tamen diſcrimine omnes efficiebant promptè ut ſalus integra maneret. Dii verò propter virtutem & æquitatem erga omnes, maximis ereptum periculis conſervarunt.

Arrian. Perdiccas Damaſco profectus, quo ſpecioſiorem cauſam expeditioni prætexeret, Aridæum, & Alexandrum puerum Alexandro M. & Roxane genitum in exercitu habuit, & cum eis Ægyptum verſus, contra Ptolemæum
Juſtin. l. 13. c. 6. dimicaturus, iter inſtituit; interea Ptolemæus ſollerti induſtria magnas opes paraverat, quippe & Ægyptios inſigni moderatione in ſui favorem ſollicitaverat, & Reges finitimos beneficiis obſequiiſque devinxerat, terminos Satrapiæ, acquiſita Cyrenes provincia, ampliaverat, factúſque jam tantus erat, ut non tam timeret hoſtes, quàm timendus ipſe hoſtibus eſſet.

Diodor. Arrian. Quùm Nilo Perdiccas approximaſſet non procul ab urbe Peluſio caſtra poſuit, dúmque foſſam quandam antiquam repurgare inſtituit, Nilus ſupra modum effuſus labefactavit opera, & multi amicorum caſtris ejus deſertis ad Ptolemæum tranſierunt: ad cædes enim propenſus ille erat, & remotis ab imperio ceteris ducibus, hoc unicè agebat, ut ſolus per vim teneret; at contra Ptolemæus erat æquus & ſententiæ dicendæ libertatem ducibus relinquebat integram: adhæc loca Ægypti maximè opportuna validis præſidiis & omni telorum genere, ceteríſque omnibus probè adornatis occupaverat. Hinc factum, ut quod aggrederetur, plerumque ſucceſſum haberet, dum multi benevolentia virum proſequuti, alacriter periculis ſe pro ipſo offerrent. At Perdiccas, ut damna reſarciret, ductores convocabat, alióſque donis, alios promiſſis magnificis, omnes denique colloquiis humanis ſibi conciliatis, adverſus pericula ingruentia animabat: eúmque edixiſſet, ut ad profectionem inde parati forent, cum exercitu ſub veſperam inde movit: nemini indicato loco, quò ducere conſtituiſſet, totámque noctem citato itinere progreſſus juxta Nilum tandem caſtra metatur, non procul à caſtello quodam, cui murus Camelorum erat nomen.

Diodor. ibid. Hinc poſtquam illuxiſſet, copias tranſmittit, præcedentibus elephantis, & inſequentibus ſcutatis, cum ſcaligeris, aliiſque quorum opera ad oppugnationem uſurus erat. Agmen tandem claudebant equitum fortiſſimi, quos Ptolemaicis objicere decreverat, ſi fortè ſe oſtenderent. Jámque in medio itinere erant, quùm equitatus Ptolemæi concitato curſu ad oppiduli defenſionem tendere juſſus eſt. Qui licet caſtellum ingredi maturaſſent, tubarúm-

barúmque clangore ac vociferatu adventum ſuum teſtarentur, Perdiccas tamen non extimuit, ſed audacter muro copias admovit. LAGIDAR. an. 3.

Extemplo igitur clypeati ſcalis admotis conſcendunt, & qui elephantis vehebantur, vallo disjecto propugnacula demoliuntur. Ibi Ptolemæus optimis ſuorum ſtipatus, ut alios etiam duces & amicos ad pericula ſubeunda exſuſcitaret, correpta ſariſſa, & faſtigio propugnaculi inſiſtens, elephantum in fronte conſtitutum excæcat, altiorem namque ſtationem habebat, Indúmque belluæ inſidentem vulnerat. ibid.

Qui verò per ſcalas ſubibant, hos contemptim percuſſos, vulneratóſque cum armis in fluvium devolvit: ad cujus exemplum dum & amici fortiter decertant, proxima etiam bellua, Indo qui eam gubernabat, transfixo, planè redditur inutilis. Oppugnatione igitur ad longum tempus extracta, Perdiccani, vicibus inter ſe permutatis, murum adorti, omni ſtudio id agunt, ut vi caſtellum expugnent. Ptolemæus contrà, præ ſe præclarè rem gerendo, & amicos, ut benevolentiam ſimul erga ſe & virtutem declarent, hortando, certamina heroica committit, in hac ducum contentione acerrima, multi utrimque cadunt: ſitu quidem loci editiore Ptolemæani prævalent, & Perdiccani multitudine ſuperant: ad extremum tota die periculis his inſumta, Perdiccas obſidione ſoluta in caſtra ſua retrocedit. ibid.

Quibus noctu motis itinere tacito, in regionem quandam venit Memphi adverſam, ubi Nilus in duas partes ſciſſus inſulam efficit, quæ & caſtra & exercitum maximum recipere queat. Huc igitur copias traducit, licet difficilem & ærumnoſum militibus tranſitum faceret amnis profunditas: ad mentum enim aqua pertingens inſtabilia reddebat corpora tranſeuntibus: quin & arma viros propediebant. ibid.

Perdiccas ergo animadverſa fluvii difficultate, elephantes ad ſiniſtram ſtatuit, qui exceptum fluminis impetum mitigarent: equites verò ad dextram collocavit, quorum opera tranſverſim à fluvio raptos ſuſciperet, & incolumes in ripam ulteriorem tranſportaret; ſed novi quiddam & inexpectati in hac copiarum trajectione accidit: primis enim citra damnum tranſgreſſis, qui poſt illos tranſitum moliebantur, in magna pericula incidunt: amnis autem, nulla de cauſa manifeſta, altiùs inſurgit, dúmque integra ſubmergit corpora, omnes in ſummam perplexitatem inducit: exundationis cauſa licèt quæreretur, veritatis tamen ratio non occurrebat. Alii foſſam ad ſuperiores ripas olim egeſtam, ruptis aggeribus, aquas Nilo permiſcuiſſe, unde altius fluvii ſit effectum. Alii imbres in terris ſuperioribus exortos magnitudinem Nili auxiſſe perhibebant; ſed neutrum ita ſe habebat: at ut primi vadi tranſitus minus incommodi haberet, inde evenit, quod arena adhuc immota conſiſteret; ſed in reliquo tranſitu, quùm pedibus equorum & elephantum, agminis inſuper pedeſtris calcata dimotáque arena fluminis impetu auferretur, excavato per hoc vado, profundior in medio fluente tranſitus erat. His de cauſis quùm reliquum agmen flumen tranſmittere non poſſet, Perdiccas in magnam difficultatem incidit: quòd nec illi qui trajecerant viribus hoſti pares eſſent, nec hi cis flumen ſuis opem ferre poſſent: quapropter omnes retrò abire juſſit. Dúmque ita univerſum agmen tranſmittere cogitur, qui natare ſciebant, & quibus corpora eſſent validiora, ſummas inter difficultates Nilum tranant, armis majore parte abjectis; ceterorum qui minùs periti erant, pars fluvio abſorbentur, pars ad hoſtes deferuntur, plerique diu huc & illuc jactati in fluvio demerguntur. ibid.

Ubi igitur hunc ad modum ſupra duo millia perierant, inter quos etiam illuſtres quidam duces: alienior à Perdicca facta eſt multitudo: Ptolemæus autem ejectorum ad ipſum corpora comburit, juſtis exſequiarum peractis, oſſa defunctorum neceſſariis & amicis tranſmittit. Quo facto Macedonum Perdiccæ militantium animi longè magis efferati, benevolentiam ſuam ad ibid.

LAGIDAR. an. 3. Ptolemæum inclinant: nox ut ingruit, caſtra lamentationis & luctus plena erant, quòd tot viri tam contemptim, abſque ullo hoſtis ictu, periiſſent: inter quos non pauciores mille à belluis eſſent deglutiti.

Ibid. Multi igitur ducum coeuntes Perdiccam incuſant: totóque peditum phalanx alienata, fremitu miníſque inimicitiam ſuam prodit. Ducum ergo primores ad centum numero deſciſcunt, inter quos nobiliſſimus erat Pitho, qui Græcos poſt defectionem debellarat, nulli amicorum Alexandri virtute & gloria ſecundus. Poſthæc equitum nonnulli conſpiratione facta, ad Perdiccæ tentorium ſe conferunt, & confecto manipulo oppreſſum trucidant. Corn. Nep. Alii Perdiccam apud flumen Nilum à Ptolemæo & Antigono interfectum ſcribunt.

Diodor. & Arrian. Poſtridie congreſſis ad concionem militibus, Ptolemæus ad Reges tranſmiſſo Nilo profectus eſt, doníſque allatis & variis quoque obſequiis tam eos quàm ceteros Macedonum proceres amanter complexus eſt. Et quùm à ſe facta excuſaſſet, quia commeatus defecerat, largam frumenti copiam exercitui ſubminiſtravit, aliíſque neceſſariis caſtra replevit. Quin & ipſorum Perdiccæ amicorum vicem dolere ſe palam oſtendit: nam plurimos in Ægypto amicorum Perdiccæ fideliſſimos & ſororem ejus Atalantam occiſos narrant: quibuſcumque autem Macedonibus periculum aliquod imminere videretur, eoſdem ille omni ſpe ac ratione metu liberare ſtuduit. Quanquam verò gratia, qua apud multitudinem valebat, Regum tutelam vendicare ſibi facillimè potuiſſet, conſilio tamen ſuo effecit, ut quùm deliberationem Macedones de imperio propoſuiſſent, omnes propenſis animis Pithonem & Aridæum, Regum Aridæi & Alexandri pueri curatores cum ſuprema poteſtate crearent, & copiis univerſis, Perdiccæ loco præficerent.

Diodor. Quùm Pitho & Aridæus à Nilo cum Regibus profecti, in Triparadiſum Syriæ perveniſſent; ibi Pithone ob Euridicem Aridæi uxorem Regum tutela ſe abdicante, Macedones Antipatrum cum ſumma poteſtate curatorem elegerunt, qui Satrapiarum facta iterum partitione, Ptolemæo quidem, quam huc uſque tenuerat, aſſignavit. Fieri enim non poterat, ut is aliò transferretur, propterea quòd ſua ipſius virtute Ægyptum velut armis partam obtinuiſſe videretur: aliæ aliis Satrapiæ ſunt diviſæ; ſed Antigonus Regii exercitus Imperator declaratus eſt, ut Eumenem ob Crateri & Neoptolemi cædem, declaratum hoſtem debellaret.

Ptol. Sct. AN 4. Diodor. p. 650. In Ægypto Ptolemæus occiſo Perdicca & confirmatione Satrapiæ ab Antipatro ſibi facta regionem illam tanquam ſubactam poſſidebat, & cum accepiſſet Eumenem ab Antigono devictum ſed eum illius Satrapias ſibi adjunxiſſe, Phœniciam & Syriam maximè ſibi accommodatam futuram animadvertens, unde & Ægyptum poſſet tueri & Cyprum invadere, multùm in hoc Appian. Syr. opere dedit, ut illis potiretur, cum claſſe profectus eſt: & oblato ingenti auri pondere Laomedontem harum provinciarum Satrapam tentavit, quod cùm non ab eo impetrare potuiſſet, Nicanorem cum juſtis copiis in Syriam miſit, & ipſe Phœniciæ urbes adortus eſt, Nicanor prælio commiſſo Laomedontem cepit, ſed ille corruptis cuſtodibus ad Alcetam Perdiccæ fratrem aufugit in Cariam, & dum totam Syriam in poteſtatem redigit, Ptolemæus Phœniciam, deinde Cœleſyriam & Judæam occupat.

Joſeph. lib. 1. contra Apion. Hieroſolyma die Sabbati cepit, ingrediente autem in civitatem Ptolemæo cum exercitu & hominibus eorum qui urbem cuſtodire debebant obſervantibus inſipientiam: patria quidem acerbum ſuſcepit dominum, lex verò convicta eſt malam habere conſuetudinem. Alii Jeroſolymorum mœ-Appian. Syr. nia diruiſſe tradunt: Syria itaque tota & Phœnicia intra breve tempus ſubactis & præſidiis munitis in Ægyptum rediit, multos ex Judæa captivos abduxit circiter 30000. ſelectos qui ætate & robore præſtarent, armis inſtructos in exercitum & ad militiæ uſum ſtipendiis amplioribus recepit, iiſque

que ut maximè fidis præſidia munita commiſit: reliquam verò turbam ſeniorum, & juniorum, ac mulierum etiam, conceſſit militibus in ſervitutem, non tam ſponte & conſilio ſuo, quàm exoratus ab illis, ad uſus & neceſſaria in belli rebus miniſteria.

LAGIDAR. an. 4. Ariſteas in lib. de 70. Interpr.

Antipater ſenio confectus obiit & Polyſperchontem Regum Curatorem deſignavit, Caſſander Antipatri filius Chiliarchi munere non contentus, patri in imperio ſuccedere exiſtimans, de ipſo obtinendo cum amicis colloquium inſtituit, occultè inſuper miſſis ad Ptolemæum cognatum legatis, amicitiam renovat, & ut ſocietatem armorum ſecum jungat, claſſe quàmprimùm ex Phœnicia Helleſpontum expedita rogat & hortatur, ipſe tranſmiſſo Helleſponto in Aſiam ad Antigonum ſe contulit; auxilium ut ſibi ferret rogitans, & Ptolemæum in belli ſocietatem venturum confirmans, illum non invitus ſuſcepit Antigonus.

Ptol. Sot. an. 5. Diodor.

Polyſperchon interea Eumenem ad opem Regibus ferendam invitat contra Ptolemæum, Caſſandrum & Antigonum, Eumenes autem pecuniam Quindi ſervatam Polyſperchontis juſſu accipit & undique milites colligit: quo audito Ptolemæus cum claſſe ad Zephyrium Ciliciæ delatus miſſis quibuſdam ducibus Argyraſpides ſollicitabat ne Eumenem à Macedonibus jam pridem ſupplicio capitis addictum, ſequerentur. Ad Præfectos itidem præſidii in Quindis miſit, obteſtans eos, ne quidquam Eumeni pecuniarum exhiberent, impunitate illis promiſſa. Illi verò nemo morem geſſit, Nicanorem in Helleſpontum navigare contra Clitum Polyſperchontis Talaſſiarchum jubet, & ipſe contra Eumenem qui Phœniciam Regibus vindicare volebat, vela facit.

Idem. Ptol. Sot. an. 6.

Eumenes audita Cliti clade & Ptolemæum formidans, agmen per Cavam Syriam duxit, ut Satrapias, quas ſuperiores vocant, attingeret, & ſi poſſet, obtineret, Ptolemæus verò præſidiis novis in Phœnicia relictis in Ægyptum revertitur.

Ptol. Sot. an. 7.

Dum Caſſander contra Polyſperchontem in Europa, & Antigonus in Aſia majore bellum gerit contra Eumenem, Ptolemæus quietè res ſuas in Ægypto agit.

Ptol. Sot. an. 8.

Antigonus tandem Eumene occiſo & toto ejus exercitu potitus, Pithonem Mediæ Satrapam interfecit, & quaſi jam Aſiæ Dominus rationes à Seleuco Babyloniæ Satrapa petiit. Seleucus Pithonis caſum ob oculos habens, cum quinquaginta equitûm comitatu in Ægyptum ſe conferre ad Ptolemæum cogitavit. Hujus autem benignitas ergáque confugientes ad ipſum benevolentia, & humanitatis ſtudium ubique pervulgatum erat.

Ptol. Sot. an. 9. Dior. l. 19.

Seleucus verò in Ægyptum elapſus omnibus urbanitatis officiis à Ptolemæo excipitur, & peracerbam contra Antigonum minitationem inſtituit, omnes dignitate conſpicuos, & maximè qui Alexandro militaſſent, è Satrapiis expellere decretum ab ipſo confirmans, hujuſmodi autem ſermonibus Ptolemæum ad inſtruendum bellum accendit, & amicorum quoſdam in Europam mittit, qui conſimili orationis genere Caſſandrum & Lyſimachum inimicos Antigono reddant.

Id. ibid.

Antigonus ex veriſimilibus conjecturis propoſitum Seleuci aſſequens, miſſis ad Ptolemæum, Lyſimachum, & Caſſandrum legatis rogat, ut priſtinam amicitiam ſecum tueri ac conſervare velint, & ipſe iter Ciliciam verſus contendit: ubi Mallon erat perventum, in hyberna exercitum diſtribuit.

Id. ibid.

Seleuci tandem opera effectum eſt ut inter ipſum & Ptolemæum, Lyſimachúmque & Caſſandrum, contra Antigonum fœdus iniretur: itaque ab illis ad eum miſſi ſunt legati, qui advenere cùm ille jam in ſuperiorem Syriam moveret. Hi introducti ad conſeſſum poſtulabant ut Cappadocia Lyciáque Caſſandro, Phrygia juxta Helleſpontum Lyſimacho, Syria verò tota

Ptol. Sot. an. 10. Appian. Syr.

Pto-

LAGIDAR. an. 8. Ptolemæo & Babylonia Seleuco traderetur: theſauros autem quos à pugna cum Eumene ſibi vendicaſſet, partiretur: quòd ſi nihil horum faceret, ſe conjunctis viribus bellum ipſi facturos. Cùm verò aſperiùs ille reſpondens, ſe jam in Ptolemæani negotii apparatu eſſe diceret, factum eſt, ut legati re infecta regrederentur.

Id. ibid. Tum Ptolemæus, Lyſimachus & Caſſander ſocietatem armorum contrahere, armiſque & telis, nec non aliis quæ uſui forent incumbere. In Phœniciam movit Antigonus, copias navales contrahere properans, cùm Phœniciæ claſſem Ptolemæus haberet in Ægypto, juxta mare caſtra poſuit, ad Tyrum, quæ Seleucus contemptim prætervectus eſt cum navibus centum regaliter inſtructis ex Ægypto veniens in Ionium mare navigans.

Id. ibid. Alexander Polyſperchontis filius interea ad Antigonum venit, nam cum eo ſocietatem contra Ptolemæum & alios inierant pater & filius, Antigonus advocata militum concione, Græcos omnes à præſidiis Caſſandri immunes ſuo juri reſtituere ſe velle declaravit.

Id. ibid. Ptolemæus, auditis quæ Macedones cum Antigono de libertate Græcis reddenda decreviſſent, ejuſdem ſententiæ decretum etiam ipſe ſcripſit: notum hoc fieri cupiens, ſe non minùs Antigono libertatis Græcorum curam gerere, ſuis etiam partibus adjunxit Caſſandrum, Cariæ Satrapam, virum potentem & qui non paucas ſub imperio urbes tenebat, & licet jam antea Regibus quos in ſocietatem etiam pertraxerat, tria militum millia miſiſſet, tamen nunc adhuc decem alia militum millia cum Mirmidone Athenienſi & Polyclitum cum navibus centum eodem miſit, fratre Menelao omnium Imperatore conſtituto.

Polyclitus è Cypro tranſmittens Corinthum appulit, ubi cum Alexandrum Polyſperchontis filium ab Antigono ad Caſſandrum deſciviſſe didicit, in Pamphyliam vela facit, ubi Theodotum Antigoni Navarchum & Perilaum cum agmine terreſtri claſſem in littore comitantem aggreſſus eſt, Perilaus autem capitur & Theodotus vulneribus confectus, poſt paucos dies obiit, ipſe citra periculum tanto uſus ſucceſſu in Cyprum navigavit, atque inde Peluſium; quem laudatum Ptolemæus donis ingentibus honeſtavit atque victoriæ inſignis auctorem longè ampliùs provexit.

Diodor. Ptol. Sot. an. 11. Antigonus audita ſuorum clade, contra Caſſandrum Cariæ Satrapam arma vertere decrevit, & exercitus ſui ducem nominat Ptolemæum, relictáque Tyri obſidione Demetrio filio, in Ciliciam tendit, ſuperatóque Tauro monte, ad Cœlenas Phrygiæ progreſſus, in hyberna exercitum diſtribuit.

Id. ibid. Caſſander Vere ex Macedonia copias in Cariam miſit, tum ut urbibus Ptolemæo & Seleuco ibi confœderatis opem ferret, tum ut maturè Antigonum diſtraheret ne otium tranſmittendi in Europam haberet; Antigonus ſubitò Cariam per terram & mare adortus eſt, & Caſſander illius Satrapes mole belli gravatus, cum Antigono hac conditione tranſegit ut milites omnes Antigono traderet & Græcis urbibus juris ſui libertatem concederet, ac Satrapiam quam priùs habuerat tanquam donum retineret, ſed poſt dies non multos, cum pactorum illum pœniteret, legatione ad Ptolemæum & Seleucum miſſa, ut quamprimùm ſibi auxilia ferrent, contendit; inde bellum Cariæ redintegratum eſt.

Diodor. Interea Tyrus per annum & tres menſes obſidione fortiter tolerata, ſub conditione Antigono dedita eſt, Ptolemæanis cum rebus ſuis abire permiſſis ad exercitum in Cœleſyria tunc morantem.

Id. ibid. Ptol. Sot. an. 12. Cyrenæi æſtate à Ptolemæo deficiunt, arcem veluti jamjam præſidium ejecturi obſident. Quúmque legati ex Alexandria illuc miſſi, ut ab obſidione deſiſterent, hortarentur; capite illas multant, & obſidionem majore contentione urgent. His graviter commotus Ptolemæus, Agim ducem cum ter-

terreſtri illuc exercitu mittit; claſſem etiam in ſubſidium belli, Epæneto LAGIDAR.
prætore, expedit. Agis itaque bellum adverſus defectores ſtrenuè perſe- an 10.
quens urbem vi ſubigit, autoréſque defectionis in vincula compactos Ale-
xandriam mittit, ceteris verò arma demit. Hinc civitatis rebus prout com-
modum ei videbatur conſtitutis in Ægyptum redit.

Ptolemæus autem, ubi Cyrenes negotium examini ſententia ſucceſſerat, Id. ibid.
in Cyprum adverſus Reges imperium detrectantes ex Ægypto cum exercitu
trajecit, & Pygmalionem cum Antigono per legatos agentem nactus, è me-
dio ſuſtulit. Tum Praxippum Lapithiæ Regem & Ceryniæ Principem de
alienatione ſuſpectum comprehendit. Staſiæcum præterea cepit Mali Re-
gulum, everſáque urbe incolas Paphon tranſtulit. Quibus peractis, Nico-
creontem Cypro ducem impoſuit; urbéſque ac reditus ejectorum Regum
illi attribuit. Ipſe cum exercitu in ſuperiorem Syriam tranſvectus, Poſideum
& Potamos Carum expugnatas diripuit; expeditóque curſu in Ciliciam pro-
vectus Mallum cepit & deprehenſos in urbe ſub haſta vendidit. Finitimam
inſuper regionem devaſtavit, & ditato emolumentis exercitu, in Cyprum
renavigavit: talem verò ſe militibus exhibebat, ut ad pericula quæ immine-
rent, promptitudinem illorum excitaret. Ptolemæus ergo quùm, quem
volebat progreſſum res habuiſſent, tunc quidem in Ægyptum regreſ-
ſus eſt.

Paulò pòſt Ptolemæus à Seleuco propter inimicitias cum Antigono inſti- Id. ibid.
gatus, in Cavam Syriam movere & cum Demetrio ejus filio confligere de-
crevit. Quamobrem copiis undique contractis ab Alexandria ad Peluſium
venit 18000. habens in peditatu 4000. in equitatu, quorum alii Macedones,
alii conductitii erant. Ægyptiorum multitudo partim tela ceteráque impe-
dimenta geſtabat, partim armis ad pugnæ uſum inſtructa erat. A Peluſio
deſerta emenſus prope hoſtes, ad vetuſtam Syriæ Gazam caſtra ponit. Ita
etiam Demetrius ex hybernis undique evocatis in Gazam veterem militibus
hoſtis adventum præſtolabatur.

Amici Demetrii conſulere ne cum tanto Imperatore & exercitu numero- Plut. in
ſiore aciem conferret. Verùm ille morem his non gerere, ſed ad diſcrimen Demet.
confidenter ſeſe præparare: tametſi oppidò adhuc adoleſcens, ac ſine patre
tam difficilis prælii certamen ſubiturus eſſet, juvenis & tyro cum viro con-
flicturus ex Alexandri palæſtra qui multa ſuo ductu & magna prælia obierat.
Demetrius jam inter arma concione advocata duces & milites adlocutus eſt;
inde exercitum ad pugnam ordinavit.

Ptolemæus ab exploratoribus inſtructus de exercitus ordine, cornu dex- Diodor.
trum robore maximo firmatum conſtituit, ut cum Demetrio qui cornu ſini-
ſtro præerat, decertaret, in quo ipſe & Seleucus cum equitibus vallum fer-
ratum & catenis junctum ad elephantorum occurſum ſtatuit. In fronte ordi-
nes levis armaturæ, cum mandatis ut jaculatores & Sagittarii belluas vulnera-
rent, & eos qui ipſis vehebantur, ad hunc modum irruit in hoſtes. Initio
equeſtris pugna extitit inter quos præcellebant Demetriani, ſed Ptolemæo &
Seleuco ſupervenientibus acri prælio dimicatum eſt, primo occurſu jacu-
lis, deinde gladiis congreſſi, ipſi duces præ omnibus periclitantes ſuos ad-
hortabantur; diu equeſtris pugna anceps fuit, quùm belluæ in pugnam
citatæ eſſent, & nullus eorum impetum ſuſtineret. Ptolemæus autem quùm
ex valli objectu quid futurum eſſet ſolerter providiſſet, violentiam belluarum
irritam fecit. Tandem pleriſque Indorum confoſſis, ut cuncti elephantes in
Ptolemæanorum poteſtatem venerint, accidit: quo eventu maxima pars equi-
tum Demetrii conſternata fugam arripuit.

Demetrius ipſe cum paucis derelictus, quùm unumquemque obſecra- Id. ibid.
ret, ut loco ſe continerent, nec ipſum deſtituerent, ac nemo tandem atten-
deret, retrocedere coactus eſt. Ad Gazam igitur uſque bona pars equi-

LAGIDAR. an. 12. tum comitata eſt, at cùm ſub occaſum ſolis Gazam præteriret, equitum nonnulli ipſo deſerto urbem introiere, ut impedimenta efferrent; tantus ad portas tumultus excitatus eſt, ut ſupervenientibus Ptolemæanis nemo ad claudendum portas, illos antevertere potuerit. Irruptione igitur hoſtium intra muros facta, urbs in manus Ptolemæi venit. Pugna hunc exitum ſortita eſt Olymp. 117. & Demetrius contento itinere Azotum pervenit: hinc præconem de recuperandis ad ſepulturam cadaveribus miſit. Ex Demetrianis ſupra 8000. capti ſunt; occiſi verò ſupra 5000. quorum pars magna equites fuerunt.

Id. ibid. Ptolemæus autem & Seleucus conceſſa mortuorum ſepultura Regiam quoque ſupellectilem, quæ in poteſtatem illorum venerat, & de captivis in aula commorari ſolitos abſque lytris Demetrio remiſere: negarunt enim de his ſecum Antigono diffidere, ſed quòd per bellum communi opera, priùs cum Perdicca, deinde cum Eumene geſtum, armis ſubactæ regionis partes amicis non reddidiſſet, & redintegrata rurſus amicitia cum ipſo provinciam Babyloniæ præter omne jus Seleuco ademiſſet, captivos verò alios in Ægyptum miſit Ptolemæus cum mandato, ut in claſſis præfecturas huc illuc Plut. in Demetr. diſtribuerentur. Demetrius verò ſupellectile, famulis, & amicis receptis, deos precatus eſt ne ejus beneficii diù maneret debitor, ſed citò par ei referret.

Diodor. Cùm cæſis in pugna omnibus exequias Ptolemæus peregiſſet magnificas, Phœniciæ urbes cum exercitu invaſit, alias obſidendo, alias perſuadendo ſubjungens, poſt receptam Sidonem, prope Tyrum caſtra metatus, Andronicum præſidii ducem de tradenda urbe ſollicitat, præmiáque cum honoribus ampla pollicetur. Is nullo ſe modo fidem, quam Antigonus & Demetrius ipſi haberent, proditurum reſpondet, & graviſſimis convitiis Ptolemæum inceſſit, ſed aliquantò, quum per ſeditionem militum in hoſtis manus veniſſet, pœnas, tum ob convitia, tum quòd tradere urbem noluiſſet, expectabat: Ptolemæus verò nequaquam injuriæ recordatus eſt, quinimo muneribus affectum inter amicos cooptavit & honorificè provexit.

Id. ibid. Ptolemæus erat princeps æquitatis & clementiæ ſtudioſiſſimus & apprimè beneficus: quod etiam ad honoris & potentiæ incrementa plurimùm ei commodavit, & ut multi amicitiam cum ipſo conjungere cuperent, effecit: nam Seleucum Babylonia ejectum honorificè exceperat, ſuámque cum ipſo & ceteris amicis felicitatem communicaverat. Quamobrem etiam tum roganti Seleuco, ut milites cum eo in Babyloniam adſcenſuros, concederet, propenſè cupidéque aſſenſit, & acceptis à Ptolemæo App. Syr. 800. alii tradunt 1000. & equitatus 200. Seleucus Babylonem verſus contendit.

Diodor. lib. 19. Ptol. Sot. an. 13. Quum Demetrium è Cilicia reverſum Ptolemæus in Cœleſyria ſubſiſtens & in Syria caſtra habere accepiſſet, ex amicis quos ſecum habebat, Cillen Macedonem delegit, huic validum adjunxit exercitum, cum hoc mandato ut tota Syria Demetrium expellat, aut velut indagine circumventum conterat. Qui dum in itinere eſt, Demetrius à ſpeculatoribus certior factus, Cillen ad Myuntem negligenter caſtra metatum, impedimentis ibi relictis, cum militum expeditiſſimis ſecum raptis, contentum noctu iter fecit, & oppreſſis ſubitò circa excubias matutinas hoſtibus, exercitum in poteſtatem redegit, ex eáque ſeptem millia hominum & ducem eorum Cillen vivum Plut. in Dem. cepit.

Diodor. Tanta victoria tam feliciter parta elatus Demetrius, cladem ſuperiorem compenſaſſe exiſtimabat, quia tamen Ptolemæum contra ſe venturum putabat, ita caſtra fecit ut paludes & lacus pro munimine illorum haberet

haberet. De felici etiam ſucceſſu ejus pugnæ ad patrem Antigonum Celænis LAGIDAR.
in Phrygia verſantem, invitans ipſum, ut vel exercitum quàm ocyſſimè mit- an. 13.
teret, aut ipſe Syriam adiret. Interea Demetrius patre annuente Cillen du- Plut. in
cem & ejus amicos ad Ptolemæum remiſit parem priori ipſius munificentiæ Demetr.
gratiam rependens.

Antigonus è Celænis movit & intra paucos Tauro monte ſuperato cum Diodor. ut
Demetrio filio caſtra adunavit: Ptolemæus autem cognito Antigoni adventu, ſup.
ſenatu ducum advocato, conſilium exquirit, utrum manere, ac de capite
rerum in Syria decernere præſtabilius ſit, an verò in Ægyptum regredi, at-
que inde belligerare, ut prius cum Perdicca magis conducat. Ibi omnes
ſuadent ne adverſus copias longè numeroſiores & multitudinem bellicarum,
invictúmque Imperatorem, periculo ſe committat, multò enim faciliùs de-
certaturum in Ægypto, ubi & neceſſariarum rerum copia ſuperior ſit & fir-
mitate locorum confidere queat. Quocirca excedendum Syria judicans,
præcipuas à ſe occupatas urbes, ut Acen Syrophœniciæ, & Joppen Sama-
riámque & Gazam Syriæ deſtruxit. Tum receptis ad ſe copiis & opibus,
quæ agi ferríque poterant in Ægyptum remeavit.

Multi hominum Ptolemæi manſuetudinem & clementiam cognoſcentes, cum Joſeph. lib.
eo in Ægyptum proficiſci & rebus communicare voluerunt, quorum unus 1. con. Ap.
erat Ezechias ὁ Ἀρχιερεὺς Secundanus fortaſſe Pontifex: nam Summus tum
erat Onias I. Judæorum, homo ætate qui quaſi 66. annorum, dignitate
verò apud contribules maximus, & animo ſapientiſſimus, & ad dicendum
potentiſſimus, & circa cauſas ſicut nullus alter expertus.

Antigonus, cùm citra periculum Syriam totam Phœniciámque recuperaſ- Diodor. ut
ſet, in regionem Arabum, qui Nabatæi vocantur, expeditionem ſuſcepit, ſup.
ubi certior factus eſt de reditu Seleuci in Babylonem, Demetrium ut illuc
aſcenderet, & recuperata Satrapia celeriter reverteretur: interea Ptolemæus
in Cariam proficiſcitur, ſed Demetrius à patre ex Babylone quam ceperat Plut. in
revocatus imperium Seleuco firmius relinquens, revocatur, Halicarnaſſum Demet.
à Ptolemæo obſeſſum celeriter accurrentes, liberarunt. Quod factum cùm
ingentem Patri & filio gloriam attuliſſet, magna cupido inceſſit eos, oppreſ-
ſam à Caſſandro & Ptolemæo univerſam liberandi Græciam.

Interea pacem Caſſander, Ptolemæus, & Lyſimachus cum Antigono fe- Diodor. ut
cerunt, ſcripta etiam formula pactorum, iu qua erant comprehenſa; ut Caſ- ſup.
ſander ſummus Europæ dux eſſet, donec Alexander è Rhoxane ad matu-
ram ætatem perveniſſet: Lyſimachus Thraciam in poteſtate haberet. Pto-
lemæus Ægypto & conterminis in Africa & Arabia urbibus imperaret: An-
tigonus præeſſet toti Aſiæ: Græci verò ſuis legibus viverent. Non tamen
diù his pactis ſteterunt, ſed unuſquiſque probabiles captans prætextus, ſub-
inde plura acquirere nitebatur.

Ptolemæus Antigonum criminatus quod oppida nonnulla præſidiis muni- Id. ibid.
viſſet, bellum ei moliebatur; miſſiſque cum Leonide præfecto copiis, aſ- P. ol. Sot.
peræ Ciliciæ urbes Antigono ſubjectas poteſtatis ſuæ faciebat. Ad urbes an. 14.
etiam Caſſandro & Lyſimacho adjectas rogatum miſit, ut ſuam amplexæ
ſententiam, ne creſceret potentia Antigoni, prohiberent. Antigonus verò
natu minorem filium Philippum cum Phœnice & defectoribus belligera-
tum, ad Helleſpontum miſit, ſed in Ciliciam Demetrium, qui militiæ
ſuæ munus ſtrenuè exſequens, & Ptolemæi duces vicit, & urbes recupe-
ravit.

Interea Ptolemæus, jam Cypri urbes ſub ditione habens, poſtquam à Nico- Diodor.
cle Paphiorum Rege, occultam cum Antigono amicitiam fuiſſe initam, ex Id. ibid.
relatu quorumdam cognovit, ex amicorum numero Argæum & Callicratem
cum mandatis de tollendo Nicocle, miſit. Magnopere enim metuebat, ne

 alii

LAGIDAR. an. 14.

alii etiam ad ejus imitationem properarent, cùm plurimos jam antea defeciſſe viderent: Illi ergo in inſulam profecti à Menelao exercitus præfecto militibus acceptis, domum Nicoclis circumſiſtunt, & expoſito Ptolemæi decreto, ut vita ſe abdicaret, imperant. Qui ad diluendum quæ objiciebantur, primùm ſe convertit. Aſt ubi nemo attendit, ſibi manus infert. Axiotheca Nicoclis uxor, auditâ viri morte, filias ſuas adhuc virgines jugulat, nequis hoſtium ſibi illas mancipet, fratrúmque Nicoclis conjuges, ut unà cum ipſa mortem oppetant, inſtigat: cùm tamen nihil acerbi in eas ſtatuiſſet Ptolemæus, ſed incolumitatem illis conceſſiſſet. Quamobrem Regia tam improviſis repleta cædibus & infortuniis, fratris Nicoclis, foribus occluſis, domóque ſuccenſa, mortem cruentam ſibi conſcivere. Ita familia Regum Paphiorum tragicis oppreſſa calamitatibus, fuit abolita.

Ptol. Sot. an. 15. Ibid.

In Ægypto claſſem reparare juſſerat interea Ptolemæus; nam duces ſuos in Cilicia profligatos & urbes quas occupaverat à Demetrio recuperatas, agnoverat & Vere Phaſelidem claſſe expugnat. Hinc in Lyciam tranſvectus, Xanthum Antigoni præſidio inſeſſam vi cepit. Inde Caunum appulſus, urbem ſibi deditam accepit, arcéſque præſidiis occupatas violenta manu ſubegit: Perſicum verò deditione militum in manus ejus venit.

Tum in Con profectus accivit Ptolemæum. Is Antigoni ex fratre nepos erat, exercitúmque fidei ſuæ creditum habebat, ſed relicto patruo, cum Ptolemæo rei communiter gerendæ ſocietatem iniverat. Ex Chalcide igitur profectum & Con delatum Lagidem Ptolemæus præfectus initio humaniter excepit, poſt quùm ille eum inſolentiùs ſe gerere & duces ſuos muneribus colloquiíſque ſibi devincire animadverteret; veritus ne quid inſidiarum moliretur, præoccupatum cuſtodiæ tradidit, & cicutam bibere coegit: milites autem caſtra ejus ſecutos, promiſſis ad ſe pellexit & ordinibus ſuorum immiſcuit. Berenice una ex ejus uxoribus Ptolemæum cognomine poſtea Philadelphum qui patri in regno ſucceſſit, in ea inſula, peperit.

Theocrit. Idyl. Ptol. Sot. an. 16. Diodor.

Græci ad Ptolemæum venerant, eum rogantes ut cùm iis proximus eſſet, eorum urbes in libertatem vindicare vellet, quorum precibus acquieſcens Ptolemæus è Myndo Cariæ magna cum claſſe per inſulas navigans Andrum reducto præſidio liberavit: inde tranſportatus Sicyonem & Corinthum à Crateſipoli recepit, ceteras inſuper urbes liberare propoſuerat; multùm ex benevolentia Græcorum rebus ſuis acceſſurum arbitratus. At cùm frumentum & pecunias ſuppeditare juſſi promiſſorum facerent, indignatus Lagides pacem cum Caſſandro hac conditione inivit ut quas quiſque tunc haberet in poteſtate urbes retineret.

Cicer. lib. de fato.

Ptolemæus qui Stilponis Megarenſis patriam victor obtinuerat, tradita ei pecunia orabat, ut ſecum in Ægyptum navigaret, ille pecuniæ modicum accepit, & renuens, profectionem ei in Æginam conceſſit, & Sicyone ac Corintho præſidio firmatis, Alexandriam trajecit.

Diodor.

Cleopatra Antigono infenſa, propenſione ſua, ad Ptolemæum inclinavit, Sardibúſque ut tranſportaretur ad ipſum exceſſit. Erat hæc Alexandri M. Soror, Philippi ex Aminta filia, & Alexandri qùi expeditionem in Italia ſuſceperat, conjux. Ob generis ergo nobilitatem Caſſander & Ptolemæus, Antigonus etiam & Lyſimachus, denique præſtantiſſimus quiſque ducum, poſt Alexandri obitum ejus matrimonium ambiebat. Cùm enim Macedones conjugium hoc ſectaturos, unuſquiſque ſperaret, familiam Regiam, tanquam ſummum hac ratione imperium ad ſe tranſlaturus, affectabat. At Sardium præfectus, cui attinendæ Cleopatræ mandatum dederat Antigonus, diſceſſum ejus inhibebat, ejúſque deinde juſſu, mulierculárum quarumdam opera doloſè illam necavit. Antigonus verò ſe necis auctorem infamari nolens, quaſdam ex mulierculis, quaſi vitæ illius inſidiatas, capite plexit; & funus Regia magnificentia curavit.

Ophel-

Ophellas Ptolemæi dux, qui Thimbrone dejecto, ejus imperio Cyrenæos ſubjecerat, cùm Cyrenem ipſe cum vicinis urbibus ſibi poſtea vendicaſſet, majorem animo principatum complectebatur; dúmque in his cogitationibus verſatur, Ortho Syracuſanus amicorum ſuorum unus qui cum Alexandro militarant, ab Agathocle Syracuſarum Rege legatus venit, ut ad debellandos Carthaginenſes ſuam cum illo operam conjungere velit. In cujus officii remunerationem Africæ dominium ei permiſſurum Agathoclem pollicetur. Ophellas igitur lubens obtemperavit, & poſtquam cuncta expeditioni neceſſaria affatim comparaverat, copias eduxit innumeras, & itinere duorum ampliùs menſium Agathoclis caſtra aſſequitur, à quo doloſè circumventus necatur, & toto illius exercitu per promiſſionum liberalitatem conciliato, Agathocles potitur; ſed Ophella ſublato, Cyrene & reliqua Lybia ad Ptolemæi obſequium rediit. LAGIDAR. an. 16. Id. ibid. Suidas in Δημήτρ. an. 17.

Demetrius à patre Antigono miſſus ad Græciæ urbes in libertatem vindicandas ex Epheſo ſolvit, Pyræum appulit, Athenas recepit, Munichiam expugnat, cujus urbis curator Demetrius Phalerenſis, ut cum comitatu dimitteretur, impetravit, Thebas atque inde ad Ptolemæum in Ægyptum perfugit. Demetrius Ophellæ Cyrenes principis anno ſuperiore ab Agathocle occiſi viduam, Athenas remigrantem matrimonio ibi ſibi conjunxit. Diodor. lib. 20.

Antigonus Demetrium è Græcia revocat, ut cum Ptolemæi ducibus in Cypro bellum gereret; habuit neceſſarium obtemperare ei. Ceterùm moleſtè ferens quòd bellum pro Græciæ libertate cogeretur præclarius & illuſtrius omittere. Ptolemæi ducem Cleonidem qui Sicyonem & Corinthum tuebatur, pecunia pertentavit certis interpretibus, illas ut civitates relinqueret liberas: illo autem renuente confeſtim cum copiis navim conſcendit & in Cariam tranſmittit. Id. ibid. Plut. in Demetr.

Rhodios tranſeundo ad bellum Ptolemæo inferendum exhortatur, ſed fruſtra, & in Ciliciam devectus, militibúſque & navibus inde acceptis in Cyprum trajecit habens ſecum pedites 15000. equites 400. navium ad curſum expeditarum triremes 110. tardiorum verò, ſed tamen militarium 53. Pontones inſuper, quod tantæ equitum peditúmque multitudini ſufficerent. Ac primùm in infima Carpeſiæ ora caſtra poſuit, ſubductíſque navibus, vallo, & foſſa profunda caſtra munivit. Vicinas deinde urbes aggreſſus, Vraniam & Carpaſiam vi cepit. Ac relicta tutandis navibus cuſtodia mediocri, Salaminem exercitu infeſto petivit. Diodor. ibid.

Menelaus Ptolemæi frater inſulæ cum imperio præfectus Salamine ſubſiſtens, cùm ſtadia 40. hoſtes inde abeſſent, eductis è caſtelis hinc & inde militibus 12000. pedites & 800. equites adverſus illos eduxit, prælióque paulò pòſt commiſſo, Menelaus ab hoſte preſſus, cum ſuis terga vertit, Demetrius in urbem uſque hoſtes inſecutus 3000. haud pauciores cepit. 1000. autem interemit: Ac captivos quidem criminibus exſolutos, in ordines ſuos diſtribuit; ſed cùm ad Menelaum transfugerent, propterea quòd impedimenta ſua in Ægypto penes Ptolemæum reliquerant, eos in propoſito contumaciter perſeverare animadvertens in navigia collocatos ad Antigonum in Syriam tranſmiſit. Ceterùm Menelaus miſſilia & machinamenta in mœnia tranſtulit, & diſpoſitis per propugnacula militibus ad conflictum ſe accingit, cùm & Demetrium ad pugnam ſe præparare videret. Ad Ptolemæum quoque in Ægyptum miſit, qui clades acceptas nuntiaret, & auxilium, quia res Cypri in ſummo periculo verſarentur, flagitaret. ibid.

Demetrius autem cum Salaminem urbem non contemnendam & propugnatorum magnam in ea vim eſſe cerneret; eximiæ magnitudinis machinas, & catapultas, baliſtáſque omnis generis parat, & illam quam *Helepolim*, ab expugnandis urbibus, vocarunt, admotis ad urbem machinis alias oppoſuerunt Diodor. ibid.

LAGIDAR. an. 17. runt obſeſſi, &per dies aliquot certamen erat anceps: ruente ad extremum muro, cùm jam periculum erat, ne urbs vi caperetur, appetente nocte, pugna circa muros deſiſtitur. Tum Menelaus, jam exactè providens urbem, niſi novi quidpiam contra moliretur, expugnatum iri, magnam aridæ materiæ copiam eò congeſſit, & hac circa medium noctis injecta hoſtium machinis, & facibus quotquot habebant, ſimul à mœnibus déſuper immiſſis, operum maxima quæque incenderunt. Flamma igitur derepente in auras ſublata, Demetriani quidem opem ferre conabantur: at præveniente celeriter flamma, machinæ conflagrabant, militúmque qui in eis erant, complures interibant. Demetrius tamen nihilo magis, licèt hæc ſpes non ſucceſſiſſet, ab incœpto deſtitit, ſed terra marique oppugnationem urgens, temporis diuturnitate ſe hoſtes debellaturum exiſtimavit.

Id. ibid. Ptolemæus clade ſuorum audita cum exercitu inſtructiſſimo terreſtri ac navali ex Ægypto ſolvit, & ad Cypri urbem Paphon delatus, ſcaphas urbis aſſumit, Citiúmque, quod à Salamine 200. ſtadiis diſtat, appellit. Minæ quædam inſolentes diſputationéſque inter Ptolemæum & Demetrium habitæ ſunt, Ptolemæo Demetrium, ut recederet, priùs monente, quàm à toto coacto exercitu ſuo obtereretur. Demetrio, omiſſurum ſe illum oſtendente, ſi Sicyone & Corintho præſidium ſe deducturum recepiſſet. Certamen hoc non illis ipſis modò, verumetiam omnibus Dynaſtis grandem movit impendentis expectationem eventus: quod non Cyprum, non Syriam, ſed principatum inter omnes, victoria protinus eſſet palmam referenti præbitura.

Plutarch. in Demet.

Diodor. ibid. Tota Ptolemæi claſſis 140. longas habebat naves: quarum maxima erat quinqueremis. Has pontones ſequebantur pluſquam 200. peditum vehentes 12000. haud minùs, miſſis etiam quibuſdam itinere terreſtri ad Menelaum, naves ſi fieri poſſet, quàm citiſſimè, (60. numero erant) ad ſe mitti jubet. Nam ſpes erat ſi his claſſem augeret, fore ut certamine ducentis navibus commiſſo, victoriam obtineret.

Id. ibid. At Demetrius animadverſo ejus conſilio, partem exercitus ad obſidionem relinquit, cunctas ipſe naves replet, & collocatis in eas militum præſtantiſſimis miſſilia quoque ac petrarias imponit, & catapultarum quod ſatis foret triſpithamarum in proris conſtituit. Magníſque adornata impendiis claſſe ad pugnam, urbem circumnavigat & ad portus oſtium, paulùm extra teli jactum, ancoris demiſſis, pernoctat: tum ut claſſem urbanam, ne cum cetera conjungatur, inhibeat, tum ut hoſtis adventum, ipſe interim ad prælium paratus, expectet.

Id. ibid. Ptolemæus inde Salaminem verſus provehitur, & quia actuarias in comitatu naves habebat, ſtupenda videbatur claſſis amplitudo. Demetrius adventu hoſtis intellecto, Navarchum Antiſthenem, ut claſſis oppidanæ eruptionem ad conflictum intercludat, cum decem quinqueremibus relinquit. Interim equitatui mandat ut in littore præſto ſint, ſi quid infortunii contingat, tuendum. Ipſe explicatis ordine velis 108. navium claſſem in altum provexit.

Id. ibid. Lagides qui initio Salaminem verſus propero curſu ſub noctem contenderat, ut ingreſſu hoſtem, quod ſperabat, anteverteret. Aſt ubi luce exorta, hoſtium claſſis non procul inſtructa videbatur, etiam ipſe ad navale ſe prælium accingit. Pontones igitur à longinquo jubet ſubſequi, & ceteris navibus ordine juſto diſpoſitis, ſiniſtrum cornu occupat, ubi maximæ illi naves præſidio erant.

Id. ibid. Demetrius igitur ab hoſte tribus circiter ſtadiis remotus, ſignùm pugnæ, de quo convenerat, auratum nempe clypeum omnibus per vices conſpicuum, extulit. Factitante id ipſum Ptolemæo, confeſtim, quod dirimebat eos intervallum, occupatur. Tubæ claſſicum canunt, acies utrimque jubilant,

lant, navéſque terribili modo ad conflictum procurrunt. Atque initio arcubus & petrariis baliſtis, frequentibus etiam jam jaculis res geritur, & multi miſſilibus expoſiti vulnerantur. LAGIDAR. an. 17.

Deinde cùm naves navibus approximantes, jam violento impetu concurſuræ eſſent, qui in foris ſtabant, haſtas pariter protendere & remiges hortatu alacriùs incumbere. Jámque vehemente roboris nixu impulſæ naves erant: cùm partim remos inter ſe detegere, ut ad fugam & inſecutionem inutiles redderentur, & Claſſiariorum, ſi ad ſtrenuam ſui defenſionem converterentur, impetum in conflictu cohiberent: partim roſtris in proram illiſis, puppes ad repetendum inflictum agere retrorſùm. Propugnatores interim ſuper illis conſtituti, vulneribus ſe mutuis impetere, quòd ſinguli in propinquo ſcopus eſſet. Ibid.

Demetrius in puppi hepteris conſiſtens, decertabat. Cùm enim globatum ſe hoſtes circumfunderent, alios jaculis eminus petendo, alios haſta comminus feriendo ſternebat. Multis ſanè variiſque telis impetebatur, ſed ea tum providendo, declinabat, tum armis protectoriis excipiebat. Propugnatores illi tres aderant. Horum unus lancea transfixus cecidit, ceteri duo graviter erant vulnerati. Ad extremum vi repulſis, qui ex adverſo ſtabant, dextrum cornu in fugam convertit, & continuò etiam proximos terga dare coegit. Ibid.

Ptolemæus verò qui maximas ſecum naves & militum robur habebat, oppoſitos ſibi negotio haud magno fudit fugavítque, & navium alias demerſit, alias cum ipſis militibus cepit: Jámque à victoria revertens etiam ceteras ſe facilè ſubacturum ſperabat: at cùm lævum cornu profligatum & proximas quaſque naves fugam capeſſere & Demetrium vi graviſſima imminere animadvertit. Ad Citium ergo retroceſſit. Victor autem hoc prælio Demetrius, naves militares Neoni & Buricho tradit, cum mandatis ut hoſtem proſequantur, & in mari natantes excipiant. Ipſe naves ſuas acroſtoliis exornat, captáſque hoſtium naves remulco trahens, ad caſtra, portúmque ſuum revertitur. Id. ibid.

Interim dum prælio navali diſceptatur, Menelaus è Salamine naves 60. viris armíſque completas, Menætio Navarcho, in ſubſidium Ptolemæo miſit, & certamine cum navibus, quæ ſtationem in oſtio portus habebant, commiſſo, quum oppidani vi ſibi exitum patefacerent, Demætriani ad terreſtres ſe copias fuga receperunt; Menætiani autem in altum evecti, ubi paulò ſeriùs quàm commodum eſſet, venerunt, Salaminem regrediuntur. Ibid.

Ptolemæus rebus Cypri deſperatis cum ſolis octo navibus in Ægyptum refugit. Menelaus Salaminem Demetrio & naves & pedeſtres copias radidit, equites 1200. gravis armaturæ militum 12000. Demetrius acceptis in ditionem cunctis inſulæ oppidis, præſidiarios in ordines ſuos cooptavit pedites 16000. equites verò 600. hoſtes qui ceciderant, magnificè funeravit, atque captivos miſſos fecit, inter quos Ptolemæi filium Leontiſcum & fratrem Menelaum, amicóſque ejus cum privati inſtrumenti miniſterio, pari provocatus antea munere, in Ægyptum remiſit, & ut appareret eos non odio, ſed dignitatis gloria accenſos, donis muneribúſque inter ipſa bella contendebant. Tantò honeſtiùs tunc bella gerebantur, quàm nunc amicitiæ coluntur. Diodor. Plutarch. Juſtin. l. 15.

Demetrius mox Ariſtodemum patri nuntium miſit. Antigonus ubi de victoria cognovit, ſucceſſus magnitudine elatus, diadema ſibi impoſuit, & Regis deinceps nomen uſurpavit, eumdem titulum & honorem etiam Demetrio concedens. Quin & Ptolemæus de celſitate animi nihil remittens ob acceptam cladem diademate etiam ipſe caput evinxit, & in omnibus exinde Diodor. p. 20.

LAGIDAR. inde literis Regem ſeſe appellavit; qua de re quidam illum gubernatoris nomine ſeptemdecim annos Ægyptum tenuiſſe ſcribunt; quorum & exemplo reliqui etiam principes Seleucus, Lyſimachus & Caſſander Reges ſe proclamarunt.

an. 17. Porphyr. in Græg. Euſ. à Scalig. edit. Ptol. Sot. an. 18. Diodor. l. 20.

Rex Antigonus, quùm filius ipſi Philippus natu minimus è vivis exceſſiſſet, Regio funus apparatu deduxit, & Demetrio ad ſe vocato, copias ad Antigoniam in Syria à ſe recens conditam convenire juſſit. Nam expeditionem in Ægyptum deſtinarat: Itaque peditum agmen ducens ipſe per Cavam Syriam, ſigna promovit, habens in peditum ſupra 80. millia, equitum circa 10. elephantos 83. Claſſi Demetrium præfecit; quem juxta copias terreſtres oram legere juſſit, inſtructas habens in univerſum 150. naves longas, & 100. militares pontones. Antigonus autem ad Gazam caſtra metatus, quòd Ptolemæi apparatum antevertere cuperet, militibus ut decem dierum cibariis ſeſe inſtruerent, imperavit. Et iter per deſerta fecit non abſque moleſtia.

11. ibid. Demetriani verò poſtquam nocte intempeſta ob occaſum Pleïadum, Gaza ſolviſſent; cùm ventus poſtea Borealis inſurgeret, naves aliquæ demerſæ ſunt, aliæ Caſſium uſque difficilè penetrarunt, & cùm flatus tandem remiſiſſet, Antigonus cum exercitu illuc delatus, non procul à Claſſe caſtra poſuit. Hinc promotis copiis prope Nilum, duorum intervallo ſtadiorum caſtra metatur.

Ibid. Ptolemæus cùm opportuniſſima loca præſidiis occupaſſet, quoſdam miſit in navigiis, quæ contis propellebantur, cum mandatis ut prope excenſum, navigantes proclamarent, illum ſibi qui ab Antigono deficerent, binas Gregario minas, præfecturam gerenti talentum, eſſe daturum. His ita proclamatis defectionis cupido mercenarios Antigoni invaſit; inter quos etiam plerique duces erant, certas ob cauſas tranſitionis cupidi. Quùm igitur multi deſciſcerent, Antigonus ſagittarios & funditores, catapultáſque complures in ripa fluminis diſponit, quibus excurrentes in navibus, contariis repulit. Nonnullos etiam transfugarum correptos ſuppliciis horrendis multavit, ut à ſimili conatu auſúque ceteros deterreret.

Ibid. Antigonus aſſumptis navibus, quæ tardiùs venerant, ad Pſeudoſtomon, quod vocant, contendit: aſt ubi validum inibi præſidium invenit, nocte jam appetente diſcedit. Hinc magiſtris navium, ut in facem intenti, prætoriam ſequantur, mandat, & ad oſtium Nili, quod Phagneticum nominant, provehitur. Ortáque die, ubi multas abeſſe naves cognovit, illas expectare, & omnium quas agebat celerrimas, ad quærendum illas emittere, coactus eſt. Tempore igitur protracto, Ptolemæus de acceſſu hoſtium certior factus, properè ſuis auxiliatum venit, inſtructíſque copiis in littore conſiſtit. Tum hoc etiam deſcenſu excluſum ſe cernens Demetrius, orámque contiguam ſtagnis & paludibus à natura munitam eſſe audiens cum tota claſſe retrocedit..

Ibid. Vehemens inde Boreas incumbit, ſublatíſque in altum fluctibus, tres quadriremes, & militares aliquot, eadem tempeſtatis violentia in littus ejectæ, in Ptolemæi manus venerunt. Ceteræ dum ſumma ope rem gerunt nautæ, incolumes in caſtra Antigoni evaſerunt. Ad omnes verò fluminis exitus præſidia Ptolemæus firmiſſima diſpoſuerat, magnámque fluviatilium navigiorum copiam in promptu habebat, omni miſſilium genere, & viris qui his uti ſcirent, inſtructorum. Quæ res Antigonum haud modicè angebat. Nam oſtio Peluſiaco ab hoſtibus præoccupato, navales copiæ nullum habebant uſum, copiæque terreſtres vaſtitate fluminis inhibitæ, ut ut maximè vellent, nihil efficiebant. Et quod maximum elapſis diebus plurimis & milites frumentum, & jumenta pabulum deficiebat.

Sub-

Submittente igitur animos exercitu, Antigonus concionem advocat, du- LAGIDAR.
cibus conſilium proponit, utrum manere præſtet, & belligerare, an nunc an. 18. Ibid.
quidem in Syriam reverti, ſed poſtea meliùs inſtructos redintegrare expeditionem, quo tempore minimæ altitudinis videatur Nilus. Ibi cunctis eò inclinatis, & quàm ocyſſimè abirent, vaſa milites conclamare & Claſſe ſimul totam oram legente, celeriter Syriam repetivit.

Ptolemæus diſceſſu hoſtium maximè lætatus, inſtituto Diis ſuis ſacro, Ibid.
pro beneficiis acceptis, ſplendidum amicis epulum exhibuit, datiſque ad Seleucum, Lyſimachum, & Caſſandrum literis, tum de proſpero ſucceſſu, tum de multitudine transfugarum eos certiores fecit. Ipſe jam altero Ægyptum certamine tutatus, jámque regionem haſta partam jure ſe tene- Io Reg. lau.
re exiſtimans Alexandriam remeavit. Hoc anno Ptolemæus Geographus quod in anni 19. initium juxta illius rationes promovet.

Hoc anno incepit Rhodiorum bellum cum Antigono his de cau- Ptol. Sot.
ſis. Rhodiorum tum civitas, navalibus copiis pollebat, & optimè admi- an. 19. Diodor. &
niſtrabatur inter Græcos. Ideò Reges & Dynaſtæ certatim illam ambie- Plutarch.
bant, quum in ſuam unuſquiſque amicitiam protrahere illam properaret. Rhodii animis ad Ptolemæum magis inclinabant. Nam maximam commodorum ſuorum partem ex Ægypto per mercatores & commeantes accipiebant, totáque civitas illius Regni opibus alebatur.

Antigonus ut illos à conjunctione cum Ptolemæo abſtraheret, maturè LAGIDAR.
operam dedit, Demetrius ad inſulam appulit, ſed Rhodii ubi preces non an. 19. Id. ibid.
audiri vident, abjecta ſpe compoſitionis, per legatos ad Ptolemæum, Lyſimachum, & Caſſandrum miſſos, auxilium petunt, quòd propter eos, urbs bello premeretur, ad defenſionem urbis ſe parant, dum Demetrius eos oppugnat: auxiliares quidam ad urbem appellunt 150. à Cnoſiis 500. plures à Ptolemæo miſſi, inter quos Rhodii quidam, apud Regem ſtipendia facientes erant.

Quum defenderent ſe fortiter Rhodii, quamvis nullum operæ pretium Ptol. Sot.
Demetrius faceret, oppugnavit eos tamen iratus quòd Menedemus, qui an. 20.
tribus præerat trieremiolcis, Patara Lyciæ profectus cepiſſet quadriremem ex Cilicia venientem, quæ veſtem Regiam vehebat, ceterámque ſupellectilem, quam Phila Demetrii conjux, impenſiùs adornatam, viro miſerat. Is veſtitum in Ægyptum ad Ptolemæum deportandum curaverat.

Ptolemæus verò quanquam Rhodiis antè ſcripſerat, quòd magnam fru- Id. ibid.
menti copiam, & tria militum millia miſſurus eſſet, tamen quùm deinde conſulerent, ut pactis, ſi fieri poſſet, mediocribus tranſigerent, omnes ad pacem animis vergebant. Ideo pax tandem Rhodiis cum Demetrio his conditionibus inita eſt. Ut ſui juris & abſque præſidiis urbs foret, ſuóſque ſibi proventus haberet. Ut armorum ſocietatem Antigono præſtaret, niſi ſi Ptolemæo bellum inferret.

Rhodii pace hoc modo facta, ut Ptolemæum gratia, quod percupiebant, Diodor.
ſuperarent, miſſis in Libyam Theoris, ex Ammonis oraculo ſciſcitabantur, an Ptolemæum uti Deum venerandum cenſeat? Quo annuente, lucum in urbe illi conſecrant quadratam, extructa ad unumquodque latus porticu ad ſtadii longitudinem, quam *Ptolemæum* indigitarunt. Rhodii etiam Ptolemæo Regi *Soteris* cognomine, tum primùm tribuerunt, quòd urbem ille Pauſ. Att.
ſervaſſet.

Hoc anno Sicyon urbs quam præſidio occupabat Ptolemæus à Deme- Diodor.
trio obſeſſa eſt, quùm ille bellum Caſſandro inferret Græciſque libertatem reſtituere ſibi propoſuiſſet. Sicyoni præerat magna nominis claritate inſignis Philippus, quam noctu ex improviſo adortus,

 intra

LAGIDAR. an. 21. intra mœnia irrumpit Demetrius; Præſidiarii autem in arcem ſtatim ſe proripiunt, ſed ille urbe potitus, locum inter domos & arcem occupat, jámque machinas admoturus erat, quùm periculi, qui intus erant, haud ignari, ſub pactione ſe dedunt, ipſique in Ægyptum avehuntur.

Ptol. Sot. an. 22. Diodor. Caſſander Græcorum vires creſcere, totámque belli contra ſe molem inſurgere videns, miſſis in Aſiam ad Antigonum legatis, ut ſecum pacificaret, oravit. Ubi verò ille ſe nullam agnoſcere pacificationem, niſi Caſſander res ſuas ipſius arbitrio permitteret, reſpondit: territus ille Lyſimachum è Thracia accerſit, cum quo rei ſummam communicat. Hi ergo legatos mittunt ad Ptolemæum & Seleucum, ſuperbiam Antigoni in reſponſionibus, bellique hujus periculum omnibus commune eſſe demonſtrant. Ptolemæus & Seleucus, quòd vera illos aſſeverare judicarent, lubentes obſequuntur, & numeroſis ſubvenire copiis conſtituunt.

Id. ibid. Lyſimachus ex Europa primus in Aſiam ingreſſus eſt, Antigonus autem de tranſitu Lyſimachi & de militum ſuorum defectione audiens, ex Syria contra hoſtes perrexit. Lyſimachus hoſtis adventu cognito, cum ſuis deliberavit ad pugnam cum Antigono non eſſe deſcendendum, quoad Seleucus è provinciis ſuperioribus adventaſſet: ideò in hiberna conceſſit. Demetrius ab Antigono accerſitus, pace cum Caſſandro facta, Epheſum tranſmittit, Caſſander Pliſtarchum in Aſiam cum exercitu 12000. peditum & 500. equitum Lyſimacho auxiliatum miſit.

LAGIDAR. an. 22. Diodor. Ptolemæus ex Ægypto cum inſtructiſſimo exercitu, omnes in Cœleſyria urbes in ditionem redegit. Interea dum Sidonem obſideret, quidam falſò renunciant, quòd commiſſo inter Reges prælio, Lyſimachus & Seleucus victi Heracleam ſe receperint, victórque Antigonus cum exercitu in Syriam contendat: à quibus ille deceptus, quum verum eſſe nuntium crederet cum Sidoniis in quinque menſes inducias fecit, & cum exercitu in Ægyptum remeavit.

Id. ibid. Seleucus cum immenſo exercitu ex ſuperioribus præfecturis ducto, in Cappadociam venit, militéſque in hiberna collocavit: habebat autem pedites 20000. equites ſagittariis equeſtribus adnumeratis circiter 12000. elephantos 480. currúſque falcatos ſupra 100. Regum itaque copiæ hunc ad modum coibant, quòd omnes ad futuram æſtatem armis diſceptare conſtitutum haberent; unde Ptolemæus cum exercitu iterum ex Ægypto ad alios properavit.

Diodor. Arrian. Plutarch. Appian. Ptol. Sot. an. 23. Porphyr. Pugna tandem inter Reges ad Ipſum Phrygiæ oppidum eſt commiſſa ineunte Olymp. cxix anno quarto. Antigonus & Demetrius peditum ſupra 70. millia. 10. equitum, elephantos 75. Hoſtibus peditum erat 64. millia, 10500. equitum, elephantos 400. currus 120. In prælio Antigonus annos natus 86. occiſus eſt. Demetrius cum 5 peditum & 4. equitum millibus continenti fuga Epheſum perrexit. Victores Reges totum illud imperium quod Antigonus & Demetrius ſibi acquiſierant, velut magnum corpus diſcerpunt, & in partes diviſerunt, eáſque inter ſe partiti, prioribus ſuis provinciis adjecerunt.

Diodor. Juſtin. Ptol. Sot. an. 24 Plutarch. Pauſ. Att. Quum de præda victores non convenirent iterum in duas factiones ducti ſunt, Ptolemæus Lyſimacho, Seleucus Demetrio ſe conjunxit. Lyſimachus Arſinoen Ptolemæi filiam duxit uxorem quæ Teleſphorum Rhodium mores ſuos reprehendentem apud maritum crudeliſſimè interfici juſſit. Bellum tamen inter eos illam ob cauſam non geſtum eſt.

Juſtin. l. 15. Ptolemæus poſtquam Cyprum iterum ſubegiſſet, Cyrenen etiam quinto poſt defectionem anno, per Magam Berenices, quam poſt Euridicen Antipatri filiam in matrimonio haberet, & ex ea liberos etiam ſuſcepiſſet, recepit. Ptolemæus autem duas uno tempore uxores habebat, ut Demetrius qui Philam Antipatri filiam & Deidamiam Pyrrhi ſororem ſimul conjuges duxerat.

Plut. in Demetr. Demetrius & Pyrrhus ejus cognatus Lyſimachi ditionem vaſtare incipiebant,

quùm

quùm legati à Seleuco venerunt ad Demetrium, Euridicen dari ſibi uxorem ex Phila conjuge filiam petentes oblata Demetrio Seleuci affinitas ex inſperato fuit, aſſumptáque puella navigavit cum tota Claſſe in Syriam, occurrit ei ad Oroſſum Seleucus. Feriati unà, colloquutíque ſunt, & tempus traduxerunt incuſtoditi & inermes. [LAGIDAR. an. 24.]

Seleucus ut præcipuus erat Ptolemæi amicus, ejus opera pax & amicitia, inter illum & ſocerum ſuum Demetrium conciliata eſt, & quum Deidamia Pyrrhi ſoror & Demetrii uxor nuper è vivis exceſſerat, Demetrius Ptolemaidis Ptolemæi filiæ nuptias pepigit & ab eo Pyrrhus ejus cognatus obſes Ptolemæo datus, & ille in Ægyptum navigavit. [Ptol. Sot. an. 25. Plut. in Demetr. & Pyrrho.]

Ptolemæo Pyrrhus dedit in venationibus roboris & patientiæ laboris ſpecimen: Berenicen autem quùm adverteret apud Regem gratia pollere, atque inter Ptolemæi uxores virtute & prudentia anteire; obſervavit eam præcipuè, ut ille modeſtus erat, & temperans in victu, ex multis principibus juvenibus prælatus eſt qui uxorem duceret ex filiabus Berenices, Antigonen, quam ex Philippo ſuſceperat, priuſquam cum Ptolemæo eſſet in matrimonio juncta. Poſt has nuptias clarior jam, quùm etiam bona in eum uxor eſſet Antigone, perfecit ut cum pecunia & copiis Ptolemæi, ad Regnum recuperandum in Epirum mitteretur. [Ptol. Sot. an. 26. Id. ibid.]

Hoc anno Ptolemæus Pharum Alexandriæ turrim per Soſtratum Dexiphanis filium Cindium erigere cœpit in Pharo, inſula Protei, quum & Pyrrhus Epiri principatum ſuſcepit: vel cùm Neoptolemo mortuo integrum illud recuperavit. [Suidas in Φάρος.]

Poſtquam Caſſander per annos 19. Macedoniæ Regnum tenuerat, ex morbo aquæ ſubter cutem factæ, ex tabe conſumptus interiit, relictis ex Theſſalonica tribus filiis Philippo, Antipatro & Alexandro: Philippus autem natu maximus Macedoniam exiguo tempore gubernavit, illum enim tabida lues ſuſtulit. [LAGIDAR. an. 27. Dexipp. Porphyr. in Græc. Euſ.]

Antipater & Alexander de fratris Philippi Regno contendentes, matris & amicorum interventu Regnum dividere conſenſerunt, poſtea Antipater Euridicen Lyſimachi filiam in matrimonium accepit. Alexander legatos deinde ad Ptolemæum in Ægyptum, Lyſandram ex Euridice filiam in uxorem petituros miſit. Ptolemæus ipſis annuens Lyſandram Menelao fratri ad Alexandrum deducendam dedit. [Id. ibid. Ptol. Sot. an. 28.]

Interea Lachares Athenarum tyrannus pro populo auxilium à Ptolemæo petiit à Demetrio tunc obſeſſus, Ptolemæus autem Claſſem quam Lyſandræ filiæ ad Alexandrum deportandæ conceſſerat, ei ſubſidio miſit; ſed exiguam Athenienſibus reſpirationem centum illæ quinquaginta naves præbuerunt, ſub Patrocle duce licèt inſulam quamdam occupaſſet Claſſis, fugam tamen conſcivit cùm Demetrius trecentis navibus collectis, ex Peloponneſo acceſſit. [Plut. in Demetr. & Pyrrh. Pauſan. Att.]

Pyrrhus Ptolemæi Regis & Berenices Soceræ memor, natum ſibi hoc anno filium ex Antigone ipſius filia, Ptolemæum appellavit, & oppidum quod poſtea in Cherſoneſo Epiri condidit, Bereniciden nominavit. [Ptol. Sot. an. 29.]

Ptolemæus cùm Cyprum quam Demetrius occupaverat, recuperare vellet, poſtquam illum Lacedæmonem obſidere cognovit, inſulam Claſſe appulit, urbes oppugnavit, & Salamine excepta in qua Phila Demetrii uxor & liberi permanebant, inſulam ſibi ſubjecit, Demetrius à Lacedæmone vix avulſus, ſpe invadendi tunc Macedonici Regni, Cypri defendendæ occaſionem relinquit. [Plut. in Demet. Ptol. Sot. an. 30.]

Lagides interea Salaminen tandem auxilio deſtitutam expugnat & Philam Demetrii uxorem, & Euridices uxoris ſuæ ſororem, ipſiúſque liberos dimiſit, additis inſuper muneribus & honoribus Qui nuntius Demetrio nuper Macedoniæ Rege appellato, poſt Alexandrum fraude à ſe occiſum, gratus omnino fuit. [Ibid.]

Demetrius Phalereus Athenarum pro Caſſandro olim curator, Thebas ſe receperat, Bœotiis verò ab Antigono Demetrii filio bello appetitis, urbem relinquit & in [Ptol. Sot. an. 31. Pauſ. Att.]

Google

LAGIDAR. Ægyptum ad Ptolemæum concedit, quem Rex humaniſſimè excepit, inter con-
an. 30. ſiliarios annumeravit, & Bibliothecæ, ut quidam volunt, præfecit: ille autem Pto-
lemæo ſuaſit ut libros de Regno & Principatu pararet ac legeret, & de qui-
Plut. Apoth. bus amici Regis monere non audent, ea in libris extare aſſeverat: Quidam
Demetrium Phalereum Bibliothecæ præfectum forſan poſt Zenodotum
Suidas. Epheſium qui Ptolemæi liberos erudiverat exiſtimant.

Ptol. Sot. an. 31. Hoc tempore Arſinoe Ptolemæi filia in uxorem Lyſimacho data cùm ac-
Pauſan. Att. cepiſſet maritum ſuum à Getis cum quibus bellum gerebat captum eſſe,
Agathoclis privigni in aula potentiam pertimeſcens in Ægyptum ad patrem
Ptolemæum, ab ipſo copias & pecuniam pro conjugis redemptione petitura
venit, ſed Lyſimachus ea Thraciæ parte conceſſa quæ trans Iſtrum eſt,
ab Agathocle filio fœdere cum Dromichæte Getarum icto, libera-
tus eſt.

Ptol. Sot. an. 33. Lyſimachus, ut in Thraciam rediit Agathocli filio de ſe in captivitate be-
Ibid. ne merito, Lyſandram Ptolemæi Regis ex Euridice filiam Alexandri Mace-
doniæ nuper viduam dedit uxorem, quæ res Agathoclem eum noverca ad
tempus reconciliaſſe videtur quùm ejus eſſet ſoror, viſa eſt, illáque ex Æ-
Strab. l. 14. gypto ad Lyſimachum maritum per Aſiæ urbes rediit, ipſique ad Epheſum
in ejus poteſtatem nuper redactam occurrit, quam Lyſimachus novo ob
conjugis adventum, *Arſinoes* nomine appellavit, Lebediis & Colophoniis
Stephan. in Ἔφεσος. in hanc urbem deductis.

LAGIDAR. Hoc anno Berenice Ptolemæi conjux, Theogenam ex Philippo filiam,
an. 32. Juſtin. l. 23. quam Agathocli Siciliæ Regi uxorem dederat, cum filiis recepit, Agatho-
Ptol. Sot. cles autem jamjam moriturus illam cum genitis ex ea duobus parvulis cum
an. 34. omni pecunia & familia, regalíque inſtrumento, quo præter illum nemo
Regum ditior fuit, navibus impoſitos Ægyptum remiſit, timens ne præ-
donem Regni ſui, hoſtem pateretur.

Ptol. Sot. an. 35. Ptolemæus cùm nullo bello implicaretur, ornandæ Alexandriæ pluri-
Tacit. Hiſt. lib. 4. mùm incumbebat, plurima jam templa extrui juſſerat, illa autem dedicare
cùm vellet, oblatum per quietem decore eximio juvenem, qui moneret, ut
fidiſſimis amicorum in Pontum miſſis, effigiem ſuam acciret: lætum id Re-
gno, magnámque & inclytam ſedem fore quæ excepiſſet: ſimul viſum eum-
dem juvenem in cælum igne plurimo attolli. Ptolemæus omine & miracu-
lo excitus, Sacerdotibus Ægyptiorum, quibus mos talia intelligere, noctur-
nos viſus aperit. Atque illis Ponti & externorum parum gnaris, Timotheum
Athenienſem è gente Eumolpidarum, quem ut antiſtitem Cæremonia-
rum Eleuſi exciverat, quænam illa ſuperſtitio, quod numen interrogat.

Timotheus quæſitis qui in Pontum meaſſent, cognoſcit urbem illic Sino-
Id. ibid. pen, nec procul templum, vetere inter accolas fama Jovis Ditis: namque &
muliebrem, effigiem aſſiſtere, quam plerique Proſerpinam vocent; ſed Ptole-
mæus ut ſunt ingenia Regum, pronus ad formidinem, ubi ſecuritas rediit, vo-
luptatum quàm Religionum appetens, negligere paulatim, aliáſque ad cu-
ras animum vertere, donec eadem ſpecies terribilior jam & inſtantior exi-
tium ipſi, Regnóque denuntiaret, ni juſſa patrarentur. Tum legatos & do-
na Scydrothemidi Regi (is tum Sinopenſibus imperitabat) expediri jubet, na-
vigaturíſque præcipit ut Pythium Apollinem adeant, illis mare ſecundum,
ſors oraculi haud ambigua, irent, ſimulacrúmque patris ſui reveherent, ſo-
roris relinquerent. Ut Sinopen venere, munera, preces, mandata Regis
ſui Scydrothemidi allegant, is diverſus animi modò numen paveſcere, mo-
dò minis adverſantis populi terreri, ſæpe donis, promiſſiſque legatorum
flectebatur, réſque in triennium abiit.

Ptol. Sot. an. 36. Demetrius Macedonia ſibi vindicata, inſtituerat rem non exiguam, ſed
Plut. in totum imperium, quod obtinuerat pater ſuus, repetere. Huic ſpei & mo-
Demetr. limini reſpondebat apparatus. Si quidem exercitum habebat jam conſcriptum,
pedi-

peditum 100000. duobus millibus minùs, adhæc equitum paulò minùs 12000. Claſſem navium ad 500. numerum moliens. Tantis viribus Aſiæ imminentibus, quantas ſecundum Alexandrum habuit nemo quiſpiam, tres in Demetrium conſpiravere, Ptolemæus, Seleucus, Lyſimachus. Inde communi nomine miſſis ad Pyrrhum legatis, hortati illum ſunt, Macedoniam ut aſſereret, neque duceret inducias, quas Demetrius non ipſi, ne bello laceſſeretur, dederat, ſed ſibi ſumpſerat, quò bellum prius, quibus vellet, poſſet movere. Id ubi probavit Pyrrhus, multiplex Demetrium morantem adhuc bellum circumſtetit. Eodem enim tempore Græciam Ptolemæus ingenti advectus claſſe ſollicitavit, Macedoniam Lyſimachus ex Thracia, & ex vicino Pyrrhus incurſionibus populati ſunt; ille primò contra Lyſimachum, deinde contra Pyrrhum, ad quem quùm totus penè Demetrii exercitus deficeret, ſe ex caſtris ſubduxit, & Caſſandriam aufugit. LAGIDAR. an. 35.

Regno tandem nudatus Demetrius, primùm privatus, atque Regiis deſtitutus ornamentis iniit civitates, poſtea ut tanquam Regiam viam & ſpem eſt ingreſſus, corpúſque denuo, & ſpecies circa eum Regni cœpit eſſe, duces & amicos quos in Græcia habebat, contraxit, Thebanis reſtituit Rempublicam, Athenarum obſidionem ſolvit, pace cum Pyrrho inita, coactiſque navibus ſuis omnibus, ac militum undecim millibus, cum equitatu impoſitis in Aſiam, ad Cariam & Lydiam Lyſimacho adimendam navigavit. Euridice Philæ ipſius defunctæ uxoris ſoror, illum circa Miletum urbem excepit, adducens ſuam & Ptolemæi filiam Ptolemaidem antea ei pactam, ut ſuprà diximus, quam duxit, & poſtquam aliquas Lydiæ urbes cepiſſet, frumentatione coactus in Ciliciam deſcendit, ubi tandem à Seleuco genero ſuo captus, in Syriæ Cherſoneſo incluſus eſt uſque ad mortem. P.ol. Sot. an. 37. Il. ibid.

Ptolemæus apud Scydrothemidem Sinopenſium Regem à triennio, non ſtudium, non preces ad obtinendam Dei ſtatuam omiſerat: dignitatem legatorum, numerum navium, auri pondus augebat. Tum minax facies Scydrothemidi offertur, ne deſtinata Deo ultrà moraretur. Cunctantem varia perniciosa, morbíque, & manifeſtè cœleſtium ira graviórque in dies fatigabat. Advocata concione, juſſa numinis, ſuos Ptolemæíque viſus, & ingruentia mala exponit. Vulgus adverſari Regem, invidere Ægypto, ſibi metuere, templúmque circumſedere. Major hinc fama tradidit, Deum ipſum appulſas littori naves ſponte conſcendiſſe. Mirum inde dictu, tertio die tantùm maris emenſi, Alexandriam appelluntur. Templum Deo magnificentiſſimum extructum eſt in loco cui *Rhacotis*. Locus ille munitus erat, in quo præſidium habebatur, ut arceretur navium deſcenſus in urbem, poſtea Alexandriæ pars fuit, templúmque Dei auro pretioſo ornatum eſt, ita ut inter homines divinius cerni non poſſet. LAGIDAR. an. 37. Tacit. Hiſt. lib. 4 Strab l. 17.

Demetrio autem apud Seleucum in arce cuſtodito, Ptolemæus quùm nihil ab aliis Regibus imperio ſuo timendum animadverteret, magna rerum gloria illuſtris, ſucceſſorem ſibi filium è Berenice, præterito majore ex Euridice prima conjuge, cui Regnum concedere Demetrius Phalereus Regis conſiliarius perſuadebat, ſed pater minimo communicavit, rationémque ejus rei populo reddidit, privatúmque exinde officium Regi inter ſatellites feciſſe aiunt, quùm omni Regno pulchrius, Regis eſſe patrem diceret. Juſtin. l. 16. Lagid. 38. Diogen Laert.

Filius Ptolemæi major ex Euridice, Ceraunus ſeu propter ferociam, ſeu quòd eſſet tanta in rebus gerendis celeritate, cognominatus, jam uxoratus quùm juniorem fratrem à patre prælatum ſibi accepiſſet ex Ægypto cum fratre ad Lyſimachum confugit quòd Agathocles ejus filius Lyſandræ cariſſimæ ſorori ſuæ germanæ ex Euridice matre nupſiſſet cùm eſſet Alexandri Macedoniæ Regis vidua, ut ſuprà diximus. Memnon in excerpt. Porphyr. ex Græc. Euſ.

Ptolemæus autem junior, poſt fratris diſceſſum, ob felicis ad Regnum adven- Athen. lib. 5.

LAGIDAR. an. 38. adventus ſui monimentum, hieme proxima ſumptuoſiſſimum convivium præbuit; in arcis ſepto tentorium, ſeorſim à militum, opificum, & peregrinorum diverſoriis extructum eſt: ad duo tentorii latera, ſiti erant lecti centum aurei: accumbentibus menſæ, tripodes aureæ admotæ ſunt numero ducentæ; ad lectos ſingulos duæ, argenteis fulcris conſtabilitæ.

Ibid. Pompa fuerat priùs per medium civitatis ducta, cujus primum agmen cœpit orto lucifero· ſtatim incedere. Quo enim tempore illa ſtella emergit, tranſvectionis ſui initium; ſecuta eſt deinde ea quæ Regum parentibus ac progenitoribus deſtinatur. Tertia fuit, quæ Deorum omnium ſigillatim hiſtoriam indicabat, cum accommodato illorum apparatu. Sub veſperam poſtrema fuit anni parte ad id diei tempus, ejus egreſſum cogente.

Ibid. In hac celeberrima pompa Alexandri & Ptolemæi ſtatuæ in curru deferebantur cum aureis coronis, hederaceis: Virtutis autem ſimulacrum adſtans Ptolemæo, ex olea coronam auream habebat. Corinthus civitas, Ptolemæo vicina, aureo diademate coronata fuit. Evectæ ſunt & in pompa ſellæ Regiæ multæ ex auro & ebore compactæ. Super Regis Ptolemæi ſella, corona fuit, ex aureis decies mille conflata. Oſtenſæ ſunt & in ea pompa coronæ ter mille ac ducentæ, aureæ, cum altera dicata ſacris, aurea, gemmis nobiliſſimis ſplendente, cubitorum octoginta. Berenices templi hæc valvas circumdabat cum ægide pariter aurea.

Id. ibid. Ludi diebus ſequentibus exhibiti ſunt celeberrimi, in quibus, aureis coronis viginti Ptolemæus Primus donatus eſt. Berenice verò tribus & viginti, ſuper aureis curribus advectis: Ptolemæus Philadelphus coronis aureis viginti donatus eſt & duabus, quæ aureis curribus impoſitæ fuerunt, una cubitorum ſex: quinque, totidem cubitorum: ſex, cubitorum quatuor, ad columnas impactis. Alii has coronas victoribus ludorum à Ptolemæis & Berenice donatas exiſtimant.

Caſaub. Anim. in Athen.

Pauſ. Attic. Lagid. 39. Philad. 2. Arſinoe Ptolemæi Philadelphi ſoror, & Lyſimachi Thraciæ Regis conjux, ubi vidit Ptolemæum Ceraunum ad Lyſandram germanam ſororem confugiſſe, timuit ne ſui poſt mortem Regis, filii, quorum major annum decimum tertium attigerat, in Agathoclis ejus mariti poteſtate eſſent, de ipſius cæde conſilia iniit, primò quidem veneno clanculario, ſed hoc per vomitum rejecto illa deinde eum patri Lyſimacho inſidias ſtruxiſſe falſò criminata eſt. Lyſimachum filium in carcerem conjectum ſententia impudentiſſima ſunt qui ſcripſerunt deprehendiſſe quidem uxoris inſidias in filium; ſed nihil efficere contrà potuiſſe, quòd ſolus eſſet & amicis deſtitueretur.

Memnon excerpt.

Pauſan. Att. Interempto Agathocle, Lyſandra Lyſimachi permiſſu ad Seleucum· ſe recepit, ſecum verò habuit filios & fratres quibus & Alexander Lyſimachi ex Odryſiade uxore filius comitem ſe addidit. Hi cum Babylonem perveniſſent à Seleuco ut bellum contra Lyſimachum ſupplices contenderunt, quod ſuſcepturus promiſit Lyſandræ, & Ptolemæum Ceraunum ut amici filium miſeratus, liberaliter & honorificè tractavit; promiſſis additis fore ut defuncto parente in paternum Regnum ab eo deduceretur: nam fœdus inter illos, ne ſe bello laceſſerent, ictum fuerat.

Lag. 40. Ptolemæus ſecundus quum Ceraunum fratrem & Lyſandram ſororem ex Lyſimachi Aula ad Seleucum aufugiſſe accepiſſet, majorem in Regno ſecuritatem ſtabilire volens uxorem ducere decrevit & legatos ad Lyſimachum Arſinoen ejus filiam in conjugem petituros miſit.

Pauſ. Att.

Euſebius. Plinius. 36. Hoc anno Pharus quam Soſtratus Cnidius ante paucos annos extruere cœperat, ab eo perfecta eſt; illam conſtitiſſe octingentis talentis tradunt, & Architectum ipſi conſcripſiſſe *Diis Servatoribus* id eſt Ptole-

Ptolemæo patri & filio, addito nomine ſuo, non Regum permiſſu, ſed calce ſuperaddita illud occultavit, quæ temporis lapſu recidit, & poſtea apparuit. LAGIDAR an. 39. Lucianus.

Ptolemæus Lagi filius mortem obiit Olymp. 114. annos natus 84. poſtquam regnaſſet 40. alii 39. ſed his (ut videtur) completos. Soter à Rhodiis cognominatus eſt, & Statua illi ab Eleis dicata eſt. Polyb. Joſeph. Pauſan. Att. Lucian.

Princeps fuit fortis, prudens, humanus, clemens, æquus, modeſtus, litteriſque imbutus, ſe Macedonem quidem inſcribi cùm eſſet Rex, permiſit, crebrò apud amicos cœnabat & etiam dormiebat, quòd ſi quando convivium præberet, eorum pocula, veſtes, ſtragulas, & menſas uſurpabat. Ipſe plura neceſſariis non poſſidebat: dicens, magis Regium eſſe ditare, quàm divitias habere. Juſtin. Euſeb. Pauſ. Eliac. Plut. in Apoph.

Alexandriæ recens ab Alexandro magno conditæ, mœnia, templa & Religiones addidit, Regiam, Soma, Hepſtadium, Pharum, Muſæum, Serapium & Hippodromum magnum ad equorum certamen extruxit, Doctos coluit, Philoſophos ex omnibus regionibus evocavit. In ejus Aula degebant Theodorus Atheus, Stilpon Megareus, Diodorus Cronol & Strato Peripateticus. Ad Theophraſtum Philoſophum literas miſit. Ipſe Alexandri magni vitam & expeditiones ſcripſit, ejúſque Hiſtoria legebatur adhuc Hadriani Imp. tempore cùm Arrianus qui ſub eo degebat ſe maximè in vita Alexandri, ſecutum eſſe Ptolemæum Lagi & Ariſtobulum ſcribat. Tacit. Hiſt. lib. 4. Euthic. Annal. Diogen. Laert. Præf. Hiſt.

Tanta fuit moderatione Ptolemæus ut eùm apud Meſſenios ſtatuam equeſtrem in ludis Pythicis dedicavit, ſe Macedonem inſcribendum curaverit, cùm Ægypti Rex eſſet. Grammaticum ob inſcitiam cùm ſubſannaret, interrogabat quis Pelei fuiſſet pater, reſpondit ille, Tu priùs dic, quis Lagi fuerit pater, id dicterium obſcuritatem generis Regi exprobrabat, videbatúrque indignantibus omnibus non eſſe impunè ferendum. At Ptolemæus, ſi non Regium eſt, ait, ſalſè in ſe dicta ferre, ne ſalſè dicta quidem, in alium jacere Regium eſt. LAGIDAR. an. 40. Pauſ. Plutarch. de ira cohib.

Ptolemæus duos habuit fratres Menelaum & Eleum, ille quidem Claſſis fratris præfectus fuit; hic verò Eleaticæ Præfecturæ nomen dedit. a. Curtius. Strab.

Uxores duxit quatuor Apaniam, quam alii Arthonam vocant, Artabazi Perſæ filiam ex qua nullos habuit filios. Secundam Thaidem quæ erat Attica, & quâ antea pro concubina uſus fuerat Alexander magnus. Tertiam Euridicen Antipatri filiam. Quartam Berenicen Philippi Macedonis cujuſdam viduam; duas priores cùm privatus erat: poſteriores verò quum Ægyptum obtinuiſſet.

Filios habuit plurimos ut & filias. Primò ex Thaide, Leontiſcum Lagum, & Irenen Soloni Cypri Regi nuptam ſuſcepit. Secundò ex Euridice, Ptolemæum Ceraunum, & Anonymum à Ptolemæo ſecundo occiſum, filias verò duas, Ptolemaidem Demetrio Polyorceti nuptam, & Lyſandram Alexandri Macedoniæ Regis, Caſſandri filii uxorem, deinde Agathoclis Lyſimachi filii conjugem. Tertiò Ptolemæum habuit ſecundum ex Berenice, & alterum nomine Argæum. Filias Arſinoen Lyſimacho nuptam, & alteram Philoteram. Berenice verò filium ex Philippo habebat Magam, qui Cyrenarum Rex fuit, & filias duas, Antigonen quidem Pyrrho Epirotarum Regi nuptam, & Theogenam Agathoclis Syracuſarum Regis uxorem. J. ſtin. l. 15 Athen. l. 13.

PTO-

NUMMI
PTOLEMÆI SOTERIS.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput Ptolemæi diademate redimitum, in poſtica cujus parte aquila fulmini inſiſtens, cum epigraphe ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ.

Hic nummus argenteus tetradragmalis eſt & aurei pariter hujus Regis reperiuntur, ſed rariſſimi ſunt: at quùm parum inter ſe differant argenteum tantùm exhibemus; aurei porro dragmales ſimili ſtemmate donati occurrunt, argentei nulli alii præter tetradragmales Antiquariorum manibus teruntur: Ærei bidragmales & dragmales viſuntur, ſed nulli cum aquila fulmini inſiſtente.

Ampla & ſenilis illa Regis diademati facies cum epigraphe ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ in averſa parte, dubitare non ſinit, quin iſte nummus ad Ptolemæum Lagi filium, Ægypti primum Regem pertincat, ille quidem jam fere 44. annos natus Ægypti Satrapiam adminiſtrare cœpit, & Regis nomen poſt annum 17. illius dominationis tantùm accepit, poſtquam Antigonus cum Demetrio filio illud uſurpaſſent, itaque annum fere 60. cùm primùm Regis nomen in nummis inſcripſit attigerat: omnes autem Alexandri duces priuſquam ſe Reges appellaſſent, monetam ſuo nomine cudere haud videbantur, ſed Macedonica uti.

Aquila Ptolemæi Soteris ſymbolum fuit, imo & omnium ejus ſucceſſorum Ægypti Regum ſolemne. Illa ab eo multis de cauſis pro ſtemmate aſſumi potuit; vel in memoriam aquilæ quæ ipſi infanti, quùm expoſitus fuiſſet, coturnicibus laceratis ſanguinem pro lacte inſtillavit, ut lupa Romulo & Remo pro ſtemmate data eſt. Vel ob victorias à ſe partas: Ægyptii enim quùm ſuis in ſacris litteris victoriam pingerent, aquilam quòd illa ceteras aves ſuperare ſolet, formabant. Aquila etiam in ſymbolis, fortitudinis & poteſtatis argumentum eſt, ut fulmen imperii, quòd illud Jovi gereret. Id mirè Ptolemæi nomini convenit πτολεμαῖος idem ac πολέμιος bellator.

Caput



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput Ptolemæi diademate ornati, in averſa parte Aquila fulmini inſiſtens cum epigraphe ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ & in area nummi ΑΒ. id eſt Ἀβυδηνῶν. lib. 17. c. 2.

Ptolemæus primus, cognomine *Magnus* à Juſtino appellatur, ſed illo non in nummis uſus eſt, contentus Servatoris nomenclatione à Rhodiis ipſi data, ut in ejus vita diximus; eam in nummis uſurpaſſe nos docent illi ſuperſtites: in hoc autem vox ΒΑΣΙΛΕΩΣ non exhibetur Macedonum Regum priorum more, ut apud Goltzium & in eorum nummis obſervare eſt ΑΡΧΕΛΑΟΥ, ΑΜΥΝΤΟΥ, ΦΙΛΙΠΠΟΥ, & ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ.

Aquila perpetuum Ptolemæi ſymbolum eſt quo ejus ſucceſſores omnes poſtea uſi ſunt.

Literæ ΑΒ, in averſæ partis area exaratæ, initiales urbis nominis in qua nummus fuit percuſſus eſſe videntur, exemplo numiſmatum Alexandri Magni, Lyſimachi, & Seleucidarum, de quibus vide noſtram Syriæ Regum Hiſtoriam. Itaque literas ΑΒ. interpretamur ΑΒΥΔΗΝΩΝ, Abydenorum. Urbs Ægypti Abydus, magna quidem fuit, & primo poſt Thebas loco, Memnoniſque Regia.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput Ptolemæi ut ſuprà diadematum cum eadem epigraphe ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ & aquila ſupra fulmen in averſa parte, in cujus area ΠΗ, id eſt ΠΗΛΟΥΣΙΩΤΩΝ.

Omnes argentei tetradragmales Ptolemæi Soteris nummi, aquilam in averſa parte, tanquam ſollemne ejus ſymbolum præferunt ſola quibuſdam literis

initialibus nomen urbis in quibus cuſi ſunt, exhibentibus, diſſimiles: iis enim plures in Ægypto monetæ cudendæ officinas ut in aliis Regnis, fuiſſe cognoſcimus, ſed pauci illius aurei nummi nobis ſuperſunt, quùm frequenter Alexandri magni numiſmata Antiquariorum manibus terantur & ideò obvia ſint.

Literas ΠΗ. diximus eſſe initiales vocis ΠΗΛουσιωτῶν, in quorum urbe ſignatus eſt nummus: Peluſium autem erat Ægypti oppidum ad Nilum fluvium, à quo extremum verſus Aſiam oſtium, appellatum eſt Peluſiacum. Nomen Pe-
Strab. l. 17. luſium varias habet de Ætymologia ſententias, inter quas à verbo ΠΗΛΟΣ, id eſt lutum, appellationem deſumpſiſſe refert Geographus.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput Ptolemæi Soteris diademate inſignitum in cujus averſa parte caput muliebre faſcia velut diademate cinctum cum capillis in cirros retro cadentibus, & epigraphe ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΤ, ſub mento capitis in area cornucopiæ parvum.

Æreus eſt hic Ptolemæi Soteris ex minima forma nummus, ſed elegans, ad quem verò Regem ſpectet, facies apprimè demonſtrat; quænam verò ſit illa muliebris effigies, ſi mihi conjecturæ locus, Berenice eſt illa, vulgò Magna nuncupata, Ptolemæi Soteris ultima conjux, ſed ſub Iſidis imagine; hæc autem ſimili capillitio ornata depingitur, Loti florem in capite pro Deæ ſymbolo gerit; Berenice autem pro loto faſciam tanquam diadema circa caput adhibuerunt, ut utramque Ægypti Deam & Reginam repræſentarent.

Noſtram conjecturam auget nummus tetradragmalis aureus recens repertus, in quo ab una parte Ptolemæus noſter cum Berenice diademate ornata conſociatus occurrit, ſed eadem oris lineamenta & imago cum ærea illa integrè conveniunt, illum in Ptolemæi Evergetis nummis infrà exhibebimus.

Cornucopiæ illud parvum Ægypti fertilitatis ſymbolum, aut monetarii nota eſt.

Diverſæ magnitudinis, ſecundæ nempe & mediæ inter minimam, occurrunt nummi eoſdem vultus referentes, ſed nobis hanc exhibere ſatis erit.

Monemus quòd etiam plures alios cum epigraphe nuda ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΤ nummos ſine Ptolemæorum Regum effigie obſervavimus, ſed cum Jovis imagine ſignatos, quos ut in Seleucidis ad quemnam Regem illos referre poſſumus, etiam prætermiſimus; at quando aliquod eorum illuſtre cognomen exhibuerunt velut ΕΤΕΡΓΕΤΟΤ vel ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ, illos in eorum ſerie retulimus, ut infrà videre eſt.

PTO-

PTOLEMÆVS PHILADELPHVS,
REX ÆGYPTI. II.



In theſauro Regio.
Ex num. Arg. tetradr.

PTOLEMÆUS Ptolemæi & Berenices filius in Co inſula natus anno LAGIDAR.
Lagidarum 15. patre mortuo ſolus Ægypti Regnum, atque provincias an. 40.
quas ille obtinebat, Phœniciam, Cœleſyriam, Arabiam, Lybiam, Æthio- Philadel. 3.
piam, Cyprum, Pamphyliam, Ciliciam, Lyciam, Cariam, & Cycladas Theocr.
inſulas adminiſtrare cœpit. Idyl.

Demetrio Phalereo infenſus, quod patri conſuluiſſet, ut filiis, quos ex Euridice ſuſceperat, Regnum impertiretur; dicens ſi ALTERI DEDERIS IPSE NON HABEBIS, ut ſucceſſionem ſecundùm naturæ leges relinqueret, Ptolemæus juſſit in provincia ut aſſervaretur, quoad aliquid de eo ſtatuiſſet. Hic ille mœſtior inde vixit, ac veluti dormitans (ab aſpide manum morſus) ex vita migravit, & ſepultus eſt in Buſiridis ſepultura prope Dioſpolim. Diog. Laert.

Arſinoe Lyſimachi filia Ptolemæo Regi in uxorem promiſſa hoc anni principio in Ægyptum à patre miſſa tantùm perveniſſe videtur, & nuptiæ eo ſplendore quo debuerant, nec apparatu celebratæ ſunt, ob Ptolemæi Soteris mortem, cùm tota adhuc aula veſtimentum lugubre, anno nondum præterito, geſtaret.

Seleucus Demetrio apud ſe, & Ptolemæo in Ægypto mortuis gloriæ æmu- Lagid. 1.
latione bellum Lyſimacho inferre decrevit, plurimis hujus Ducibus qui ad il- Philad. 4.
lum certatim deficiebant: itaque milites undique conſcripſit, & copias ex ſupe- Juſtin. l. 17.
rioribus provinciis evocat.

LAGIDAR. an. 41. Theocr. Id. 17. Ptolemæus poſt parentis mortem, præmiatoribus & graſſatoribus vias intra & extra Ægypti oppida liberare aggreſſus eſt: hi enim hoſtium more, infeſta armis reddebant itinera, eos omnes Rex tandem ſuſtulit, Regnúmque tranquillum & ſecurum reddidit.

Juſtin. l. 1. Lyſimachus ubi Seleuci bellum contra ſe apparatum reſcivit, in Aſiam trajiciens, prior bellum Seleuco denuntiat. Ultimum hoc certamen commilitonum Alexandri fuit, & velut ad exemplum fortunæ, par reſervatum. Lyſimachus quatuor & ſeptuaginta annos natus erat. Seleucus & ſeptuaginta: ſed in hac ætate utrique animi juvenilis erant, imperiique cupiditatem inſatiabilem gerebant. Prælium in Phrygia majore ad Corupedium urbem commiſſum eſt, & Lyſimachus in eo interfectus eſt. Porphyr. in Græc. Euſeb. Lyſandra Ptolemæi Soteris ex Euridice filia, Lyſimachi nurus, quæ cum Ptolemæo Ceranno fratre Seleucum comitabatur, ab eo corpus impetravit, & illud Alexander Lyſimachi filius qui cum ea ad Seleucum confugerat, in Thracicam Cherſoneſum deportatum ſepulturæ mandavit.

Pauſan. Attic. Ceraunus Lyſimacho debellato & occiſo Seleucum ſollicitavit ut ſe in paternum Regnum juxta promiſſa reduceret; ſed quum ille & Ptolemæus ejus pater, inter ſe & contra filios bellum nunquam gerere, fœdere icto, pacti eſſent, Seleucus rem procraſtinabat: Ceraunus ubi Seleucum in Macedonia LAGIDAR. an. 43. Memnon Excerpt. 13. Patria ſua, quod reliquum ſenectutis erat, transfigere deſtinare accepit, poſtquam Seleucus Helleſpontum trajecit & verſus Lyſimachiam profectus eſt, illum Ceraunus à tergo aggreſſus confodit, 7. poſt Lyſimachi mortem menſe ut Regnum Macedoniæ quod Lyſimacho cognato eripuerat, occuparet, equi curſu adjutus, Lyſimachiam profugit, ubi impoſito ſibi diademate, cum ſatellitum manu ſpecioſiſſima ad exercitum contendit à quo Rex ſalutatur.

Id. excerp. 18. Antigonus Demetrii filius, cæde Seleuci intellecta expeditionem ſuſcepit in Macedoniam, Ptolemæum antevenire properans, ſed hic expeditas habens Lyſimachi naves, inſtructa acie occurrit: victus itaque Antigonus in Bœotiam ſe recepit, & Ceraunus totum Macedoniæ Regnum, excepta Caſſandrea urbe, occupat.

Juſtin. l. 17. Ceraunus quum & in gratiam memoriæ Magni Ptolemæi patris & in favorem ultionis Lyſimachi ambitioſus apud populares eſſet, primò Lyſimachi filios conciliare ſibi ſtatuit: nuptiáſque Arſinoes ſororis ſuæ, matris eorum, petit, puerorum adoptione promiſſa, ut quum in locum patris eorum ſucceſſiſſet, nihil illi moliri, vel verecundia matris, vel appellatione patris, auderent.

Id. ibid. Legatos ille ad Ptolemæum Ægypti fratrem mittit, concordiam ejus per epiſtolas deprecatus, ſe offenſam erepti paterni Regni profeſſus, neque amplius à fratre quæſiturum, quod honeſtius à paterno hoſte perceperit: Ptolemæus verò ut mutuam fratri benevolentiam ſignificaret, in ejus rei memoriam φιλαδελφῦ nomen aſſumpſit.

Id. ibid. Ceraunus cum Antiocho Seleuci filio, Antigono nuper victo, & Pyrrho qui his ſe juncturus erat, bellum formidans, iis omni arte adulatur, & ut pax inter eos iniretur, effecit, etiam affinitatem cum Pyrrho, Tarentinis adverſus Romanos laturo auxilium, contraxit ei, copiis ex Macedonibus ſelectis & filia in matrimonium, datis, poſtquam Antigonus naves & Antiochus pecuniam Pyrrho conceſſerunt.

Juſtin. lib. 24. Ceraunus exinde externo metu depoſito impium & facinoroſum animum ad domeſtica ſcelera convertit, inſidiáſque Arſinoe ſorori ſuæ inſtruit, quibus, & filios ejus vita, & ipſam Caſſandreæ urbis poſſeſſione, privaret. Primus ei dolus fuit, ſimulato amore ſororis matrimonium petere, aliter

enim

enim ad ſororis filios, quorum Regnum occupaverat, quàm concordiæ LAGIDAR.
fraude pervenire non poterat, ſed nota ſcelerata Cerauni voluntas ſorori an. 41.
erat. Itaque non credenti mandat, velle ſe cum filiis ejus Regni conſortium jungere, cum quibus non ideo ſe armis contendiſſe, quoniam eripere his Regnum; ſed quod id facere ſui muneris vellet. In hoc mitteret arbitrium jurisjurandi, quo præſente apud Deos patrios, quibus vellet obſecrationibus ſe obligaret.

In certa Arſinoe quid ageret: ſi mitteret, decipi perjurio, ſi non mitteret, Id ibid.
provocare rabiem fraternæ crudelitatis timebat. Itaque plus liberis quàm ſibi metuens, quos matrimonio ſuo protecturam ſe arbitrabatur, mittit ex amicis Clodionem: quo perducto in ſanctiſſimum Jovis templum, veterrimæ Macedonum Religionis, Ceraunus ſumptis in manus altaribus, contingens ipſa ſimulacra & pulvinaria Deorum, inauditis, ultimiſque execrationibus adjurat, ſe ſincera fide matrimonium ſororis petere, nuncupaturúmque ſe eam Reginam, neque in contumeliam ejus ſe aliam uxorem, alióſve, quàm filios ejus, habiturum. Arſinoe poſtquam & ſpe impleta eſt, & metu ſoluta, ipſa cum fratre colloquitur, cujus vultus & blandientes oculi, quum fidem non minorem, quàm jusjurandum promitterent, reclamante Ptolemæo filio fraudem ſubeſſe, in matrimonii fratris concedit.

Nuptiæ magno apparatu, lætitiáque omnium celebrantur. Ad concionem Id. cap. 3.
quoque vocato exercitu, capiti ſororis diadema imponit Reginámque eam appellat. Quo nomine in lætitiam effuſa Arſinoe, quia quod morte Lyſimachi prioris mariti amiſerat, recepiſſet: ultrò virum in urbem ſuam invitat, cujus urbis cupiditate fraus ſtruebatur. Prægreſſa igitur virum, diem feſtum urbi in adventum ejus indicit: domos, templa, ceteráque omnia exornari jubet: aras ubique, hoſtias diſponi, filióſque quoque ſuos, Lyſimachum ſedecim annos natum, Philippum triennio minorem, utrumque forma inſignem, coronatos occurrere jubet. Quos Ptolemæus ad cælandam fraudem, cupidè & ultra modum veræ affectionis amplexus oſculis diu fatigat.

Ubi verò ad portam ventum eſt, occupari arcem jubet, pueros interfici. Id. ibid.
Qui cùm ad matrem confugiſſent, in gremio ejus, inter ipſa oſcula trucidantur. Proclamante Arſinoe, quòd tantum nefas aut nubendo, aut poſt nuptias contraxiſſet, pro filiis ſæpè ſe percuſſoribus obtulit: frequenter corpore ſuo, puerorum corpora amplexa protegit, vulneráque excipere, quæ liberis intendebantur, voluit. Ad poſtremum etiam ſpoliata funeribus filiorum, ſciſſâ veſte, & crinibus ſparſis, cum duobus ſervulis ex urbe protracta, Samothraciam in exilium abiit, eò miſerior, quòd mori cum filiis ei non licuit.

Hæc Ceraunoinulta non fuerunt. Quippe Diis immortalibus tot perju- Lag. 42.
ria & tam cruenta parricidia vindicantibus. Galli autem, duce Belgio, ad Philad. 4. Juſtin. l. 24.
tentandos Macedonum animos, Legatos ad Ceraunum mittunt, offe- Memn.
rentes pacem, ſi emere velit; ſed Ptolemæus inter ſuos, belli metu, pa- excer. cap. 15.
cem Gallos petere gloriatus eſt. Nec minùs ferociter ſe Legatis quàm inter amicos jactavit, aliter ſe pacem daturum negando, niſi Principes ſuos obſides dederint, & arma tradiderint; non enim fidem ſe, niſi inermibus, habiturum.

Renunciata legatione, riſere Galli, undique acclamantes, brevi ſenſu- Id. ibid.
rum, ſibi an illi conſulentes, pacem obtulerint. Interjectis aliquot diebus, prælium conſeritur, victique Macedones cæduntur. Ceraunus multis vulneribus ſaucius capitur, caput ejus amputatum & lancea fixum, tota acie ad terrorem hoſtium circumfertur. Paucos ex Macedonibus fuga ſervavit. Ceteri aut capti, aut occiſi, poſtquam regnaſſet Ceraunus annum & quinque menſes.

LAGIDAR. Meleager Ceraunì germanus frater, qui cum eo propter Philadelphi ad
an 42. Dexipp. in Ægypti electionem ex hoc Regno in Thraciam profugerat, & illum ad Seleu-
Græc. Euſ. cum cum Lyſandra ſorore ſe recipientem comitatus erat, poſt Ceraunì mor-
tem Macedoniæ Regnum occupat, ſed poſt menſes duos à Macedonibus eje-
ctus eſt, Antipatro Philippi fratris Caſſandri filio, in ejus locum ſubſtitu-
to, Meleager ſe in Cyprum inſulam recepit, Philadelphi permiſ-
ſu.

Ptolemæus Philadelphus cùm Ceraunum à Gallis interemptum & Melea-
grum è Macedoniæ Regno ejectum accepiſſet; Arſinoen ſororem in Samo-
thracia exulem à Soſthene tum in Macedonia moderante petiit. Dum verò
Plutarch. de illa filiorum in inſula lamentaretur, acceſſit ad eam Philoſophus qui Damo-
Conſol. ad Ap. nis luctus fabula ipſi narrata, mirabili arte eam à fletu & lamentatione deduxit.
Arſinoe verò è Samothracia in Ægyptum ad fratrem Ptolemæum ſe protinus
recepit.

LAGIDAR. Argæus Philadelphi frater ex Berenice matre minor, inſidias illi comparavit,
an. 43. quas quum detexiſſet Ptolemæus, eum mox interfici juſſit.

Lagid. 43. Philad 5. Meleager alter Philadelphi frater, ſed ex Euridice natus, quem ex Mace-
Pauſ. Attic. doniæ Regno pulſum poſt Ptolemæi Ceraunì fratris mortem, in Cyprum in-
p. 12. ſulam Philadelphi permiſſu ſe recepiſſe ſuprà diximus, Cyprios ad defectio-
Lagid. 44 Philad 6. nem ſollicitare cœpit, quod quum ſenſiſſet Ptolemæus, illum pariter oc-
Id. pag. 16. cidi juſſit.

Lagid. 45. Philad. 7. Antigonus Gonatas, Soſthene, qui Macedoniæ etiam Regnum ſuſceperat,
Porphyr. in defuncto, in illud profectus, quod pater Demetrius jam in eo regnaverat,
Græc. Euſ. ipſum occupavit, & illud per plurimos annos ejus poſteri adminiſtraverunt
uſque ad Perſen, quo devicto, illud Romani in Provinciam redege-
runt.

Lagid. 46. Arſinoe Lyſimachi filia Philadelphum maritum præcipuo in honore Arſi-
Philad. 8 noen ſororem habere animadvertens, zelotypia laborare cœpit & in ejus
Theocr. necem conſpiravit unà cum Amynta & Chryſippo Rhodio Medico ſuo,
Schol. cujus facinoris convicta eſt, Rex quidem illos ſuſtulit, Arſinoen verò conju-
gem Coptum Thebaidis urbem relegavit, quum jam Ptolemæum & Ly-
ſimachum filios, atque Berenicen filiam, ex ejus matrimonio habe-
ret.

Lagid. 47. Philadelphus relegata uxore, germanæ ſororis Arſinoes amore victus eam
Philad. 9. ſibi matrimonio adjunxit: atque id non ſanè ex Macedonum, ſed Ægy-
Pauſan. Attic. ptiorum quibus imperabat, lege fecit.

LAGIDAR. Arſinoe Thraciæ olim Regina nunc Ægypti Princeps ſummo apparatu,
an. 48. Philad. 10. ut populorum gratiam ſibi conciliaret, Adonidis feſta celebravit, ejus mor-
tem tanquam altera Venus primo die lugebat ab apro Amaſium occiſum, alte-
Petr. Ceſt. ro eum redivivum & luci reſtitutum canebat. In pompæ traductione Adoni-
de Feſt. dis ſimulacrum circumferebatur: pompa jam ad terminum perducta lectus
Græc. eſt ſtratus, in quo illius effigies populo ſpectanda eſt reclinata, & illi omne
genus fructuum obtulit: Unde Theocritus.

Idyll. *Arſinoe multifariis bonis ornat Adonim.*

Philadelphus licèt annos triginta quatuor aut quinque tantùm natus eſſet, ſed
quum ſoror Arſinoe ipſo vetuſtior eſſet & filios procreandi ætatem ſuperaſſet,
ſuos ex priore Arſinoe Lyſimachi filia genitos ipſi adoptandos dedit: qua de re
Ptolemæus Evergetes illius filius ex Arſinoe Lyſimachi filia genitus in marmore
Adulitano ob hanc adoptionem, Ptolemæi Regis & Arſinoes Reginæ, Deorum
fratrum filius inſcribitur.

Lagid. 49. Hoc anno Berenice mater Philadelphi ex illius nummorum conjectura, è
Philad. 11. vivis deceſſit ut infrà videbimus.

Ptole-

Ptolemæus Pyrrho à Romanis devicto illorum amicitiam petere decrevit, & ad Senatum Legatos miſit: itáque Alexandrini Romam venerunt & amicitiam petitam obtinuerunt.

LAGIDAR. an. 48 Lagid. 50. Philad. 12.

Romani læti quod ſummæ Rex autoritatis tanti eos feciſſet, Q. Fabium Gurgitem, C. & N. Fabios Lictores & Q. Ogulnium Legatos ad illum viciſſim miſerunt.

Eutrop. Diod. in excerp. Leg. Urſin.

Hi quùm ad Philadelphum, Alexandriam perveniſſent & à Rege miſſa munera ſpreviſſent, interjectis diebus ad cœnam invitatis aureæ datæ ſunt coronæ: quas illi honoris cauſa receptas, poſtera die ſtatuis Philadelphi impoſuerunt, munera verò, quæ ab illo magnifica privatim acceperant, in ærarium, & quidem priuſquam ad Senatum Legationem referrent, detulerunt, de publico ſcilicet miniſterio nihil quidquam, præter laudem bene adminiſtrati beneficii accedere debere judicantes. Jam illud humanitatis Senatus & attentæ majorum Diſciplinæ judicium fuit. Data ſunt tunc Legatis, quæ in ærarium repoſuerant, non ſolùm Patrum Conſcriptorum decreto; ſed etiam populi permiſſu, eáque Legatis, Quæſtores pompte unicuique diſtribuere. Ita in iiſdem Ptolemæi liberalitas, Legatorum abſtinentia, Senatus ac P. Romani æquitas debitam probabilis facti portionem obtinuit.

Lagid. 51. Philad. 13 Val. Max. lib. 4

Pyrrhus poſt tot egregia belli facinora poſtquam Argos noctu ingreſſus eſſet, ab anu quadam occiſus eſt tegula; Antigonen uterinam Philadelphi ſororem, ex eadem Berenice matre genitam duxerat uxorem.

LAGIDAR. an. 51. Plutarch. in ejus vita.

Philadelphus, licèt eſſet adhuc juvenis & 37. ad 38. annum tantùm perveniſſet, ſed quùm Arſinoe Soror vetuſtior eſſet & filios procreandi ætatem fermè ſuperaret, illi ſuos è priore matrimonio adoptandos dedit, unde Ptolemæus Evergetes Ptolemæi Regis & Arſinoes Reginæ, Deorum fratrum filius inſcribitur.

Lagid. 52. Philad. 14. Theocr. Schol. Lagid 53. Philad. 15.

Areus Spartanorum Rex contra Antigonum auxiliares copias à Philadelpho petiit, quas illi ſub Patroclo Claſſis ſuæ duce miſit.

Marm. Adul. Juſtin. l. 26.

Quum autem multiplici bello & Ptolemæi Regis & Spartanorum premeretur Antigonus, Gallos tamen aggreditur & vincit, poſt cujus pugnæ eventum Philadelphus & Spartani victorem exercitum declinant & in tutiora ſe recipiunt. Antigonus verò ubi eorum diſceſſum videt, Athenienſibus bellum infert, illi opem à Philadelpho poſtulant.

Lagid. 54. Philad. 16. Id. ibid. Lagid. 55. Philad 17.

Ptolemæus Patroclum cum Claſſe ex Ægypto contra Antigonum mittit; Lacedæmonii Areum Regem etiam ſecuti ſunt, ſed quum Athenas ita premeret ut aditu omni ſociorum auxilia prohiberentur, Patroclus per nuntios monuit Lacedæmonios ut prælium cum Antigono inirent, ſe interim Macedonum terga invaſurum, Patroclus quidem & ſocii ſuperiores fuere; ſed ideo non obſidionem urbis ſolverunt; itáque Areus commeatu conſumpto domum ſe recepit, Athenienſes verò quùm diù reſtitiſſent, præſidium in muſæo accepere.

Lagid. 56. Philad. 18.

Patroclus Ægyptum poſtea repetens Sotadem Poetam cepit, quum ille navim conſcenſus ex Alexandria ſolviſſet, & à periculo tutus videretur, eum invenit Cauno Cariæ maritima urbe & in amphora plumbea incluſum, in altum devexit & demerſit, quia in Philadelphum ſæviſſimè debacchatus erat & Arſinoes potiſſimùm ſororis exprobraſſet nuptias.

Athen. lib. 14. c. 4.

Philadelphus autem viros eruditos alliciebat, & ubicumque locorum celebrabatur aliquis doctrina præ aliis excellens eum ad ſe accerſebat; undique libros ut Bibliothecam à patre inchoatam augeret, colligebat: porro quum plurimis eam codicum adornaſſet myriadibus, quidam dixerunt ab eo Alexandrinam fuiſſe inſtructam Bibliothecam.

Athenienſes poſtquam ex præſidio, quod in muſæo poſuerat Antigonus liberatos ſe viderunt: nam illud eduxerat Antigonus contra Alexandrum Pyrrhi filium, qui patris mortem ulturus Macedoniæ fines populabatur; memores

Lagid. 57. Philad. 19. Juſtin. l. 26.

auxilii

LAGIDAR. an. 57. auxilii à Philadelpho contra Antigonum miſſi tribum unam de illius nomine, Ptolemaida indigitarunt.

Lagid. 58. Philad. 20. Pauſ. Attic. Magas Philadelphi frater uterinus Cyrenæis à Berenice illorum matre præfectus ut deficerent ab illo, perſuaſit, & in Ægyptum cum exercitu movit. Interea reliquit ſocios qui urbem tuerentur, inſtrumenta verò atque tela ac machinas in arcem incluſit, & mœnium propugnacula ſuſtulit, ut ſi quid novarum rerum molirentur, apertum haberet per mœnia introitum.

11. ibid. Occupato tandem Paræronio Marmaricæ urbe littorali inter Alexandriam & Cyrenen, compoſuit cum ſpeculatoribus ut facem amicam tollerent ſub veſperam, atque iterum ſummo mane eandem accenderent, facium itaque dolo proceſſit in regione uſque ad eum locum qui *Chius* dicitur: ubi de Marmaridarum defectione nuntium eſt allatum, Cyrenas agmen retro agere coactus eſt.

11. ibid. Philadelphus quos aditus ex omni parte munitos, ſe ad Cyrenæorum impetum ſuſtinendum comparabat, ſed diſceſſu Magæ intellecto, quùm illum perſequi Rex conaretur, id ei fuit impedimento, quòd quum ad ſuſtinendum Magæ impetum, & alios mercenarios milites, & Gallorum quatuor ferme millia conducta haberet, & eam manum de Ægypto occupanda, conſilia inire comperiſſet, eos in deſertam inſulam per Nilum deduxit, quo in loco ad unum omnes, cùm mutuis confoſſi vulneribus, tum fame enecati, periere. Schol. ſt. Calimach. Alii Philadelphum eos ad Nili oſtium, quod Sebennyticum vocatur, abduxiſſe atque illic demergendos curaſſe narrant.

Lagid. 59. Philad. 21. Miſſis diverſis de tempore quo 70. Interpretes Sacros Codices in Græcam linguam verterunt, gravium autorum ſententiis, ex Hiſtoriæ Ptolemæi Philadelphi contextu illius Verſionem hoc anno appoſuimus ut magis Regis ætati conſonam.

Ariſt. lib. Cùm indefeſſus libros in omnibus linguis exaratos conquirendi eſſet Philadelphi animus, illum hortatus eſt Bibliothecæ præfectus, forſan Zenodotus, quùm Demetrius Phalereus, ſi Hermippo & Ciceroni fides, mortuus eſſet, ut libros à Judæis poſtularet, quare Ariſteam & Andream præcipuos è ſuis proceribus viros ad Eleazarum illorum Pontificem miſit, & ut illos faciliùs obtineret, Judæis in Ægypto captivitate detentis libertatem concederet, perſuaſit Soſibius. Diogen. Laert. Orat. pro C. Rabir.

LAGIDAR. an. 59. Joseph. Antiq. l. 12. Rex cum epiſtola, dona etiam ad templi Hieroſolymitani uſum, miſit menſam auream longitudinis duorum cubitorum & ſemiſſis, altitudinis ſeſquicubitalis, & craſſitudinis non minoris ſemicubito: undique ex auro probato ſolidam, & non aureis laminis extrinſecus obductam. Crateres argenteos duos, capientes pluſquam duas metretas; cum ſimilibus argenteis tribus. Phialas aureas viginti & argenteas triginta, ad quorum omnium confectionem exhibuerat ille auri 50. pondo talentorum, argenti 70. & lapides pretioſos non pauciores quinque millibus, adeò ut quintuplo pretium auri ſuperarent lapides, & artificum induſtria. Miſit inſuper & Rex, ad ſacrificia aliósque templi uſus, argenti talenta centum.

Euſebius de Præp. Evang. Eleazarus Pontifex hiſce receptis, ex ſingulis tribubus, ſex viros Seniores & genere & doctrina & rerum uſu præſtantes ſelegit, qui Sacros Codices, uti Rex poſtulabat, ex Hebraica lingua in Græcam traducerent, & Epiſtolam ad Philadelphum ſcripſit *ſi & tu, & Arſinoe ſoror tua, & liberi valeant; bene ſe res habet, & ut cupimus.* Et Hoſtias pro illis offerre in ſacrificiis deinde addit, ob beneficia in cives ſuos collata.

Ibid. lib. 2. de Vit. Moſis. Seniores Alexandriam ingreſſi munera ab Eleazaro miſſa Philadelpho obtulerunt, cum membranis variis in quibus Lex lingua Hebraica, (Philoni autem Chaldaica) conſcripta erat, illos magnifico deinde convivio per plures dies

dies Ptolemæus excepit, eorum curam gerente Dorotheo, & cibaria pro victus eorum peculiari ratione miniſtrante, & Rex per intervalla quædam quæſtiones politicas & morales eorum ſingulis propoſuit, quibus illi extempore prudenter admodum reſponderunt. Hinc mandavit ſingulis talenta tria donari, & puerum qui ea obtulit.

LAGIDAR. an. 57. Ariſt. lib.

Bibliothecæ præfectus poſt aliquot dies, per aggerem maris ſeptem ſtadiorum cum Interpretibus progreſſus, trajecto ponte in Pharon Inſulam eos adduxit, & in domo juxta ſeptentrionale littus ſplendidè extructa, atque ab omni tumultu & ſtrepitu remota, eos collocavit. Ibi interpretationem illi aggreſſi, ſingula ex collationibus ad conſonantiam elaborabant. Quæ deinde exſcribenda curabat Bibliothecæ præfectus.

Ibid.

Quotidie quidem ad horam uſque nonam eo in ſtudio verſabantur, deinde diſcedebant ad curandum corpus: quibus omnia largè ſuppeditabantur quæ cupiebant, & præter hæc quotidie de illis quæ Regi apparabantur, his Dorotheus ex mandato Regio ſubminiſtrabat. Atque etiam quotidie bene mane veniebant in aulam, & ſalutato Rege redibant ad ſuum locum: lotiſque ex mari manibus, & precibus ad Deum peractis pergebant legere & ſingula interpretari. Alii in 36. cellulis, binos ſcilicet in ſingulis, alii in 72. concluſos fuiſſe ſcribunt.

Ibid. Epiphan. Joſeph.

Abſoluta eſt interpretatio totidem diebus, quot erant Interpretes, & lecta eſt Judæis omnibus ibi congregatis, præſentibus ipſis Interpretibus, deinde ad Regem delata, qui libros religioſè aſſervari juſſit, & dimiſſis Interpretibus, eos muneribus locupletavit, & Eleazaro Pontifici per illos miſit decem lectos argenteis pedibus ſuffultos, cum eis competenti apparatu, calicem 30. talentorum, ſtolas 10. purpuram, coronam decore inſignem, & byſſina linteola circiter centum: adhæc phialas & trullas, & duos aureos crateras ad libationes ſacras.

Iid. ibid.

Philadelphus Ægypti Regum primus Elephantorum venationem inſtituit, poſtea qui eorum carne veſcebantur, edicto venatores juſſit, ut vivos ſibi haberet, ſed fruſtra, nam ii cum toto Ægypti Regno ſe ſe præſente hunc victum non permutaturos eſſe ab illis reſponſum accepit.

LAGIDAR. an. 59. Lagidar. 60. Philad. 22. Memnon.

Eumenem in Troglodyticam uſque Æthiopiæ regionem ad eorum venationem miſit, qui urbem de nomine ſuo Ptolemaidem condidit in ora Maris Rubri, inde Theron, hoc eſt venationum appellatam, quod Elephantorum venatores ex illa ad venandum excurrerent; poſt eam urbem, circiter trium millium intervallo, Aduli emporium legitimum erat.

Excerpt. Agathare. de Rub. Mar. Strab. l. 16. Arrian. in Peripl. Eryth.

Viam aperuit Philadelphus ex Arabico ſinu Coptum foſſa perducta, ac diverſoria conſtituit tam pedibus iter agentibus, quàm camelis, idque effecit quoniam Rubrum Mare difficulter navigaretur, præſertim ex intimo receſſu, omnéſque Indicæ & Arabicæ partes & Æthiopicæ etiam quæ ex Arabico ſinu advehebantur, Coptum delatæ ſunt, iſtarum mercium emporium.

Lagid. 62. Philad. 24. Strab. l. 17.

Urbem de ſororis & uxoris nomine Arſinoen in intimo ſinu Arabico *Charandra* dicto condidit, miſit & Satyrum qui Philoteram etiam ab altera ejus ſorore, urbem nomine extrueret.

Plin. l. 6.

Magas Cyrenes rex Philadelphi frater uterinus, qui paucos ante annos in Ægyptum appulerat ut bellum Philadelpho inferret, uxorem poſtquam Apamem Antiochi Syriæ Regis filiam duxiſſet, ſuo ſocero perſuaſit, ut violato fœdere quod ejus patri Seleuco cum Ptolemæo Sotere ictum fuerat, Ægyptum invaderet, quod quum Antiochus comparato exercitu moliretur, Philadelphus in omnes populos quibus imperabat Antiochus, copias dimiſit, quæ imbecilliores excurſionibus prædonum more, ac populationibus infeſtos redderent, validiores acie adorirentur. Quod ſanè conſilium omnem in Ægyptum proficiſcendi facultatem eripuit.

Lag. 61. Philad. 23. Pauſan. Attic.

 Ma-

LAGIDAR. an 62. Simſon. Hiſt. Cath. p. 5.

Manethos Sebennyta, Heliopolites Hiſtoriam Ægyptiacam hoc anno in Græcam linguam tranſtuliſſe videtur, eámque Ptolemæo Philadelpho dicavit, ſiquidem Beroſo contemporaneus fuit.

Euſeb. Chron.

Antiochus Soter Syriæ Rex poſtquam regnaſſet annos viginti mortuus eſt, cui ſucceſſit ejus filius Antiochus II.

Lag. 63. Philad. 25. Trog. prol. lib. 26. Appian. Syr.

Philadelphus Timarchum Cariæ præfecerat: nam ille Pamphyliam, Ciliciam, Lyciam, Cariam, & Cycladas Inſulas, ut ſuprà diximus, poſſidebat, ipſe cum Ptolemæi filio, à Rege defecit, & quum apud Mileſios tyrannidem accepiſſet, Antiochus II. Syriæ Rex ab iis rogatus Timarchum ſuſtulit in cujus rei memoriam Antiochum primi Deum cognominaverunt.

Strab. l. 14.

Philadelphus cùm Pataram in Lycia urbem auxiſſet, ab uxore, Arſinoen, vocavit, ſed illa antiquum poſtea nomen retinuit.

Lagid. 64. Philad. 26. Athen. l. 5. Appian.

Quæ moliebatur ac edebat Philadelphus, omnia ſtudio honoris, & gloriæ cupidus magnifico ſumptu abſolvit. Navium autem multitudine ſuperavit omnes. Ampliſſimæ apud eum fuerunt, ordinum triginta, duæ; ordinum viginti, una: quatuordecim ordinum, quatuor: ordinum duodecim, duæ: undecim ordinum, quatuordecim: novem ordinum, triginra: ſeptem ordinum, triginta ſeptem: ſex ordinum, quinque: ſeptemdecim quinqueremes: quadriremes, triremes, & hemiolæ, duplo plures: triremes ab Hemiolia ad lintres mille & quingentæ: navigia verò quæ ad Inſulas dimittebantur, plurima.

Lagid. 65. Philad. 27. Juſtin. l. 26.

Magas Philadelphi uterinus frater Cyrenæ Rex, ut certamina cum fratre finiret, Berenicen filiam Ptolemæo ejus filio primogenito, paulò ante infirmitatem deſpondit.

Lagid. 66. Philad. 28. Athen. lib. 12. c. 12.

Poſtquam autem Magas Cyrenis annos quinquaginta regnaſſet ipſe autem poſt Ophellam ab Agathocle interfectum anno Lagidarum 16. qui Cyrenaicam provinciam Ptolemæo Soteri ſubegerat, interventu Berenices matris præfectus fuerat, quum bellis non occuparetur & luxu difflueret, immenſa carnis mole auctus eſt, ut ſub vitæ finem prodigioſus eſſet corporis tumor, tandémque pinguedinis copia exanimatus eſt, partim ob ignaviam, & ſegnitiem, partim ob ingluvien & nimiam cibi voracitatem.

LAGIDAR. an. 66. Juſtin. l. 26

Poſt mortem Magæ, mater Berenices virginis Apame, aliis Arſinoe, ut invita ſe contractum cum Ptolemæo Philadelphi filio matrimonium ſolveretur, miſit qui ad nuptias filiæ, Regnúmque Cyrenarum, Demetrium Antigoni Regis fratrem qui & ipſe ex Ptolemaide Ptolemæi Soteris filia procreatus erat. Sed nec Demetrius moram fecit. Itaque cùm ſecundante vento celeriter Cyrenas advolaſſet, fiducia pulchritudinis, quâ minus placere ſocrui cœperat, ſtatim à principio ſuperbus, Regiæ Familiæ, militibúſque impotens erat; ſtudiúmque placendi à virgine in matrem contulerat.

Ibid.

Hæc res ſuſpecta primò virgini, dein popularibus, militibúſque inviſa fuit. Itaque verſis omnium animis in Ptolemæi filium, inſidiæ Demetrio parantur: cui cùm in lectum ſocrus conceſſiſſet, percuſſores immittuntur; ſed Apame audita voce filiæ ad fores ſtantis & præcipientis ut matri parceretur, adulterum pauliſper corpore ſuo protexit. Quo interfecto, Berenice & ſtupra matris, ſalva pietate, ulta eſt; & in matrimonio ſortiendo, judicium ſecuta.

Lagid. 67. Philad. 29. Hieron. in Daniel.

Apame in Syriam ad fratrem Antiochum Deum dimiſſa, autor fuit ei, ut poſtea contra Philadelphum bellum geſſerit.

Berenice ad Ptolemæum Philadelphi filium Alexandriam deducta eſt ut matrimonio collocaretur. Nuptiæ magno apparatu ut tantum Regem decebat, celebratæ ſunt.

Lag. 68. Philad. 30. Plut. in vita Arati.

Aratus Sicyonius Philadelphum jam pridem expertus benevolum quòd picturis & tabulis Græcis eum honoraſſet, Pamphyli inprimis & Melanthi;

nam

nam ab eo viginti jam talenta acceperat quæ egenis ſuis civibus cùm in alia, LAGIDAR.
tum ad redimendos captivos elargitus fuerat, at quum ſexcentos Conſules, an. 67.
qui fuerant civitatis locupletiſſimi reſtituiſſet & difficultatem de bonis &
poſſeſſionibus eorum ipſis reddendis, opus eſſe ad eam rem conſtituendam
pecunia. Quare Aratus unicam ſpem videns Philadelphi liberalitatem, celeriter ad magnificum hoſpitem perrexit navigare.

Poſt multos mari perpeſſos labores, ubi in Egyptum venit, & Philadel- Id. ibid.
phum adiit, cui quum expoſuiſſet, patriam ſe liberare cupere, cauſámque docuiſſet, à Rege opulentiſſimo Aratus dono civitati ſuæ centum &
quinquaginta talenta accepit, ex quibus quadraginta ſecum ſtatim auferens, in Peloponneſum rediit.

Quum verò Rex Antigonus Aratum ad ſe traducere cuperet, capta hinc Lagid. 69
anſa homines malevoli illum Regi Philadelpho criminati ſunt. Philad. 31. Id. ibid.

Eleazarus Judæorum Pontifex hoc anno defunctus eſt, & frater ejus Ma- Lagid. 70.
naſſes Pontificatum accepit. Hi duo, Eleazarus & Manaſſes, Simonis Ju- Philad. 32. Euſeb.
ſti filii erant. Chron.

Interea Philadelphus & Antiochus Syriæ Rex totis Babylonis atque Orien- Lagid. 71.
tis viribus dimicabant; ſed nulli autores tam atrocis belli, prout geſtum eſt, Philad. 33. Hieron. in
ſingulatim expoſuerunt. Daniel.

Philadelphus etſi bello maximo implicitus, libris conquirendis finem non LAGIDAR.
ponebat, imò illum Bibliothecam anno Olympiadis 132. in hoc Lagidarum an. 72. Lagid. 72.
incidente inſtituiſſe refert Porphyrius, nempe in ampliorem locum, ut aiunt, Philad. 34.
Serapium, quam Bibliothecam Ptolemæus pater in Bruchio collocaverat, in Græc. Euſeb.
ut magnificus erat, plurimis myriadibus auctam tranſtulit. Tertullian.

Imbecille corpus erat Philadelpho, ideo bellum per Duces contra Antio- Lagid. 73.
chum gerebat qui ætate conſiſtente tunc florebat, & quum per multos dies Philad. 35.
articulari pedum morbo afflictatus fuiſſet, ubi convaluit, per feneſtras deor- Athen. l. 12. c. 9.
ſum apertas, Ægyptios intuitus ad fluvium prandentes, & iis veſcentes quæ
fortè aderant, in ſabulo temerè diſtentos ac jacentes. Me miſerum! inquit, quòd non ex illis unus ſim: At verò ut erat cognitionis rerum apprimè Strab. l. 17.
ſtudioſus, propter ſuam corporis imbecillitatem, ſemper novæ alicujus appetens, homines uſque ad cinnamomiferam regionem amandavit, qui
Nili inundationis cauſam, viſu ipſo cognoverunt.

Antiochus Syriæ Rex ubi Arſacem & Tiridatem fratres, Parthiam ad de- Lagid. 74. Philad. 36.
fectionem pertraxiſſe accepit; Theodotum mille urbium Bactrianarum Præ- Memnon
fectum etiam defeciſſe, & totius Orientis populum illorum exemplum ſecu- Excerpt.
tum, ab ejus imperio eſſe alienatum, à pace cum Ptolemæo inienda haud
alienus fuit.

Itaque Ptolemæus valetudine licèt eſſet infirma, ſempiternam vitam ſibi Lagid. 75.
futuram ſomniabat, ſtultè jactitans à ſe ſolo repertam fuiſſe immortalitatem, Philad. 37. Athen. l.
luxui importuno ſemper indulgebat, ideo volens poſt multos annos moleſtum 12. cap. 9.
finire cum Anhocho certamen, filiam ſuam Berenicen ipſi dedit etſi de prio- Hieron. in
re uxore Laodice, ex eodem patre ſorore & quidem adhuc vivente, duos Daniel.
filios haberet Seleucum & Antiochum.

Philadelphus infinita auri, & argenti millia dotis nomine, Berenice filiæ Lagid. 76.
dedit: unde φερνοφόρος, id eſt, dotalis appellata eſt, illam Peluſium dedu- Philad. 38. Hieron. in
xit, ubi navem conſcenderunt ſimul cum tota aula, & Seleuciam maritimam Daniel.
ad oſtia Orontis appulerunt: ubi Antiochus ſponſam cum ornatu ſplendi- Liban. orat.
diſſimo recepit, & nuptiæ ibi ſollenniter celebratæ ſunt: Dianæ autem pul- 21.
chritudine perculſus Philadelphus, voluit ſimulacrum ſuæ ipſius eſſe, &
ſigno accepto exceſſit.

Dea autem quæ illic quidem colebatur, urbem ſuam & provinciam ap- Id. ibid.
petebat: proinde morbo uxorem Regis qui tranſtulerat, percuſſit, & in ſom-

 niis

LAGIDAR. an. 76. niis admonuit qua de cauſa hæc faceret. Statua remittitur ab iis qui eam commoverant, & templo antiquo recipitur, nomen verò ipſi, ad hoc opus demutatur, & Eleuſinia eſt appellata.

Lagid. 77. Philad. 39. Plin. l. 7. c. 19. Arſinoe Philadelphi ſoror & uxor ſeu ex infirmitate à Diana ipſi immiſſa, ſeu ex alio morbo è vivis deceſſit, deſiderium ſui magnum fratri relinquens, cujus ſtatuam quatuor cubitorum ex topazio, quod Philemo Arabiæ præfectus Chiti, vel Topazo inſula Berenice matri olim attulerat, facere curavit, ut eam præſentem ſemper haberet.

Id. l. 34. c. 42. Athen. l. 7. Plin. lib. 36. cap. 9. Philadelphus templum Alexandriæ in ſororis & uxoris defunctæ honorem ædificari juſſit, quod magnete lapide Dinocrates Architectus concamerare inchoaverat, ſed interceſſit mors & Architecti & Regis. Ægyptii huic Reginæ ad Zephyrium promontorium fanum extruxerunt, ſub nomine Veneris Zephyritidis. Obeliſcus in Arſinoe urbe de ſororis appellatione vocata, poſitus eſt à Rege munus amoris in conjuge, erat octoginta cubitorum, illam exciderat Nectabis Rex, purum majúſque fuit in devehendo ſtatuendóve, multò quàm in excidendo, à Satyro Architecto devectum tradunt rate, eúmque donatum talentis quinquaginta.

Arſinoen tanto amore proſequutus ſororem & uxorem Philadelphus ut ejus nomen tanquam immortale reddere conatus ſit per urbes quibus ejus Pauſan. Attic. nomen indidit, præter Pataram in Lycia de qua ſuprà diximus, alteram condidit ad Delta, ex qua appellationem accepit nomos Arſinoites.

Lagid. 78. Philad. 40. Non multùm Rex cariſſimæ ſorori & uxori ſuperſtes fuit, ſeu mœrore, ſeu alio morbo extinctus, anno climacterico nempe ætatis 63. è vivis exceſſit, quum regnaſſet annos 40. duobus numeratis, ut nos docent ejus nummi, à patris ad Regnum, ceſſione. Reliquit Ptolemæum III. & Lyſimachum filios cum Berenice Antiocho Syriæ Regi nupta, quam ita dilexit ut mittendam ad ipſam Nili aquam ſedulò ad bibendum curaverit, ex priore Lyſimachi Theocrit. Schol. filia conjuge, quam leſæ majeſtatis crimine convictam, Coptum primùm relegavit, & cui Soſibius Philadelphi à conſiliis, necem deinde comparavit. Nullos ex Arſinoe ſorore, ſecunda uxore filios habuit, quòd forſan illa ætate jam provecta fuerit, quando illam ſibi matrimonio copulavit.

Athen. l. 12. Rex fuit omnium ſuo ſæculo Principum graviſſimus, & ſi quis alius humanioribus diſciplinis deditus, ac eruditus. Præceptorem habuit in juvenilibus annis Stratonem Lampſacenum quem talentis octoginta donavit. Hominum doctorum conſuetudine delectatus eſt; ideo ex omni Græcia ad eum con-Idyll. 15. fluxere plurimi, inter quos fuit Theocritus poëta Syracuſanus qui in ejus Lycophr. Schol. honorem, encomium compoſuit. Lycophron poëta Calchidenſis qui in Strab. l. 17. ejus & Arſinoes ſororis gratiam ingenioſos excogitavit anagrammatiſmos. Ælian. var. Hiſtor. Callimachus poëta Cyrenæus Philadelpho blanditus eſt Hymno in Delum. Zoilus Amphipolitanus, qui canis Rhetoricus vocabatur, Alexandriam venit, qui in Iliadem & Odyſſeam Homeri ſcripſit, ſed quum Soſibium à Phi-Athen. l. 11. ladelphi conſiliis, admirandum quæſtionum enucleatorem, aliquando irriſiſſet, quando penſionem à Quæſtoribus poſcebat, ipſi indignatus Rex nihil elargitus eſt.

Galen. in l. 3. Hipp. Plurimi ejus Principis tempore floruerunt alii poëtæ & Hiſtorici, & tanti erat Ptolemæus ſtudii ad veterum libros comparandos, unde magnum eſſe referunt argumentum, rationem quam habebat cum Athenienſibus, qui quindecim pignoratis argenti talentis, ab eis accepit Sophoclis & Euripidis, Æſchylique libros ut eos tantùm deſcriberet, & mox ſartos tectos reſtitueret. Ita operum Ariſtotelis conquirendorum, perſtudioſus fuit, ut pecu-Ammon. Herm. ſch. in Ariſt. Categor. nias iis perſolveret, qui illius Philoſophi libros ad ipſos afferrent. Quo factum

factum eſt ut quidam, quæſtum conſectantes, libros Philoſophi nomine inſcri- LAGIDAR.
bentes comportarent, adeo ut in ejus Bibliotheca, Analyticorum Ariſtotelis an. 76.
quadraginta, Categoriarum duo libri inventi fuerint.

Plurimos Rhodo libros nactus fuerat, & omnium in Ægyptum navi- Galen. ut
gantium libros ad ſe deferri jubebat, & tranſcribi curabat, & quos à Dominis ſuprà.
acceperat, in Bibliotheca ſua reponebat, redditis iis illis quos exſcripſerat libris;
ita ut plures quos accerſerat deſcribendos, poſt illius mortem, ab ejus filio
Evergete remiſſi ſint. Bibliothecam novam in Serapidis templo, quam Plin. l. 13.
ideo Serapium dixere, conſtruxit. Alii verò ſucceſſores Reges eam ita au-
xerunt, ut ſeptuaginta Voluminum millia bello Alexandrino ſub Ptolemæo, Senec. l. de ira.
Cleopatræ fratre à Julio Cæſare excitato, conflagrarint.

Inſtituta ſunt ab eo ſtudia Alexandriæ & ſchola publica erecta, ut eſſent Aul. Gel. l.
communia ſingulis & omnibus diſcere volentibus Plurima Philadelphi ſtu- 6.
dio de animantibus antea ignota Græcis innotuerunt quum multa eo nomine
in Venatores effuderit, qui Elephantos plures & Serpentem 30. cubitorum
longitudine captum & vivum ipſi adduxerunt.

Plurimas urbes reſtituit aut condidit, illi, cui nomen Ace in Phœnicia, Ariſt. lib. Agathon.
Ptolemaidis nomen impoſuit, alteram ad maris rubri littus, Aduli proximam,
eodem nomine ad ferarum venationem inſignivit, unam in Cœleſyria de co-
gnomine Philadelphiam appellavit. Plurimas de nomine Arſinoes ſororis & Diod. l. 3.
uxoris civitates extruxit & amnem qui Arſinoen in ſinu Charandra præfluit Philo de
Ptolemæum appellavit. Alias civitates magnificentiſſimis muneribus de- vita Moſis.
meritus eſt, Templum Herculis è Proconneſio Saxo in arce extruxit, & tot
alia ædificia publica conſtrui juſſit, ut ob tot relicta per civitates regionéſque Plin. l. 6.
monimenta magnificentiæ, in proverbium abierint ſumptuoſa opera ab illo, cap. 33.
Philadelphæa denominata.

Multùm civitatibus contulit, Heraclienſibus 500. artabas tritici miſit, Theocrit.
multùm etiam potentibus Regibus dono dedit, ita ut etiam alii Principes Idyll.
ipſi aliquando opitulati ſint. Hiero Siciliæ Rex, quum intellexiſſet, quòd Athen.
in Ægypto frumenti eſſet penuria, navim admirabilem onerariam, Alexan- lib. 9.
driam munus ad Philadelphum miſit, hæc in urbem remulco deducta eſt, &
Syracuſiæ nomen, quod priùs habuerat, in Alexandrinam, eam ob cau-
ſam, commutavit.

Ptolemæum patrem & Berenicen matrem in ſomate ſepelivit: Regiarum Strab. l. 17.
pars erat, & ſeptum quoddam, in quo Alexandri erat ſepultura, & deinde po-
ſteriorum Ægypti Regum.

Amicas multas habuit, Didymam quandam mulierem indigenam, elegan- Athen.
tiſſima facie, alterámque Biblyſtichen, & Agathocleiam, præterea Strato- l. 13.
nicen: cujus monumentum ingens ad mare Eleuſines propinquum: tum
etiam Myrtium, & alias plurimas, quoniam propenſior is eſſet ad Venerem.
Ex illarum una filius fuiſſe videtur ille, qui præſidiariis militibus impoſitis
Epheſo, præſes amicam Eirenen habuit; quæ, quum illi Thraces inſidias eſſent Id. ibid.
moliti, & in Dianæ templum confugiſſet, eò proſecuta eſt, ac poſteaquam
cecidit ibi trucidatus, arreptus valvularum annulo, altaria cruore illius
ſparſit, quoad ſimul eam jugularunt.

Solenne in Alexandria feſtum, in Bacchi honorem inſtituit, nomine La- Id. lib. 7.
genophoriorum, quod cænaturi diſcumberent in toris è palèa, fronde,
gramine ſtratis, ac reclinati è lagena quiſque ſua, quam domo attuliſſet,
biberent: illos quum inſpexiſſet ſemel Arſinoe, illos ſordidos conventus
eſſe, ac contubernia ſpurca dixit, quòd neceſſum eſſet illum conventum
fieri promiſcua turba varias epulas, rancidáſque & inconditas ſibi admo-
vente.

Obeliſcum Alexandriæ ſtatuit 80. cubitorum, quem exciderat Nectabis Plin. l. 36.
E 3 Rex, c. 9.

Rex, purum majúſque opus fuit in devehendo quàm in excidendo. A Satyro Architecto aliqui devectum tradunt rate. Calliſthenes foſſa perducta à Phœnice uſque ad jacentem obeliſcum è Nilo navéſque duas in latitudinem patulas, pedalibus ex eodem lapide ad rationem geminati per duplicem menſuram ponderis oneratas ita ut ſubirent obeliſcum pendentem extremitatibus ſuis in ripis utrimque: poſtea egeſtis laterculis allevatas naves excepiſſe onus ſtatutum. Exciſos autem ſextales in monte eodem & artificem donatum talentis 50. Hic fuit in Arſinoeo poſitus à Rege, munus in conjugem eandémque ſororem Arſinoen.

NUMMI
PTOLEMÆI PHILADELPHI.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput juvenile Regis diademate ornatum ſine epigraphe ut ſolent Regum nummi: ex adverſo aquila fulmini inſiſtens cum literis ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. à dextris in area L. ΜΘ. *anno* 49. & à ſiniſtris ΚΙ. id eſt ΚΙΤΙΕΩΝ.

Æra Lagidarum ΜΘ. 49. in hoc tetradrachmali argenteo nummo Juvenem Regem exhibente, illum Ptolemæo Philadelpho etiamſi illud cognomen non exaretur, adjudicat, nam Soteri patri ſucceſſit Philadelphus; utinam illam æram ſemper ſecutus eſſet, omnes Ptolemæi nobis facilè innotuiſſent, ut Syriæ Reges, ſed ſi mihi conjecturæ locus, Berenice matre mortua annos imperii tantùm ſignavit, ut ſuos & non patris miſceret annos, illius exemplum ſecuti ſunt poſteriores ambitioſi Reges.

Hic annus 49. Lagidarum incidit in annum Philadelphi duodecimum inchoantem quum prima Romanorum Legatio Alexandriam venit, ut ſuprà diximus.

Litteræ ΚΙ. ut ſunt initiales urbis in qua nummus eſt percuſſus illas interpretati ſumus ΚΙΤΙΕΩΝ, Citienſium in Cypro, quum nulla urbs Ægypti paulùm celebris, per has incipiat, meam verò ſententiam planè confirmant, aliæ & frequentes diverſarum ejus Inſulæ urbium initiales litteræ, de quibus infrà. Illæ apertè demonſtrant in Cypri Regno, Ægypti imperio ſubjecto, monetæ officinas, pro totius ditionis Regum uſu fuiſſe.

In vita Alex. M. Citium urbs erat Cypri celebris & olim ex Plutarcho Regia, Zenonis Stoicorum Principis & Apollonii Medici patria, ad mare ſita.

Strab. l. 14. Aquila perpetuum eſt Ptolemæorum Regum ſtemma, quo in Ptolemæi Soteris honorem omnes uſi ſunt.

EX



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput ut ſuprà juvenile diadematum: in parte averſa eadem aquila ſupra fulmen cum epigraphe ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΤ. In area à dextris L. IC. an. 16. à ſiniſtris ΠΑ. id eſt ΠΑΦΙΩΝ, Paphiorum.

Eadem vultus Regis lineamenta; eundem Philadelphum eſſe no bis confirmant, etiamſi diverſus ſit annorum computandi modus; non ampliùs Lagidarum æram, ſed imperii Regis annos nummus exhibet; annum ſcilicet 16. Philadelphi, quo ille Regi Spartanorum Areo contra Antigonum miſit auxilium. Literæ ΠΑ initiales, quas interpretamur ΠΑΦΙΩΝ, id eſt, Paphiorum, quorum Paphum urbem in eadem Cypri Inſula, ut ſuprà Citium eſſe diximus, deſignant, nóſque in utraque civitate monetæ officinam fuiſſe docent: Paphus autem in Cypro gemina recenſetur, altera vetus, Paphiæ Strab. l. 14. Veneris templo celebris ad decem ſtadia ſupra mare condita. Altera nova ab Agapenore ædificata, portum habens & templa probè ſtructa.

Aquila ſollenne eſt Ptolemæorum Ægypti Regum ſemper ſymbolum, in eorum nummis præſertim argenteis exaratum.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput Regis diademate inſignis, ex adverſo aquila unguibus fulmini inſiſtens. In area à dextris L. AC. anno 36. à ſiniſtris vero KI. id eſt KITIEΩN, ut in ſuperiore nummo.

Iterum prodit Philadelphi effigies, ſed in ætate provectiore ſcilicet anno Regni 36. ut indicant literæ AC. in ejus nummo ſignatæ; is enim ſolus anno Lagidarum 38. quum pater ei Regnum ceſſit, à quo ejus imperii anni dinumerantur, nemo autem Ptolemæorum Regum annum imperii 36. ſuperavit

vit excepto Ptolemæo Sotere nam Philometor 35. tantùm inchoavit, unde hoc annorum numero ſoli Philadelpho nummus attribuendus eſſet, ſi ex præcedentibus non omnino deſignaretur.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput Regis diadematum, in cujus averſa parte, pariter aquilà ſupra fulmen exaratur, cum inſcriptione ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. In area à dextris ΛΘ an. 39. à ſiniſtris ΠΑ. ΠΑΦΙΩΝ.

Inſignis eſt hic Philadelphi nummus, qui illius Regni annum 39. exhibet, uti nobis deſignant literæ numerales ΛΘ. Unde illum ab anno quo pater ipſi imperium ceſſit, ſuos dinumeraſſe novimus, & ſic contra plurimorum Autorum ſententiam annos 40. eum regnaſſe docemur quum illius parens Ptolemæus Soter ſatellitis filii officio functus ſit, omni Regno pulchrius, Regis eſſe patrem dictitans: Quantùm igitur lucem Hiſtoriæ afferant nummi, quivis dijudicet. Diog. Laert.

De Aquila Ptolemæorum ſtemmate & de Papho Cypri urbe ſuprà abundè dictum eſt.

NUMMUS PTOLEMÆORUM SOTERIS

ET PHILADELPHI CUM SPONSIS



EX THESAURO REGIO.

Duo capita jugata, unum virile & alterum muliebre, utrumque diademate inſignitum cum epigraphe ΘΕΩΝ id eſt *Deorum*. Ex altera parte duo pariter jugata Regis & Reginæ capita cum inſcriptione ΑΔΕΛΦΩΝ. id eſt *fratrum*.

Aureus eſt hic nummus drachmalis ſeu minimæ formæ, ſed & didrachmalis alter aſſervatur in Muſæo R. P. De la Chaize Regi à confeſſionibus; imò & occurrit tetradrachmalis, quem exhibuit ill. Spanhemius; omnes in anteriori

Diſſ. 5. p. 406.

riori parte vocem ΘΕΩΝ, in poſteriori verò alteram nempe ΑΔΕΛΦΩΝ exhibent.

Nullus eſt ita in nummorum notitia peregrinus ut gemina capita ſupra quæ vox ΘΕΩΝ inſcripta legitur Ptolemæo Soteri & Berenice Reginæ illius uxori poſt P. Seguinum & Ill. Spanhemium non tribuat; ad quos illam ſpectare exiſtimarunt quòd Ptolemæus Soter ipſo vivente, à Rhodiis cultus ſit ut Deus, id nos docet inſcriptio ad Pharum illi à Soſtrato Architecto poſita, imò & Berenice Reginæ ſub nominibus ΘΕΟΙΣ ΣΩΤΗΡΣΙΝ, Diis Servatoribus.

Sociata verò capita in averſa parte cum inſcriptione in vertice ΑΔΕΛΦΩΝ, Viri illi in re nummaria peritiſſimi, ut pote juvenilia nobis indicarunt ad Ptolemæum Philadelphum & Arſinoen ejus ſororem pertinere, quæ vox ΑΔΕΛΦΩΝ confirmat; Seguinus quidem putat Philadelphum mortuos parentes venerabundum Deorum numero adſcripſiſſe, quod vox in anteriori ΘΕΩΝ deſignare affirmat. Edit. 2. p. 56.

Ill. Spanhemius explicandam integram utriuſque partis ſimul epigraphen ſuadet ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ, ob allatam nuper ab Il. V. Leone Allatio inſcriptionem de Marmore Adulitano, in qua Philadelphus & Arſinoe nominantur ΘΕΟΙ ΑΔΕΛΦΟΙ *Dii fratres*, cum quo tamen non conſentit de hac interpretatione quam ita vertit *Deorum fratris ſororiſque*, & illam eſſe appellationem ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ ad parentis utriuſque ΘΕΩΝ ΣΩΤΗΡΩΝ exemplum, de utroque conjuge fratre & ſorore formatam profert.

Ingenioſa quidem eſt de ipſo ſummo ſcriptore conjectura, ex Græco Theocriti Interprete, communem etiam illam fuiſſe parentibus Soteri & Berenice ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ expreſſam inſcriptionem; tradit enim ille Scholiaſtes, Berenicen Lagi fuiſſe filiam, ac ut inde licet colligere, conjugis Ptolemæi proinde ſororem. Ad Idyl. 17. Βερενίκην λέγει τὴν Λάγου μὲν θυγατέρα, γυναῖκα δὲ Πτολεμαίου τοῦ Σωτῆρος, *Berenicen verò dicunt Lagi filiam, Ptolemæi Soteris uxorem.* In hanc verò ſententiam videtur apponi hinc ΘΕΩΝ, inde ΑΔΕΛΦΩΝ, tanquam utrique DEORUM FRATRUM communis appellatio.

Secundùm verò hanc conjecturam ad nummorum Philadelphi calcem, hunc quatuor illa capita exhibentem transferre poſſumus, etiamſi ab illo Rege cuſum non exiſtimemus: quando quidem in Evergetis nummis alterum producemus.

F Ar-

ARSINOE,
REGINA ÆGYPTI.



Ap. D. Foy Vaillant. D. M.
ex num. aureo tetradr.

ARſinoe ex Ptolemæorum gente orta, Ptolemæi Soteris & Berenices ejus ultimæ conjugis filia, ad firmandam patris cum Lyſimacho Rege Thra- Juſtin. l. 24. ciæ ſocietatem, ipſi in uxorem data eſt, felix dum Rex vixit, ex quo duos filios Lyſimachum & Philippum genuit, ſed poſtquam Lyſimachus in prælio contra Seleucum in Aſia commiſſo occiſus eſt, lætitia in mœrorem verſa eſt.

Id. ibid. Ptolemæus Ceraunus ejus ex patre frater, qui eum contra Seleuci copias defendere debuerat, ipſo fraude interempto, Macedoniæ Regnum ad ejus filios ſpectans occupat, inſidiáſque ſuæ ſorori ſtruit, nam ut Caſſandriam urbem, in quam ſe receperat cum liberis, intraret, ſimulato amore, Arſinoes matrimonium more Ægyptio poſtulat, cui quum conceſſiſſet, ad portam urbis vix ventum eſt, quin arcem occupari & pueros interfici juſſerit, eo miſerior Arſinoe quòd mori cum filiis non licuit, ſed Samothraciam in exilium protracta eſt.

Id. ibid. Ceraunus paulò pòſt Diis tantum ſcelus vindicantibus, dum contra Gallos temerarius proficiſcitur, prælio commiſſo, multis vulneribus ſaucius capitur, caput ejus amputatum per totam aciem circumfertur. In hoc Macedonum luctu Meleager Cerauni frater Macedoniæ Regnum occupat: Euſeb. in Chron. ſed vix Meleager duobus menſibus regnat, quin à Macedonibus pulſus in Cyprum permiſſu fratris ſe recipiat, & Soſthenes unus de Macedonum proceribus in ejus locum Rex proclamatur.

Philadelphus à Soſthene Arſinoen ſororem poſtulat, & obtinet; illa ad fratrem

trem mox tranſiit, à quo honorificè recepta eſt, illam frater adeo deperibat, ut Arſinoe Lyſimachi filia Ptolemæi Philadelphi conjux zelotypia laborare Theocr. Sch.
cœperit, & tandem contra Regem ſponſum cum Amynta & Chryſippo Rhodio Medico ſuo conſpiraverit, licèt ex eo tres liberos haberet, Arſinoe ejus facinoris convicta Coptum Thebaidis urbem relegata eſt, ubi miſerè periit.

Relegata uxore Philadelphus ſororis Arſinoes amore victus eam ſibi ma- Pauſan. Attic.
trimonio copulavit, ſed quum ille jam 34. circiter annum attingeret, & ipſa eo vetuſtior eſſet, ex ſorore nullos procreavit liberos, ſed ſuos ex Arſinoe Lyſimachi adoptandos dedit, tandem illa ante eum è vivis exceſſit, deſiderium ſui magnum fratri relinquens, quanta in ejus memoriam monimenta extruxerit, vide paſſim in Philadelphi vita.



EX THESAURO REGIO.

Caput muliebre diademate & velo ornatum, ſupra quod floſculus, & ponè litera K. id eſt Κανωβιτῶν, In averſa parte circa duplex cornucopiæ faſcia cum pendulis epigraphe ΑΡΣΙΝΟΗΣ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ.

Arſinoe in hoc nummo aureo ſignata, haud dubiè Ægypti Regina eſt, & quidem Ptolemæi cognomine Philadelphi conjux; ſed quum ille Rex duas habuerit uxores, nomine Arſinoes, priorem Lyſimachi Thraciæ Regis filiam, alteram, ſororem ſuam ex Berenice ortam, ipſi Lyſimacho prius nuptam, deinde Ptolemæo Ceranno, quam tandem Philadelphus frater ſibi matrimonio copulavit, priori nummum adſcribit Ill. Spanhemius, poſteriori verò P. Faber Fulvii Urſini imaginum commentator, cui aſſenti- Diſſ. 5. in Ill. imag.
mur.

Non erat initio Ægyptii Regni tam firma potentia ut Principes feminæ in nummis cælarentur. Ptolemæus ipſe Imperii fundator per ſeptemdecim annos, Regis nomine abſtinuit, Berenice magna ſub Iſidis forma tantùm dum vixit in nummis percuſſa videtur, nec Arſinoe Lyſimachi filia à Philadelpho tam adamata fuit ut ejus effigiem populis exhibere voluerit, quum ipſam Coptum Thebaidis urbem relegaverit, ubi miſerè vixit & obiit, iſti verò Arſinoes nummi nam admodum rari ſunt ex omni forma aurei, quorum poſt relegatam Arſinoen Philadelphus ad abolendam illius memoriam, uſum interdixiſſet.

Illi verò nummi Arſinoes aurei, munera ſunt Philadelphi amoris in Arſinoen ſororem, cujus ut memoriam ad populos propagaret, tot monimenta extrui juſſit, tot urbes cum ejus nomine ædificari curavit, & tandem templum Alexandriæ inchoavit, ſed ſi ejus nummi imaginem, cum illa quæ cum Philadelpho ſociata eſt in altero nummo tetradrachmali conferas, eadem oris lineamenta mox agnoſces.

Caput Arſinoes diademate ac velo ornatum eſt, diadema quidem Regum ſolenne eſt Symbolum; purpurea erat faſcia, albo diſtincta quæ eorum ca-

 put

put ambibat; velum autem Principibus feminis tributum eſt, pietatis Religioniſque cauſa, quum Deæ eſſent ut plurimùm velo cinctæ, & nulli niſi capite velato ſacra facere Principi liceret.

Comm. in Ill. imag. Floſculus ille Arſinoes velo ſuperpoſitus, Laſerpitium eſſe putatur à Petro Fabro, ſed nos Loti florem perhibemus, hæc herba quantùm ab altera differat, norunt ii qui Cyrenſium nummos tractarunt. Flos autem Loti cum fructu, perpetuum erat Iſidis ornamentum.

Cornucopiæ in nummis Ægyptiis ad deſignandam ſoli fertilitatem apponitur, ita ut videatur alterum Ptolemæorum Principum cum aquila eſſe Symbolum, ſimplex ſi Rex aut Regina regnat ſola, duplex autem quando uterque ſunt in vivis, uti obſervare eſt in Imperatorum Romanorum nummis.

Litera K. videtur eſſe initialis nominis urbis in quo cuſus eſt Arſinoes nummus, at quum plurimæ ſint quæ ab hac inchoent, nobis Canopum urbem ſeligere liceat, centum viginti ſtadiis tantùm ab Alexandria diſtantem, in qua videtur fuiſſe monetæ officina. Alii etiam Κυπρίων volunt, quod nummi ejus mariti apud Paphios ſint percuſſi.

PTOLEMEUS EVERGETES,
REX ÆGYPTI III.



Ap. D. Vaillant. D. M.
ex num. Arg. tetradr.

LAGIDAR. an. 79. Lag. 75. Everg. 1. 2. Marm. Adul.

PTolemæus III. Ptolemæo Philadelpho patri in Ægypti Regnum ſuccedit, hic Arſinoes Lyſimachi Regis filiæ natus erat, ſed Arſinoes Berenices filiæ adoptivus poſtea filius eſt factus, paternum quidem genus ab Hercule deducebat, & maternum à Dionyſio, ambobus Jovis filiis, & Libya, Syria

ria, Phœnicia, Cypro, Lycia, Caria, Cycladáſque Inſulas, ut narrat Theocritus etiam poſſidebat. LAGIDAR. an. 79. Idyll. 17.

Antiochus II. Syriæ Rex, ubi Philadelphum ſocerum fato functum eſſe accepit, amore ſuperatus, Laodicen priorem uxorem cum liberis ſuis reduxit in Regiam: hæc metuens viri animum, ne Berenicen reduceret, eum per miniſtros veneno interfecit, Antiocho autem ſucceſſit Seleucus ſecundus matris Laodices artibus, nam Berenices filius matrimonii ſui pacto regnare debebat; quo intellecto illa Daphne includit. Hier. in D.n. c. 11. Juſtin. l. 12. c. 3.

Laodice Seleucum filium hortatur ut fratrem ex Berenice cum ea interficiat, ſi Regnum ſibi conſervare velit, itaque novercam cum parvulo filio apud Daphnem obſidet, at ubi nunciatum Aſiæ civitatibus illud eſt, recordatione paternæ majorúmque ejus dignitatis, caſum tam indignæ fortunæ miſerantes, auxilia ei miſerunt. Frater quoque Ptolemæus periculo ſororis exterritus, relicto Regno, cum omnibus viribus advolare tentat: Sed Berenice cùm expugnari non poſſet dolo circumventa trucidatur. Id. l. 27.

Pax his legibus proponitur, nempe quod matri & filio locus in Regia firmiſſimus concederetur, puerulo quidem, Regium ſatellitium, Berenice verò præſidium ſtipendiariorum Gallorum, qui & juramentum atque fœdus inirent. Ariſtarcho tandem Medico quem ſecum habebat, ſuadente ut pacem cum Antiocho & Laodice faceret, Berenice credidit. Locus ei Regiæ traditus eſt; jusjurandum inierunt, ſed ipſo quaſi ſtratagemate uſi ſunt; nam Genneus urbis præfectus, ſeu Ceneus ſatelles Regius puerulum occidit, quod Berenice graviter ferens, armata currum conſcendit, perſecutáque illum tam crudelis operis miniſtrum, quoniam haſta nequicquam petierat, ſaxo ictum proſtravit ac ſuper ejus corpus, actis equis, inter infeſta contrariæ partis agmina ad domum in qua interfecti pueri corpus occultari arbitrabatur, perrexit. Polyæn. Strat. l. 8. Val. Max. l. 19. c. 10.

Satellites Seleuci juſſu, eam adorti, jugularunt. Quæ verò circa eam erant mulieres, defenſionem parabant, plurimæ ceciderunt, & ſic Seleucus Regni auſpicia à parricidio cœpit. Quo facinore perpetrato & infamiæ maculam ſubiit & Ptolemæi bello ſe implicuit. Polyæn. l. 16. Juſtin. l. 27.

Interea Panariſte, Mania, & Gethoſine Berenices cubiculariæ mulieres, corpus illius obruentes terra, aliam quandam in lectum collocarunt, quaſi illam adhuc viventem & vulnus acceptum ſanaturam; ac tantiſper ſubditis perſuaſerunt, donec accerſitus ab ipſis Ptolemæus frater veniret. Polyæn. ib.

Onias puſillanimis & avarus Judæorum Pontifex quum tributum, quod pro populo majores ejus de ſuo ſolvere Ptolemæo ſolebant, talenta ſcilicet argenti viginti, ad iram commoviſſet Regem, miſit Hieroſolyma legatum, qui incuſaret Oniam, quòd tributum non redderet, & minatus ni faceret, regionem ejus militibus ſuis diviſurum, & novas colonias eò deducturum. Joſeph. Ant. l. 12. c. 3. Euſeb. Chron.

Ptolemæus dum occiſi filii & peremptæ Berenices quaſi ſuperſtitum adhuc nominibus inſcriptas literas accipit, exercitum pedeſtribus equeſtribúſque copiis, ingenti claſſe, Troglodyticis, Æthiopicíſque Elephantis, primùm à patre, & ab ſe in his regionibus captis abductíſque in Ægyptum, & ad bellicos uſus edoctis inſtructiſſimum, in Aſiam trajecit. Lagid. 80. Everg. 3. Marm. Adul.

Univerſæ civitates quæ defecerant, repente exemplo crudelitatis exterritæ, ſimul & in ultionem ejus, quam defenſuri erant, Ptolemæo ſe tradiderunt. Ille Syriam ingreſſus, eam invaſit, omníque intra Euphratem tractu, Cilicia, Pamphylia, Ionia, Helleſponto, & Thracia, cum earum omnium regionum copiis, Indicis Elephantis, indigeníſque Regulis in poteſtatem redactis, Euphratem trajecit, & Meſopotamiam, Babyloniam, Suſiam, Perſidem, Mediam, reliquáſque regiones ad Bactriam uſque ſubegit; & quidem ſine bello & pugna occupans. Juſtin. l. 27.

LAGIDAR. an. 79. Lagid. 81. Everg. 4. 11. ibid. Polyb. excerp. Valeſ.

Tantum Seleuco odium parricidiale ſcelus, vel Ptolemæo favorem indignè peremptæ mors ſororis attulerat, qui niſi in Ægyptum domeſtica ſeditione revocatus eſſet, totum Regnum Seleuci occupaſſet. Lyſimachus Ptolemæi frater videtur aliquid moviſſe, quem Soſibii conſilio poſtea occidit.

Hieron. in Daniel.

Ptolemæus Syriam univerſam obtinuit, Ciliciam autem amico ſuo Antiocho gubernandam tradidit, & Xantippo alteri Duci provincias trans Euphratem. Diripiens Regnum Seleuci quadraginta millia talentorum argenti tulit & vaſa pretioſa, ſimulacráque Deorum, ad duo millia quingenta: in quibus & illa quæ Cambyſes capta Ægypto in Perſas portaverat, & exercitum verſus Ægyptum reducit. Veniens Hieroſolymam, multas hoſtias, ſicut Judæorum moris erat, Deo obtulit, digniſſimáque dicavit ornamenta victoriæ.

Lagid. 82. Everg. 5. Juſtin. lib. 27.

Poſt diſceſſum Ptolemæi Seleucus quum adverſus civitates quæ defecerant ingentem claſſem comparaſſet, repente velut Diis ipſis parricidium vindicantibus, orta tempeſtate claſſem naufragio amiſit, nec quicquam illi ex tanto apparatu, præter nudum corpus & ſpiritum, & paucos naufragii comites reſiduos fortuna fecit. Miſera quidem res, ſed optanda Seleuco fuit, ſi quidem civitates quæ, odio ejus ad Ptolemæum tranſierant, velut Diis arbitris ſatiſfactum ſibi eſſet, repentina animorum mutatione in naufragii miſericordiam verſæ, imperio ejus ſe reſtituunt.

Hieron. in Daniel. Nonnus. in hiſt. B. Gregor. Συναγωγῇ.

Ægyptii quia poſt multos annos Deos eorum retulerat Ptolemæus, illum Εὐεργέτην, id eſt beneficium appellarunt. Berenice autem conjux quæ marito Rege bellum peregrè gerente, hoc voto ſe obſtrinxerat, ut ſi illæſus atque incolumis ille rediret, ipſos detonſos crines, in templo donarii cujuſdam loco, appenderet, poſtquam reverſus eſſet Ptolemæus.

Suidas.

Callimachus Cyrenæus hoc tempore carmen de hac Berenices coma edidit, quod poſtea Catulus traduxit.

Quâ Rex tempeſtate, novo auctus Hymenæo,
Vaſtatum fines iverat Aſſyrios.

Hygin. lib. 2.

Quum autem Berenice voto damnatum crinem in Veneris Arſinoes Zephyritidis, Ptolemæi matris adoptivæ poſuiſſet templo, & ille poſtero die non comparuiſſet, quod factum Rex ægrè tulit, at Conon Samius Mathematicus cupiens inire gratiam Ptolemæi, dixit crinem inter ſidera collocatum, & quaſdam vacuas à figura ſeptem ſtellas ad caudam Leonis in triangulo oſtendit, quas eſſe crinem referret.

Plut. in Arato.

Aratus Sicyonius Ptolemæi Philadelphi liberalitatem toties expertus ut qui à Regibus ſena talenta annua acciperet, poſtquam Corinthios ab Antigoni Gonatæ ditione liberaſſet, eóſque Achæis conſociaſſet, Legatos ad Evergetem miſit, qui ipſius ſocietatem cum Achæis poſtularent, ea conditione, ut ducatus belli, ei terra maríque deferretur.

Lagid. 83. Everg. 6. Juſtin. l. 27.

Lætus malis ſuis Seleucus Syriæ Rex, & damnis ditior redditus, veluti par viribus, bellum Ptolemæo infert, ille cum exercitu ei occurrit, ſed quaſi Seleucus ad ludibrium tantùm fortunæ natus eſſet, nec proptèr aliud, opes Regni recepiſſet, quàm ut amitteret; prælium inter Reges committitur, & Seleucus in eo victus, Antiochiam trepidus fugit.

Id. ibid.

Seleucus mox ad Antiochum fratrem literas facit, quibus auxilium ejus implorat, ei Aſia inter fines Tauri montis cui juſſu ſuo præerat, in præmium latæ opis. Interea Ptolemæus quum Antiochum in auxilium Seleuco venire cognovit, ne cum duobus uno tempore dimicaret, in annos decem cum Seleuco pacem fecit.

Pto-

Ptolemæus longinquæ pacis tempore, Bibliothecam, quam pater Philadel- LAGIDAR.
phus ei commendaverat, adaugere cœpit, & Eratoſthenem Athenis ac- an. 82.
cerſitum libris præfeciſſe videtur: nam illum pater literis imbui curaverat, & Lagid. 84. Everg. 7.
hoc tempore Alexandriæ erat Callimachi diſcipulus Apollonius Alexandri- Suidas.
nus, ſed potius Naucratita, ut fuit Eratoſthenes ejuſdem Callimachi.

Seleucus ſe cum Ptolemæo pacem feciſſe ſignificat Antiocho fratri, ſed Juſtin. l. 27.
hic conducto Gallorum mercenario exercitu, Aſiam mercedis loco promiſſam
fratri eripere cupiens, ei bellum intulit, prælìúmque committitur Ancyræ Trog. Prol.
inter fratres, virtutéque Gallorum victor Antiochus fuit: ſed Galli arbi-
trantes Seleucum in prælio cecidiſſe, in ipſum Antiochum arma verte-
re, quod ubi ſenſit Antiochus velut à prædonibus auro ſe redimit, ſocie-
tatémque cum mercenariis ſuis jungit.

Antigonus Gonatas Macedoniæ Regno potitus, in eo moritur, illud De- Porphyr.
metrio filio relinquens qui in illo annos decem regnavit. Græc.

Arſaces & alii populi Orientis qui ab imperio Antiochi Dei defecerant Euſeb.
accepta opinione Seleucum à Gallis in Aſia eſſe occiſum, fines ſuos latè pro-
pagarunt.

Ptolemæus quum accepiſſet Seleucum & Antiochum concordare non poſſe Lagid. 85.
& bellum in Armenia reſtaurare, mox exercitum comparat, & partim il- Everg. 8.
lum in Phœniciam ducit, partim in Meſopotamiam, interea prælium inter
fratres committitur, in quo Antiochus victus in Meſopotamiam profugit, &
dum Andromachus Seleuci Dux illum fugientem perſequitur, in ea re- Trog. Prol.
gione à Ptolemæi militibus capitur, quem in vinculis aliquandiù Rex deti-
nuit.

Antiochus recollecto & reſarcito exercitu, bellum contra Seleucum fra- Lagid. 86.
trem reſtauravit Regulorum ſociorum ope, ſed iterum in Meſopotamia vi- Everg. 9. Juſtin. l. 27.
ctus ad Ariarathem Cappadociæ Regem cognatum ſuum ſe recepit multò cap. 3.
dierum fuga fatigatus. A quo cùm primùm benignè exceptus eſſet, inter-
jectis diebus, cognito quòd inſidiæ ſibi pararentur, Ariarathes enim Stra-
tonicen, quæ Seleuci etiam ſoror erat, uxorem duxerat, ſalutem fuga quæ-
ſivit, & cùm profugo nuſquam tutus locus eſſet, ad Ptolemæum hoſtem,
cujus fidem tutiorem quàm fratris exiſtimabat, decurrit, memor vel quæ
facturus fratri eſſet vel quæ meruiſſet à fratre.

Ptolemæus non tam amici debito, quàm hoſtis functus, quandoquidem Id. ibid.
pacem cum Seleuco fratre inierat, ſervari Antiochum cuſtodia juſſit, ut ſi
quando Seleucus bellum contra ſe moveret, hoſtem illi alterum produceret.

Evergetes Philadelphi patris liberalitatis hæres Rhodiis terræ motu affli- Lagid. 87.
ctis ſubvenit, eorum magna pars murorum ac navalium dejecta eſt, & Everg. 10. Polyb. l. 5.
magnus Solis Coloſſus qui corruerat, duodecim annis effectus eſt ccc ta-
lentis ex apparatu Regis Demetrii Polyorcetis relicto, quando urbem obſe-
dit, & ipſis Ptolemæus avus auxilium tunc miſit, ipſe igitur poſt quinqua-
geſimum & ſextum annum proſtratus eſt, ſed hic terræ motus ſi quidem
damno, etiam emolumento fuit; multi enim Principes plurima ipſis dona
contulere.

Ptolemæus illis argenti trecenta talenta promiſit, frumenti artabarum Id. ibid.
decies centena millia, materiam ad fabricandas quinqueremes decem, tri-
remes totidem; trabes è picea ad menſuram cubitorum quadraginta mil-
lium: æreæ pecuniæ mille pondo: ſtupæ tria millia pondo: vela & malos
ter millia: ad Coloſſum reficiendum tria millia talentum: Architectos cen-
tum operas miniſtrantes, trecentos quinquaginta, & ad horum annonas, ta-
lenta quatuordecim, per annos ſingulos: adhæc in ſumptus ludorum, & ſa-
crorum, frumenti artabarum millia duodecim: item ad alimoniam decem
triremium, vicies mille artabas: quorum omnium pleraque ſtatim dedit: pe-
cuniæ verò totius tertiam partem. Se-

LAGIDAR. Seleucus fratre Antiocho in Ptolemæi carceribus detento cum quo indu-
an. 87. Lagid. 88. cias per decem annos inierat, rebus internis tanquam tranquillis, victorem
Everg. 11. exercitum ducit contra Arſacem & Theodotum, qui ſub ejus patre Antiocho
Juſtin. l. 41. quum ille bellum cum Philadelpho gereret, rebellarant, & quum altero
contra fratrem eſſet implicitus fines ſuos propagarent.

Lagid. 89. Victor quidem Seleucus aliquot prœliis extitit, ſed quum Antiochus Ale-
Everg. 12. xandrum fratrem contra Parthos in ſuperioribus Provinciis occupatum ac-
Juſtin. lib. 27. cepit, è Ptolemæi carceribus effugere meditatus eſt, & opera cujuſdam me-
retricis adjutus, quam familiariùs noverat, deceptis cuſtodibus elabitur,
quo nuntio apud Parthos audito Seleucus, ſtatim in Syriam revertitur, ſed
Antiochus fugiens à Latronibus interfectus eſt.

Lagid. 90. Ptolemæus Elephantorum venationi ut pater Philadelphus ſtudium im-
Everg. 13. pendens Simmiam ex familiaribus unum, maritimas Æthiopiæ Arabiæque
regiones ſpeculatum miſit. Hic autem idoneo inſtructus commeatu illas
exploraturus, profectus eſt.

Lagid. 91. Nicæa Seleuci Syriæ Regis ſoror, Demetrio Macedoniæ Regi nupta, à
Everg. 14. Juſtin. l. 28. marito dimiſſa in Syriam ſe recepit ad fratrem, eúmque ad Demetrio bel-
lum inferendum impellere conata eſt, ſed ille contra Orientis rebelles ite-
rum properare meditabatur, ingentémque comparabat exercitum.

Lagid. 92. Induciæ inter Ptolemæum & Seleucum Reges erant exituræ, cùm Leg ti
Everg. 15. à Seleuco Alexandriam ad Ptolemæum venerunt, petituri ut in alios decem
annos prorogarentur, quos lubens Ptolemæus Seleuco conceſſiſſe videtur.

Lagid. 93. Seleucus contra rebelles in Provincias ſuperiores proficiſcitur, avorum di-
Everg. 16. tionem recuperare deſiderans; ſed dato Arſaci & aliis laxamento per ſuum
in Syriam reditum, nam milites plurimos ille ubique collegerat, caſtella mu-
niverat, civitates firmaverat; ita ut Seleucus in hoc bello diu diverſa uſus
ſit fortuna.

Lagid. 94. Ptolemæus ſic pace in Regno fortiter ſtabilita, dum Seleucus in orienta-
Everg. 17. libus partibus bellum gerit, poſtquam Simmias ex Æthiopicis regionibus in
quas illum miſerat ſpeculatum eſſet reverſus, Imperii ſui fines verſus illas
partes propagare decrevit, illius conſilio edoctus. Et ut Philadelphus pater
Troglodyticam ſibi regionem ſubegerat, ille ulteriores verſus meridiem
populos Regno ſuo vectigales reddere aggreſſus eſt: itaque Gaza primùm
Marm. Adul. in poteſtatem redacta, mox Agama ac Sigſiene capta, prædam omnem di-
midiatam diſtribuit; ſimul Tiamus & Gambela & quæ illi gens proxima ha-
betur, à Rege ſuperata eſt: illa autem trans Nilum inhabitat.

Lagid. 95. Rex deinde Maga, Zingabem, Angavim, Tiamámque, & quos vocant
Everg. 18. Athagoos, Calaam & Semenas ultra etiam Nilum, ſuperiori Æthiopiæ ad-
Ibid. jacentes, & inacceſſos, glacie frigoribúſque perpetuis damnatos, ubi ca-
dentes nives aggeruntur: adeo ut genu tenus viator deſidat, trajecto flumi-
ne in poteſtatem redegit.

Lagid. 96. Non hìc victoriarum finem impoſuit Ptolemæus; nam Laſinazaa, & Ga-
Everg. 19. bala, populíſque montes, in quibus ſcaturiunt aquæ calidæ, habitantibus,
irriguóque Atalmo, Begáque, omníque hujus tractus gente cum Than-
chaitis, qui ad Ægypti extrema pertingunt, debellatis, viatoribus iter Ægy-
ptum ditionis ſuæ aperuit.

Lagid. 97. His non contentus Annenæos poſtea & Metinæos, qui abruptos montes
Everg. 20. incolunt, Seſeanóſque imperio ſuo ſubdidit. Hos arduum acceſſúque diffi-
cillimum montem occupantes, obſidione in poteſtatem redegit, juvenibus,
uxoribus, liberis, omníque ſupellectili ſibi ſelectis.

Dum his ſubigendis populis occupatur Epiphanes, mors Seleuci Syriæ
Regis innoteſcit, ille poſt longam apud Arſacem, etſi Regia magnificentia
& impenſa, detentionem, pace tandem cum illo inita, Antiochiam rediens

equo

equo præcipitatus moritur anno ſui imperii vigeſimo, ipſi filius ejus Seleucus cognomine Ceraunus ſucceſſit. LAGIDAR. an 101.

Ptolemæus ne Seleucus Syriæ novus Rex qui copias undique collegerat, ut patrem ex Arſacis detentione liberaret, poſt illius mortis nuntium aliquid contra ſe moveret, ſuas ex tam longinquis partibus revocavit. Lag. 98. Everg. 21.

Dum Epiphanes Seleucum copias ſuas contra Attalum Pergami Regem qui Taurum montem in Aſia ſuæ ditioni ſubjecerat, quum illius pater Callinicus bellum contra Arſacem gereret, eduxiſſe accepit, Arabiam & omnes illius partes ſuo imperio adjicere decernit. Lagid. 99. Everg. 22. Polyb. l. 4.

Ptolemæus itaque Thuriferorum barbarorum mediterraneas, immenſas, ſiccas, aridas colentes planicies, Solatæóſque, quibus mox maris cuſtodiam demandaverat. Has nationes prærupris montibus interſeptas, ductu auſpiciíſque ſuis devicit, debellatas, agris redditis vectigales fecit. Ultrò ſe plerique dedidere. Lagid. 100. Everg. 23. Marm. Adul.

Orto paucis abhinc annis bello Cleomenico in Græcia, Achæi auſi erant illud propriis bello ſuſtinere, beneficiorum memores quæ Ptolemæus in illos olim contulerat, ejus amicitiam conſervare ſtudebant, at illo procedente, quum auxilio opus haberent ſocietatem potiùs cum Antigono, Philippi vitrico Macedoniæ, quem Ætoli appellaverant, inire cenſuerunt. Lagid. 101. Everg. 24. Polyb. l. 2.

Cleomenes Spartanorum Rex contra Achæos bellum gerens hoc audito Ptolemæum de auxilio contra Antigonum ſollicitavit, Ptolemæus deſperans retinere ſe poſſe in amicitia ſua Achæos, ſumptus Cleomeni ſuggerere cœpit, ſed Antigono jam civitates Peloponneſi aliquas occupante, Cleomenes copias poſtulavit à Ptolemæo, qui illi auxilium oſtendens, liberos ejus & matrem obſides poſtulavit, quos ille miſit. Id. ibid.

Ptolemæus interea in Arabiæ Felicis oram, per fretum Neptunium, ita dictum ab Ariſtone, uno ex ipſius Ducibus, quem uſque Oceanum miſerat, quòd Neptuno aram ibi conſecraſſet, ingenti claſſe comparata, in Arabitas atque Cinædocolpitas exercitum per Duces duxit; eorum autem Regibus ſubactis, tributum, & ut viatoribus tutum iter præſtarent, imperavit. Lagid. 102. Everg. 25. Marm. Adulit.

Ut autem Crateſilea Cleomenis mater Ægyptum appulit, Ptolemæi accepit mandata, Antigoníque Legatos admittere intellexit & Cleomenem invitatum ad pacem faciendam cum Achæis vereri ipſius cauſa, bellum non aſſentiente Ptolemæo componere, ſcripſit ei Cleomenes, ageret quod ex dignitate Spartæ atque è Republica eſſet, neque unius gratia, anus & parvi pueri ſemper trepidarent Ptolemæum. Plut. in Cleom.

Legatus à Ptolemæo ad Cleomenem miſſus eſt, qui nuntiaret decem diebus antequam pugna iniretur, pecuniam quidem nolle ampliùs Regem ſuppeditare, ſed ad pacem cum Antigono faciendam hortari, quod ubi accepit Cleomenes, fortunam ſummæ rerum ſibi quamprimùm eſſe tentandam conſtituit. Pugna ad Sellaſiam commiſſa eſt, in eáque profligatus in Ægyptum confugit: ubi Africam appulit, deductúſque à miniſtris Regiis, pervenit Alexandriam, & initio adventus ſui ſatis humanum & benignum erga ſe Ptolemæum expertus eſt. Polyb. 16. Plutarch. 16.

Seleucus Ceraunus poſt tres Regni annos, in Phrygia dolo ab amicis Apaturio Galata & Nicanore appetitus, veneno ſublatus eſt, relicto imperio fratri ſuo juniori Antiocho.

Antigonus in Macedoniam reverſus, non ita multò pòſt morbo extinctus eſt, fidi tutoris, boni Regis, & ſtrenui ducis laudem adeptus, Philippo Demetrii F. regnum Reliquit. Polyb. l. 2.

Ptolemæus ab Leuce oppido, ad Sabæorum regionem poteſtati ſuæ omnes gentes nulli veterum Regum obnoxios ſubegit Martis ope à quo ſe genitum gloriabatur, finitimos itaque populos ab ortu ad Arabiam, ab occaſu ad Lagid. 103. Epiph. 26. Marm. Adulit.

 Æthio-

Æthiopiam ac Saſſi loca imperio ſuo partim armis, partim beneficiis ſuperavit.

Plut. in Cleom. Cleomenes autem conſilii dato documento vir prudens habitus eſt, & quotidianæ ejus conſuetudinis Laconica ſimplicitas urbanitate ingenua fuit condita, neque nobilitatem uſque fœdans, neque fortuna inflexus, blandientibus & adulantibus fuit Ptolemæo gratior: magna cepit eum verecundia pœnitentiáque, quod talem virum neglexiſſet, & everti permiſiſſet ab Antigono: unde pariter tantam gloriam & opes comparaſſet, ſpem fecit cum navibus & pecunia remiſſurum ſe in Græciam atque in Regnum repoſiturum. Attribuit etiam ei annua viginti quatuor talenta.

Lagid. 104. Epiph. 17. Marm. Adul. Ptolemæus pace terra maríque parta Adulim Erythræi maris urbem littoralem profectus eſt; Jovi, Marti, ac Neptuno pro navigantibus ſacra fecit, copiis undique extructus hic Mavorti thronum dicavit anno imperii ſui vigeſimo ſeptimo.

Polyb. l. 2. lib. 29. Priuſquam verò Rex præſtitiſſet Cleomeni quæ ad reſtitutionem in Regnum pertinebant morbo deceſſit, Berenice uxore ſuperſtite. Juſtinus eum veneno ſublatum à filio refert.

Solin. cap. 10. Heſych. Ptolemæus tres liberos, Ptolemæum, Magam & filiam Arſinoen reliquit ex Berenice, de cujus nomine urbs Heſperis, quam Lethon amnis alluit in Cyrenaica, Berenice dicta eſt; ut & jactus quidam talorum Βερενίκης πλόκαμος.

Strab. l. 17. Evergetes inter bonos Ægypti Reges annumeratur, at poſt illum mali omnes ſunt exiſtimati. Ipſi ſtatuam in Elide Ariſtolaus Macedo erexit; Rex unum ille Ægypti imperium longè latéque propagavit.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput Jovis barbati faſcia redimitum, ex altera parte aquila ſolita fulmini inſiſtens cum epigraphe ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. In area ΘΕ Θεβαίων pro Θηβαίων.

In Daniel. cap. 11. Cognomen Evergetis in hoc Ptolemæi nummo cum haud dubiè ad tertium Ptolemæum revocat, qui teſte D. Hieronymo ab Ægyptiis Evergetes appellatus eſt, quod Deos in Perſiam à Cambyſe ablatos retuliſſet in bello Syriaco.

lib 3 Initiales literas ΘΕ interpretamur Θεβαίων pro Θηβαίων, *Thebæorum*. Nemo neſcit Lingua Attica & Ionica Ε pro Η uſurpari, & hunc nummum Thebæos Evergeti præſertim cudiſſe auguramur, quòd cùm ipſe Cambyſes ex Herodoto Thebas diruerit, & Evergetes Deos retulerit, Jovem ſuum reſtitutum cum nomine Evergetis Regis ex altera parte ſignarunt.

lib. 17. lib. 1. Thebæ, teſte Ammiano, urbs ob ſingularem erga Oſiridem ſeu Jovem, videtur Dioſpolis vocata, de qua inquit Diodorus. *Conditam porrò ab Oſiride, urbem in Thebaide Ægypti centum portarum, quam matris cognomento*

mento inſignierit, ſed à poſteris Dioſpolim, id eſt, Jovis & Thebas appellari.

Quantùm Thebæis autem deberemus, ſi cum Evergetis nomenclatione, ipſius Ptolemæi Regis caput ſeu effigiem nobis in nummis ſuis exhibuiſſent; aliæ verò urbes ejus cognomine prætermiſſo nobis illius vultum expoſuerunt, quem ab aliis Principibus Ptolemæis diſtinguere, labor non fuit exiguus.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput Regis diadematum, in averſa parte Aquila fulmini inſiſtens. In area duo pilei aſtris inſigniti, ſub dexteriore L. H. anno ſeptimo.

Nummus iſte Ptolemæi Regis in Phœnicia cuſus eſt, & quidem apud Tripolitanos, ut nos docent illi duo pilei aſtris inſigniti, Dioſcuros id eſt Caſtorem & Pollucem deſignantes, quorum cultus erat præcipuus in illa urbe ad mare ſita, & quorum templi proſpectum nobis exhibent Elagabali frequentes nummi cum epigraphe ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ. Vaillant in num. Græc.

Urbes Ptolemæorum imperio ſubjectas primas nominis ſui literas in nummis ſignare ſolitas eſſe diximus, at Phœniciæ urbes pro literis, civitatum ſuarum inſignia apponebant, ut videre eſt in noſtra Seleucidarum Hiſtoria, pag. 394. Tyrum, Herculis clavam, Sidonem navis Acroſtolium, & præſertim Tripolim pileos, ut ſuprà, aſtris inſignitos in Antiochi Euſebis nummo.

Phœnicia quidem paruit Soteri & Philadelpho, ſed effigies in nummo exhibita, iis planè diſſimilis eſt, deinde Evergeti, Philopatori, & Epiphani quo mortuo ab Antiocho Deo Epiphane aliis erepta eſt nec eam ampliùs habuerunt. At ex ſequentibus Philopatoris & Epiphanis vultibus ab hoc diverſis ut ab eorum annis in nummis ſignatis, ad Evergetem hunc nummum pertinere oſtendemus, unde deinceps Antiquariis illius effigies planè deinceps innoteſcat.

Annus H. id eſt illius imperii *Septimus*, in nummo percuſſus denotat fuiſſe eum ſignatum quando ipſe Antiochus Evergetes in Phœniciam venit cum exercitu, & alterum mittit in Meſopotamiam, quum Seleucum & Antiochum fratres contra ſe bellum in Meſopotamiæ finibus reſtaurare accepit. Tripolitani ut illius gratiam ſibi devincirent nummos ſuos ipſi dedicarunt, vel quòd Evergetes quum pecunia opus haberet pro exercitu illam Tripoli percutere juſſit.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput Regis diademate ornatum : ex averſa parte aquila fulmini inſiſtens cum Inſcriptione ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. In area à dextris L. ΙΘ. an. 19. à ſiniſtris ΠΑ. id eſt Παφίων.

Eadem in hoc nummo quæ in ſuperiore effigies, ad alium Ptolemæum ſpectare quàm ad Evergetem non ſinit, annus in eo ſignatus 19. illum ad Philopatorem qui tantùm 17. annos regnavit non revocat, nec minùs ad Epiphanem, qui quinquennis ad ſummum Ægypti Regnum habuit, & annos natus 29. deceſſit, adde quòd illa Evergetis effigies ad ætatem provectiorem vergit, & Epiphanis vultum juveniliorem in ejus nummis, & planè diſſimilem, ſi quidem, anno 1. 5. 7. 10. & 22. cuſos eandem habere in ſe ſimilitudinem proferemus.

Literæ numerales ΙΘ annum imperii Evergetis 19. deſignant, quo nummus fait percuſſus, nempe quando ad Æthiopiæ regiones & ultra occupandas exercitum miſerat Ptolemæus, qua de re moneta in Paphi officina frequens & quæ nobis ſuperſtes fuit, ſignata eſt: plurimos quidem in illa urbe nummos Philadelphi percuſſos ut ſuprà obſervavimus: unde nil mirum ſi eadem illius filio & Heredi adhuc cudit.

NUMMUS
PTOLEMÆORUM SOTERIS ET PHILADELPHI
CUM UXORIBUS REGINIS.



Ap. Eq. Maunier Aleppenſem Pariſiis.

Eadem Capita Soteris & Berenices ſociata, ſine literis ut & Philadelphi & Arſinoes jugata, ſed cum integra ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ epigraphe.

Si

Si conjectura de utraque ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ Soteri & Philadelpho communi appellatione, in ſuperiore nummo ad calcem eorum qui Philadelpho tribuuntur, unde in parte ubi ſociata ſunt Soteris & Berenices capita vox ΘΕΩΝ eſt appoſita, & ΑΔΕΛΦΩΝ in illa ubi jugati ſunt Philadelphi & Arſinoes vultus, veriſimilis videatur; non ideo rejicienda eſt, quia in hoc tetradrachmali, tota inſcriptio ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ, ſtat à parte Philadelphi & Arſinoes ut in Marmore Adulitano appellantur: quùm eadem ſubintelligi debeat in anteriori parte Soteris & Berenices ut eadem non repetatur. Quandoquidem in eodem lapide utrique parentes Dii nominentur.

Non ergo à Philadelpho licèt admodum in parentes pio, percuſſi ſunt illi ex omni forma aurei nummi; nam ſe Deum ut patrem vivens inſcriberet quem unà cum Berenice Ægyptii conſecraverant, ſed ab Evergete Ptolemæo prioris nepote, & Philadelphi filio, qui ut pater Ptolemæum Soterem cum Berenice in Deorum numerum referri curaverat, ita ipſe Philadelpho & Arſinoe parentibus eundem honorem deferre voluit: ut ſe Ptolemæi Regis & Arſinoes Reginæ Deorum fratrum filium & Ptolemæi Regis & Reginæ Berenices Deorum Servatorum nepotem inſcriberet, ut Marmor Adulitanum teſtatur.

Plurimos ſeu minimæ ſeu mediocris, ſeu primæ formæ nummos aureos in variis cimeliis obſervavimus, ſed omnes cum voce ΘΕΩΝ ſupra Ptolemæi & Berenices capita, & ΑΔΕΛΦΩΝ ſupra Philadelphi & Arſinoes vultus, ſolúmque hunc inſpeximus hactenus cum illis verbis ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ ab una parte, unde mox illius nummi apud Antiquarios eximia habenda eſt raritas & elegantia: præter nummi integritatem poſt tot ſæcula ſervatam.

Ponè Philadelphi caput, videtur clypeolus, in quo fulmen eſt inſcriptum; an illo utebatur Philadelphus, in cujus memoriam cum eo Principe ſit percuſſus? fulmen enim poteſtatis & imperii ſymbolum eſt, ut Aquila Lagidarum ſtemma fulmini perpetuo inſiſtit? an verò ſit Monetarii nota? vel urbis, in qua percuſſus eſt nummus, inſigne? videant periti.

PTOLEMÆVS PHILOPATOR,
REX ÆGYPTI. IV.



in Theſauro Regis Chr.
ex num. arg tetradr:

Philop. 1. PTolemæus IV. Ptolemæi Evergetis & Berenices filius Ægypti Regnum
patre mortuo ſub Soſibii tutela ſuſcepit, in patris memoriam, ut ſi quod
in eo veneni ipſi dato eſſet ſuſpicio, averteret, Philopatoris cognomen ac-
Plin. l. 7. cepit; jocularia quidem nomina Tryphonis & Galli cognomina ipſi indita
Mag. Etymol. ſunt, illud ob mollem & delicatam vitam, hoc verò quod foliis hederæ,
ut Galli, matris magnæ ſacerdotes, in Bacchi orgiis inſtructus & coronatus
Plut. in Cleom. incederet. Adoleſcens, effæminatus luſtris & vino erat, ut & ſocors & fa-
Polyb. l. 5. tuus, cujus tutelam pater commiſerat viro ſolertia ac verſutia inſtructiſſimo,
Valeſ. exc. quâ inter Regum ſucceſſiones ſemper principem in adminiſtratione locum te-
nuerat, Soſibius autem callidus & recoctus, ſed maleficus miniſter, quum
Philop. 2. Magam Ptolemæi fratrem, apud milites mercenarios plurimùm pollere ani-
Valeſ. exc. madverteret, Regem autem fœdis amoribus & inſanis, continuíſque pota-
tionibus indulgentem, Ptolemæo fratrem de medio tollere perſuaſit, ut do-
meſtico metu ſolutus vivere poſſet.

Polyb. l. 5. Plut. in Cleom. Cleomenes interea, qui Antigonum Macedoniæ Regem mortuum eſſe
acceperat, Regem adiit, hortatúſque eſt, ut rebus neceſſariis ac milite
inſtructum dimitteret, Ptolemæus multi illi promittens, participem conſilii
fecit, quippe ſingulari prudentia & vero uſu rerum quas geſſerat, pollere
eum noverat. Rex enim & Soſibius Berenices matris potiſſimum audaciam
formidabant. Cleomenes, licèt aſſentientibus omnibus deterruit Regem,
plu-

plures aiens, ſi fieri poſſet gignendos Regi fratres eſſe ad Regni ſecuritatem LAGIDAR.
& perpetuitatem. an. 106.

Quum verò Soſibius fidem diceret mercenariorum militum, quamdiù vi- Id. ibid.
veret Magas, non fore ipſis firmam: reſpondit Cleomenes quod ad id attineret, ut ſecuri eſſent. Plus tria millia ex mercenariis Peloponneſios & Cretenſes ad mille, eſſe ſui ſtudioſos: qui, ſi annuiſſet modò, promptè advolaturi eſſent cum armis.

Hæc oratio non modicam in præſentia Cleomeni & fidem in Regem be- Id. ibid.
nevolentiæ & opinionem autoritatis peperit, ſed his verbis omnibus Soſibius imbecillitate Ptolemæi timiditatem intendente, quum omnia formidaret, omnibúſque diffideret, Cleomenem ipſi & aulicis, quod valeret apud illos, formidoloſum reddidit, Regíque perſuaſit, ut quamprimùm Magæ mortem acceleraret: illum verò à Theogo quodam, paulò pòſt occiſum aiunt eſſe inter laudum acclamationes aquæ ferventis lebete ſuperjecto, Berenicéque mater etiam extincta eſt, & illi qui eos ſectabantur.

Ptolemæus ita exiſtimabat à domeſticorum quidem metu ipſum ſemet ope- Polyb. l. 5.
ra ſua & eorum cæde liberaſſe: ab exteris verò ne periculum ullum haberet metuendum, à fortuna eſſe proviſum: quippe Antigono & Seleuco extinctis, regnare nunc in illorum locum Antiochum & Philippum ambos juvenes ac pueros. Igitur fortunæ ſuæ confiſus, ſic Regnum ſuum adminiſtrabat, quaſi continuos ludos agitaret, actum aulicis ſuis, tum ceteris qui rebus in Ægypto præerant, incurioſum ſe omnium, & difficilem aditu ſe præbebat, negligentem verò & ſocordem illis ſe oſtendebat, qui extra Ægyptum Præfecturas curabant; quum priores Reges non minori curæ, quin imo majori, quàm Ægyptum ipſam ſuúmque in ea imperium res externas habuerint. Itaque res ſuſque deque Ptolemæus habebat.

Antiochus Syriæ Rex licèt juvenis, magno erat animo imbecillem ſocor- Ibid.
démque Ptolemæum agnoſcens de recuperanda Cœleſyria decreverat, ſed in illam irrupturus, Molo Mediæ & Alexander Perſidis Satrapæ ab eo deficiunt contra quos exercitum mittit, porrò Provinciis citra Taurum Achæo commendatis, alias Apameæ copias cogit, & Gerram in Cœleſyria urbem oppugnare tentat; ſed quum illam Theodotus Ætolus, cujus fides erga Ptolemæum adhuc conſtabat, diligenter muniviſſet, Antiochus ab incœpto deſtitit, & contra rebelles ille profeſſus eſt.

Cleomenes poſt Berenices & Magæ cædes negligenter auditus, ſpem qui- Ibid.
dem petendi naves & milites depoſuerat, ſed quum implicitos bello Ætolico Achæos accepiſſet, precibus etiam atque etiam, quò Ptolemæus abeundi ſibi cum ſua duntaxat familia veniam daret, ipſe Rex nulli ſerio negotio attendens futuríque parum providus pro cetera fatuitate atque ſtultitia ſua, verborum Cleomenis rationem nullam habebat. Soſibius autem ob cujus oculos Cleomenis audacia & ſtipendiariorum erga ipſum benevolentia, illum nullo modo dimittendum cum amicis ſtatuebat: nam cum claſſe & pecunia ac commeatu periculum erat ne victor mortuo Antigono, Ægypti Regno metuendus eſſet, qui ejus ſtatum tam diù exploraſſet, ac pro deplorato Regem haberet, virum autem tantum contemptim habitum dimittere, inimicum certum atque hoſtem futurum judicabat, quamobrem illud ſupererat, ut invitum retinerent, & priuſquam evaderet, comprehenderetur & includeretur.

Res in eo ſtatu erat, quum appulit Alexandriam Meſſenius Nicagoras; Polyb. l. 5.
hic oderat Cleomenem, in ſpecie tamen pro amico ſe gerebat. Hunc igi- Plut. in
tur è navi oneraria tunc egredientem Cleomenes videns (nam fortè deam- Cleom.
bulabat in crepidine littoris) diligenter ſalutavit eum, & qua de re in Ægyptum veniſſet, percunctatus eſt. Quum Nicagoras comiter ſalute reddita,

equos

LAGIDAR an. 106. equos bellatores Regi ſe inſignes diceret adducere, Mallem, inquit, ſambuciſtrias & cinædos: nam hæc Rex nunc moratur inprimis, quod Cleomenis de Rege dicterium deinde Soſibio denudavit Nicagoras.

Iid. ibid. Soſibius hanc arripuit anſam & accepit lubens. Ceterùm Ptolemæum majore de cauſâ quærens irritare, induxit Nicagoram ut epiſtolam adverſus Cleomenem Regi ſcriptam relinqueret, ſtatuiſſe illum, ſi naves & milites ab eo accepiſſet, Cyrenas occupare. Ac Nicagoras quidem his ſcriptis literis vela fecit. Quum Soſibius triduo pòſt obtuliſſet Ptolemæo quaſi modò redditam epiſtolam, atque adoleſcentem inflammaſſet viſum eſt in amplis ædibus Cleomenem recludere, præbitóque reliquo conſimili cultu arcere exitu.

Polyb. ibid. Plut. in Cleom. Ptolemæus Canopum urbem Ægypti civitatem, diſtantem ab Alexandria 120. ſtadiis profectus erat, forſan ad feſtivos illos dies per foſſam navigans, qui in Canopi honorem celebrantur, ubi major erat ejus ſollennitas quàm apud Alexandriam. Cleomenes hac Regis ab urbe exitus occaſione, rumorem inter cuſtodes diſtulit inibi ſe eſſe, ut à Rege liberaretur, quòd in more Regi eſſet, ut quos erat carcere ſoluturus cœnam his & munera mitteret.

Ibid. Amici multa talia apparata miſerunt foris in urbem Cleomeni, quo circumvenirent cuſtodes, qui iſta miſſa putabant à Rege, quippe ſacra fecit & participavit cis hæc liberaliter, impoſitáque corona accumbens cum amicis epulatus eſt, & inſuper vinum mitti cuſtodibus, qui nihil quicquam de dolo ſuſpicati, acceptis veſcuntur: ita ſepultis vino cuſtodibus, amicis qui unà erant & famulis comitatus circa meridiem, numero tredecim ſtrictis pugionibus foras erumpunt.

Ibid. Ptolemæus quidam nomine ad urbis cuſtodiam tunc relictus accepto nuntio iis occurrit, ſed ipſe de quadriga dejectus, interficitur: ſimul ad libertatem populus vocatur, quum nemo ſequeretur neque rebelli ſocium ſe adderet, converſo agmine arcem petunt conjurati, clauſtra portularum, ſive feneſtrarum, ſi fortè revulſuri, & ad deſtinata cunctorum opera uſuri: quod eorum conſilium ut præſenſerunt Præfecti arcis, valido præſidio portam muniunt: itaque conjurati, hac quoque ſpe lapſi, generoſo animo & Laconico, manus ſibi intulerunt, atque hunc habuit vitæ exitum Cleomenes.

Ibid. Ut verò rumor eſt per totam urbem dilatus, Crateſilea Cleomenis mater, quamvis generoſa mulier, demiſit ex magnitudine calamitatis animos, liberóſque complexa Cleomenis, projecit ſe in lamentationes. Ex filiis, ſtirpis major ex faſtigio domus præter omnium expectationem deſiliens in caput, ſe præcipitem dedit, atque afflictus quidem fuit, non expiravit tamen, ſed ſublatus eſt, clamans & fremens quòd interpellaretur morti.

Ptolemæus Rex, ubi hæc accepit, corpus imperavit Cleomenis excoriatum in crucem agi, necari inſuper liberos ejus, matrem, & feminas ejus comites. Poſtquam ad ſupplicii locum perventum eſt, pueros primùm ſub oculis Crateſileæ, deinde illam interfecerunt: illa autem hanc vocem tantis in malis miſit. *Quò pueri eſtis profecti!*

Lagid. 107. Philop. 3 Polyb. l. 4. Orto inter Byzantinos & Rhodios bello, hi ut Achæum qui in regionibus Aſiæ cis Taurum latè dominans, rerum potiebatur, quíque Regis nomen paulò antè aſſumpſerat, ſibi devincirent, quum ejus patrem Andromachum, captivum Alexandriæ ut ſuprà diximus detineri ſcirent, conſilium inierunt legationem ad Ptolemæum mittendi, qua illum tradi ſibi peterent, nolebat quidem Philopator illum dimittere, ſperans magno eum ſibi, tempore ſuo fore uſui, necdum enim controverſiæ quam habuerat cum Antiocho quod Gerram urbem ſuam obſederat, finis erat impoſitus, & Achæus qui ſe Regem declaraverat.

Lagid. 108. Philop. 4. Andromachus autem Achæi quidem pater erat & Laodices Antiochi Syriæ Regis matris frater: verumtamen Rhodiorum petitioni annuens Ptolemæus Andromachum ipſis tradidit ut illum filio reſtituerent: poſteáque Achæus ejus

ejus filius conſiliorum ſuorum contra Antiochum ſocietatem cum Ptolemæo iniit. LAGIDAR. an. 108.

Decius Magius Capuæ Præfectus legationem ad Hannibalem ne mittere- Luc. Dec 3. tur, ſumma ope reſtiterat, ab eo ideò poſtulatus, in navem impoſitus Carthaginem miſſus eſt; ſed navem Cyrenas detulit tempeſtas: ibi quum Magius ad Statuam Ptolemæi confugiſſet, deportatus eſt Alexandriam, & poſtquam Ptolemæum docuit, contra jus fœderis junctum ſe ab Hannibale, vinculis liberatus eſt, permiſſúmque ut rediret, ſeu Romam, ſeu Capuam ſi vellet. Magius autem quum Capuam nec ſibi tutam diceret, & Romam eo tempore, quo inter Romanos Campanóſque bellum eſſe, transfugæ magis quam hoſpitis fore domicilium, malle in regno vivere, quem vindicem atque autorem haberet libertatis.

Antiochus provinciis Regni ſui ſuperioribus tandem pacatis, an Ptolemæo? an Achæo bellum inferret dubius, Seleuciam ad Orontis oſtia ſitam Apollophanis Medici ſui conſilio recuperare aggreditur. Hæc urbs Ægypti præſidiis tenebatur à tempore quo Evergetes in Syriam Berenice ſorori auxilium laturus cùm exercitu venerat. Lagid. 109. Philop. 1. Polyb. l. 5. Id. ibid.

Seleuciam armis captam ordinabat Antiochus, quùm illi à Theodoto literæ afferuntur, quibus rogabatur ut contenderet quamprimùm in Cœleſyriam ſignificabat, quam ſe totam ipſi traditurum ſcribebat. Hic Theodotus genere Ætolus erat, qui maximo perſæpè uſui quum fuiſſet Ægypti Regibus, adeò condignum meritis præmium nullum retulerat, ut etiam de vita periculum, ipſi eſſet creatum, ac propterea, quo tempore Antiochus bellum adverſus Molonem gerebat, Theodotus Ptolemæum pro deplorato habens, & illius aulæ proceribus diffiſus per ſe Ptolemaïdem per Panætolum Tyrum occupaverat. Tunc igitur Antiochus expeditione adverſus Achæum in aliud tempus dilata, in Cœleſyriam duxit exercitum, & Gerram iterum aggreſſus eſt. Ibid.

Ptolemæus qui Theodoti defectionis nuntium acceperat, Nicolaum genere etiam Ætolum Ducem ſuum qui bellicarum rerum uſu & audacia nemini cedebat: ad Ptolemaïdem obſidendam miſit: quo Cognito Antiochus, relicta gravi armatura, datóque Ducibus negotio, ut Brocchos Caſtellum in ipſo propè lacum tranſitu ſitum, obſiderent, ipſe cum expeditis militibus ad eximendam obſidione Ptolemaïdem iter intendit.

Nicolaus qui Antiochum adventare, fama nuntiante, jam antè didicerat, Ibid. caſtra movet: ac Lagoram Cretenſem cum Dorymene Ætolo ad occupandas fauces propè Berytum mittit. In hos ſtatim copias duxit Antiochus, manus conſerit, terga vertere hoſtes cogit & mox in ipſis faucibus caſtra metatur. Eò loci copiis ceteris acceptis cum univerſo exercitu ire pergebat. Quum illi obviam proceſſerunt Theodotus & Panætolus amicis ſuis comitati, quos omnes quum benignè Antiochus appellaſſet, Tyrum & Ptolemaïdem illi tradiderunt cum omnibus apparatibus qui in oppidis illis erant.

Ptolemæus interim Memphim urbem conceſſerat, copias ejus Peluſio Ibid. erant congregatæ. Nili aggeres recluſi, omnes aquæ dulcis ſcaturigines obrutæ, quod quum accepiſſet Antiochus, ſententiam de exercitu verſus Peluſiùm ducendum mutavit. Porrò Ptolemæus ſubveniendi rebus ſuis & accedendi propiùs ad hoſtem, ſicut par erat ipſum façere, manifeſta enim perfidia appetitum, ne conſilium quidem aut rationem ullam præ ſocordia inibat, uſque adeo rei militaris cura, atque exercitatio omnis ab eo fuerat ſpreta.

Quod reliquum fuit, Agathocles & Soſibius penes quos ſumma erat Regni autoritas, quod optimum poterant in præſentia conſilium capiunt, nam decernunt in præparatione belli operam ſibi gnaviter eſſe ponendam: interim verò Legatos ad Antiochum mittendos, qui impetum ipſius relaxent, ita denique omnia in ſpeciem eſſe comparanda, ut Antiochus in ea quam antè

H con-

LAGIDAR. an. 109. conceperat de Ptolemæo, opinione confirmetur: nunquam videlicet auſurum ipſum bellare ſecum? verùm per amicos & colloquia acturum, & ut è Cœleſyria excedat, rogaturum.

Ibid. Agathocles & Soſibius ad Anthiocum igitur magno ſtudio legationes miſerunt, ſimul & Rhodios, Byzantinos, Cyzicenos, itémque Ætolos de pace per Legatos ſollicitant inter Ptolemæum & Antiochum, at dùm ultrò citróque ad ambos Reges Legati commeant, præclaram nanciſcuntur ad bellum præparandum Ptolemæi conſiliarii, ipſi Memphi morabantur ibidémque eos excipiebant, qui ab Antiocho venirent, poſtulatíſque illorum perhumanè reſpondebant.

Ibid. Interim ipſi mercenarios milites quos in urbibus ditionis ſuæ ex Ægypto Ptolemæus alebat, convocant & Alexandriam contrahunt, ad conducendum etiam militem peregrinum, conquiſitores dimittunt, & ne vel iis, quos jam habebant, vel iis qui deinceps eſſent venturi, annona deeſſet, providebant; nec minùs de ceteris quoque omnibus rebus bello neceſſariis, ſolliciti erant: eóque fine Alexandriam alterius vicibus ſubindè excurrebant, ut ne quid omninò deficeret eorum, quæ ad propoſita exequenda deſiderari poterant.

Ibid. Armorum autem fabricam, virorúmque delectum atque centuriationem Echecrati Theſſalo & Phoxidæ Melitenſi permiſerunt: adhibiti etiam ſunt ad curationem ejuſdem muneris Eurylocus, Magneſius, & Socrates Bœotius, quibuſcum erat & Cnopias Alorita. Accidit enim ſanè quàm opportuniſſima res Ægyptiis, ut viros iſtos nanciſcerentur qui ſub Demetrio & Antiocho Regibus ſtipendia fecerant verorum certaminum, atque adeò omnium quæ ad expeditionales uſus ſpectant, mediocrem ſaltem peritiam habebant.

Hi multitudinem ſibi traditam, quantúm fieri poterat, militari diſciplina informabant. Jam primùm per genera, pérque ætates tribules, convenientia cuique arma, ſpretis iis quibus antè uti ſolebant, diviſerunt: prioribus deindè ordinationibus ſolutis, totáque illa deſcriptione antiquata, quæ in recenſendis militibus ſtipendiorum cauſa, antea ſervabatur, ex uſu præſentis belli eos centuriarunt. Secundùm hæc, aſſiduis exercitationibus non ſolùm imperia militiæ familiaria illis reddebant; ſed etiam proprios cuique armorum generi motus. Poſtremò armatos convenire in unum jubebant, ibíque ſui officii illos admonebant.

Ibid. Qua in re egregiam cumprimis illis operam navaverunt Andromachus Aſpendius, & Polycrates Argivus: qui & recens è Græcia illuc trajecerant & Græcanicæ audaciæ atque induſtriæ, qua ferè ſinguli Græcorum, in bellis utuntur, magnum cumprimis uſum habebant: hoc & ampliùs viri illuſtres erant, tùm ſplendore patriæ ſuæ uterque, tùm privatis opibus. Polycrates præſertim qui antiquiſſima prognatus ſtirpe, patrem habuerat Mnaſiadem, plurimarum olim palmarum athletam.

Ibid. Hi modò privatim, modò publicè hortando, monendóque, & quos inſtituebant, audaciam & alacritatem ad futurum certamen illorum animis inſeruerunt. Porrò ſinguli eorum, pro ea peritia, qua præcipuè pollebant, ita Ducatus in exercitu gerebant.

Ibid. Eurylocus Magnes trium fermè millium, & hoc eſt, quod apud Macedonas vocatur agema. Socrates Bœotius cetratis bis mille præerat. Phoxidas Achæus, & Ptolemæus Thraſeæ F. prætereáque Andromachus Aſpendius, eodem in campo Phalangem & Græcos mercenarios exercebant. Ceterum Phalangis Duces erant Andromachus & Ptolemæus, conductii milites, Phoxidas. Conſtabat Phalanx hominum numero millium viginti quinque. Mercede conducti accedebant ad octo millia. Equites ad Regium comitatum pertinentes,

tes, erant ad ſeptingentos, quos Polycrates inſtituebat, & una cum iis accitos è Lybia, & ibidem in Ægypto conſcriptos, præterque idem, omnibus his numero ad tria millia. LAGIDAR. an. 103.

Univerſi verò equitatus, & cunctorum qui ſtipendia equis merebant, ad duo millia hominum, Præfectus erat Echecrates Theſſalus, qui cum eximia cura eos exercuiſſet, in ipſo diſcrimine, maximo uſui Ptolemæo fuit ejus opera. Cnopias quoque Alorita in commiſſo ſibi milite inſtruendo præparandóque nemini omnium concedebat: Ii autem erant omnino Cretenſes ad ter mille, è quorum numero fuere Neocretes mille, quibus Philonem Cnoſſium præpoſuerat. Ibid.

Armaverunt & Afrorum tria millia more Macedonico, Præfecto Ammonio Barcæo, Ægyptiorum multitudo ad viginti millia Phalangitarum accedebat; qui Ducem Soſibium habebant: confracta eſt & Thracum, Gallorúmque manus, tum ex iis qui Ptolemæi ditionem incolebant, aut liberis eorum ad quatuor millia: tum ex iis qui inſuper recens fuerant conſcripti ad duo fermè hominum millia, Dúxque illis impoſitus Dionyſius Thrax. Ac Ptolemæo quidem qui præparabatur exercitus, hoc numero conſtabat, & hac gentium ceterarum diverſitate. Ibid.

Antiochus interim urbem Phœniciæ Dora premebat obſidione, cujus incœpti, cùm exitum nullum videret: (nam & locus erat natura munitiſſimus & obſeſſis inde opem ferebat Nicolaus) appetente jam hieme, miſſis à Ptolemæo Legatis demum annuit, ut & induciæ ad menſes quatuor fierent, & de ſumma re ad conditiones æquiſſimas ſe deſcenſurum diceret, quia diutius à ditione ſua abeſſe nolebat, & Seleuciam reducere exercitum ad hibernandum properabat. Jam enim manifeſtum erat rebus ipſius conſtruere inſidias Achæum, à quo Ptolemæum adjuvari nemo dubitabat. Hac venia Legatis data, Antiochus remiſit, juſſos quamprimùm ſibi voluntatem Ptolemæi renuntiare & Seleuciam ad ſe venire. Deinde ubi præſidia locis opportunis impoſuiſſet, rerum omnium cura Theodoto mandata ad reditum ſe accinxit.

Seleuciam ut ventum, in hiberna dimiſit Antiochus: nullam de cetero exercendi militis curam gerente; perſuadebat enim ſibi ad ea quæ reſtabant, nihil dimicatione futurum opus: quód partem aliquam Cœleſyriæ & Phœniciæ jam in poteſtate habens, cetera loca à volentibus, ſe accepturum, & omnia colloquiis tranſacturum ſperabat. Ptolemæum quidem certè periculum ſummæ rerum facere nequaquam auſurum. Idem cum Antiocho & Legati ſentiebant, ea maximè conjectura ducti, quod de negotiis perquam humanè cum ipſis tractaverat Soſibius in urbe Memphi ſedens; quum interim de apparatibus belli, qui Alexandria fiebant, nihil quicquam ſinerentur videre, qui ad Ptolemæum miſſitabantur. Igitur tunc quoque, qui advenerant Legati, Soſibium ad omnia paratum dicere. Ibid.

Porrò autem quoties cum Legatis Antiochus conveniebat, apprimè illi curæ erat, ut non minùs juſtis cauſæ rationibus, quàm vi armorum Legatos Alexandrinos ſuperaret. Qui poſtquam Seleuciam venere, & ad diſceptandas ſigillatim pacis conditiones deſcenderunt, prout mandatum illis à Soſibio fuerat in commemorandis cauſæ ſuis juſtis Antiochus, illatum paulò antè damnum Ptolemæo & inſignem ſibi factam, confeſſione omnium, injuriam, quando in Cœleſyria loca nonnulla occupaverat, non magni æſtimabat; quinetiam perſæpe ita de expeditione illa ſua loquebatur, ut ſi nulla cuiquam facta eſſet injuria, quippe res ad ſe pertinentes illum ſibi vindicaſſe.

Erat Antiocho multùm in ore, Antigonus Cocles, qui primus illam Provinciam armis quæſiviſſet, nec non Seleuci dominatio illorum locorum. Ibid.

LAGIDAR. an. 109. Has eſſe minutè certiſſimas juſtiſſimáſque rationes acquirendo, per quas ad ſe non ad Ptolemæum, Cœleſyria ſpectaret. Ptolemæum enim cum Antigono bellum geſſiſſe, non ut ſibi quidquam pararet; verùm ut Seleucum Provinciæ ejus Imperium ſibi afferentem, adjuvaret, omnium verò maximè communem cunctorum Regum confeſſionem urgebat: illo nimirum tempore factam quum Antigono devicto, Caſſander, Lyſimachus, Seleucus de communi ſententia ad conſultandum congregati in unum, Seleuco Syriam univerſam decreto ſuo attribuerunt.

Contraria his, qui à Ptolemæo dicebant, probare nitebantur; nam & præſentem injuriam exaggerabant: rem enim vero indignam eſſe, quod proditione Theodoti, & expeditione iſta Antiochi, violata ſic fides eſſet. Objiciebant & illud: Ptolemæum Lagi filium, Syriæ Imperium quæſiviſſe ſibi: quippe ea Lege, arma ipſum conſociaſſe cum Seleuco, ut Aſiæ quidem univerſæ dominatus Seleuco pararetur; Cœleſyriam verò & Phœnicem propriam ut ſibi faceret. Hæc & ſimilia his, quum ſæpius per Legatos & in colloquiis utrimque jactarentur, effici tamen omnino nihil poterat, per communes enim amicos controverſia diſceptabatur, & intererat conventibus nemo, à quo reprimi & inhiberi poſſet impetus illius qui lædere alterum videretur.

Ibid. Maximam verò utriſque difficultatem afferebat Archæi negotium: nam Ptolemæo, id ſummo ſtudio agente, ut fœderibus comprehenderetur; Antiochus contrà, ne fieri quidem mentionem ullam omnino ejus rei ferre poterat; rem eſſe indignam clamitans, audere Ptolemæum rebelles protegere, aut cujuſquam illorum meminiſſe.

Ibid. Quum igitur, dum per Legatos agerent, utrique ſuis ſe propugnaculis tuerentur; interim verò pax non conveniret, ineunte jam vere copias ſuas contrahit Antiochus, habens in animo terra maríque hoſtem aggredi, & reliquas Cœleſyriæ partes nondum ſubactas in poteſtatem redigere.

Ibid. Ptolemæus ſummam rerum tuendam Nicolao tradit: commeatus omnium rerum Gazam affatim convehit, copias pedeſtres, maritimáſque emittit: quæ ubi advenerunt, audacter jam bello ſe accingit Nicolaus: ad omnia quæ imperaret, promptum adjutorem Perigenem experiens, qui navibus præerat: Hunc enim claſſi, quam ſubmittebat, propoſuerat tectas quidem naves triginta habentem, onerarias verò amplius quadringentas. Hic parte exercitus, præoccupatis faucibus ad Plabanum, altera parte, in qua erat ipſe, proxima Prophyreoni urbi loca tenens, ne hac faceret Antiochus impreſſionem impediebat, claſſem interim unà ſecum habens in anchoris ſtantem.

Ibid. Antiochus Marathum progreſſus, quum ad eum Aradii veniſſent de ſocietate acturi, pro ſociis accepit eos: deinde per Theuproſopon, Syriam ingreſſus, Berytum venit: & tranſitu Botrim occupavit, Trierem & Calamum incendit, Nicarchum inde & Theodorum præmiſit juſſos in anguſtiis viæ ad Lycum fluvium occupandis hoſtem antevertere: ipſe cum exercitu pergit ire; mox ad Damuram amnem caſtra communit. Diogneto Navarcho cum claſſe illum ſemper comitante. Hic rurſus aſſumptis ſecum Theodoto & Nicarcho cum ea expeditorum manu quam habebant, fauces quas Nicolaus præoccupaverat ſpeculatum eſt profectus, naturáque locorum probe proſpecta, in caſtra ſe recepit. Poſtero die, relicto ibidem milite graviter armato, & Nicarcho illi Præfecto ad propoſita exſequenda cum reliquis copiis ſe ſe Antiochus accinxit.

Ibid. Quum autem Libani montis tractus oram maritimam in anguſtum ac breve ſpatium eò loci cogat: accidit inſuper ut illum ipſum ſpatium inacceſſo atque aſpero quodam clivo præcingantur, qui arctum & difficilem, propter mare, tramitem relinquit: ibi Nicolaus conſederat, & locis aliis idoneo

neo militum præſidio occupatis aliis ſtructura caſtellorum munitis facilè ſe aditu prohibiturum eſſe Antiochum credebat. LAGIDAR. an. 109.

Antiochus diviſo in tres acies exercitu, unam Theodoto tradit, addito præcepto, ut ſecundùm Libanum montem hoſtem peterent, manum conſererent, perrumperent denique. Alteram aciem Menedemo attribuit, cui etiam atque etiam imperavit, ut per medium clivum tentaret tranſitum. Tertiam ad res mari gerendas reſervavit, præpoſito Diocle. Ipſe cum prætoria ſua cohorte medius inter omnes ſtetit: teſtis ſpectatórque omnium quæ gererentur futurus. Simul & Diognetus & Perigenes navales copias ad pugnam direxerunt, terra quàm maximè fieri poterat, appropinquantes, & ut terreſtris navaliſque prælii una dumtaxat appareret connitentes. Ibid.

Mox quum uno omnes dato ſigno, & uno imperio, ſimul haſtam invaderent: Mari quidem pugnæ diſcrimen æquabatur; nam & numero & ceteris rebus æquales erant utrinque navalis prælii apparatus: terra verò, licèt principio ſuperior eſſet Nicolaus Ptolemæi Dux, locorum præſertim natura munitiſſima eum adjuvante; mox tamen poſtquam Theodotus ſtationem in monte locatam vi dejecit pervaſítque, deinde fronte converſa, è ſuperiore loco hoſtes eſt aggreſſus, fugam effuſam capeſſit Nicolaus. Periere ex iis inter fugiendum, ad duo millia, nec pauciores vivi ſunt capti, qui ſupererant cuncti ad Sidonem urbem ſe recipiunt. Perigenes qui de prælio maritimo ſpe lætiore jam erat, ut cladem terra eſſe acceptam videt, conſternatus animo, retro ipſe concedens eadem petit loca. Ibid.

Antiochus cum exercitu profectus ad Sidonem, ſigna conſtituit, urbis tamen oppugnationem non cenſuit ſibi tentandam, Philoteriam ducit, quam cum Scythopoli occupat, deinde Atabyrum cepit. Eo tempore Keræas è numero Præfectorum Ptolemæi ad Antiochum defecit, qui munifice illum ſuſcipiens, animos multorum erexit. Itaque non multò pòſt Hippolochus Theſſalus abductis etiam de Ptolemaïco exercitu equitibus 400. ad ipſum transfugit. Deinde Antiochus Pellam, Canum, & Gephyram ſubegit, in Arabiam deflexit, Abilam & Gadaram in deditionem accepit, Rabatamana Arabiæ urbem occupavit, tandem Ptolemaïdem reverſus, in Hiberna conceſſit. Lag. 110. Philop. 6. Ibid.

Ineunte vere Ptolemæus & Antiochus præparatis rebus omnibus, in eo jam erant, ut expeditionem ſuſceptam, prælio terminarent. Ptolemæus igitur peditum ſeptuaginta millia, equitum quinque, beſtias tres & ſeptuaginta ſecum trahens, Alexandria movet. Antiochus cognito hoſtem adventare, & ipſe copias ſuas in unum cogit: numerus peditum, duo & ſeptuaginta millia, equitum ſex, elephanti duo ſupra centum. Ibid.

Ptolemæus Peluſium profectus, in ea primùm urbe caſtra poſuit. Ibi aſſumptis qui ſequebantur à tergo, poſtquam frumentum exercitui eſſet menſus, movet caſtra, pergitque ire per terram carentem aqua propter Caſſium montem, & ea quæ vocant Barathra, iter faciens. Gazam ut ventum eſt, & pars exercitus ibi eſt aſſumpta, placidè leniterque ut antè proceſſit. Quintis caſtris quò deſtinaverat, pervenit, ibique ſtadia quinquaginta ab oppido Raphia, ſigna conſtituit. Antiochus decem fermè ſtadia ab hoſte locum caſtris noctu cepit: deinde propiùs Ptolemæum conſedit, non longiore ſtadiorum quinque intervallo, inter utraque caſtra relicto. Ibid.

Eodem tempore Theodotus, facinus eſt auſus Ætoliæ quidem, ſed tamen virilis prorſus audaciæ. Quia enim in Ptolemæi aula, antea verſatus fuerat, ac propter mores illius & vitæ quotidianæ conſuetudinem notam habebat, duobus tantùm comitatus, ſub lucem hoſtile vallum intrat, & à vultu ille quidem dignoſci non poterat propter tenebras; à veſte autem & cetero Ibid.

 cultu

Digitized by Google

LAGIDAR. an. 110. cultu notabilis non erat, obſervato autem ſuperioribus diebus loco tabernaculi Regii magna audacia fecit impetum: ac primò quidem obvios omnes fefellit: verùm ubi in tentorium illud irrupit, in quo reſponſa dare adeuntibus & cænare ſolitus Rex erat, omnes ſcrutatus angulos à Rege oberravit duobus ex iis qui ibi curabant vulneratis, Andrea etiam Archiatro obtruncato.

Sic rem narrat Macchabæorum ſcriptor. Doſitheus filius Drymilli dictus, Lib. 3. natione Judæus, poſtea verò facta à lege tranſitione, à patriis ſanctioribus alienatus cùm Theodotum ſubduxiſſet, ignobilem quemdam ſuppoſuit in tabernaculo quem ipſe pro Ptolemæo obtruncavit.

Poſtquam per dies quinque oppoſita invicem caſtra Reges habuiſſent, viPolyb. l. 5. ſum utrique eſt, prælio jam decernendum. Quum igitur prior Ptolemæus ſuos è vallo eduxiſſet, ex templo Antiochus quoque educere è caſtris, & aciem contrà dirigere. Phalanges ſuas ambo & delectorum aciem armatu Macedonico inſtructorum adverſis invicem frontibus collocarunt.

Cornua Ptolemæus ordinaverat hoc modo. Lævum curabat Polycrates Ibid. cum iis equitibus qui Ducatum ejus ſequebantur: Inter hos & Phalangem, primi erant Cretenſes ad latus ipſum equitum, ſequebantur Regii Prætoriani, quos agema vocant, deinde cetrati Duce Socrate, hi Lybicos contingebant, qui Macedonum armis erant ornati. Dextrum cornu tenebat Echecrates Theſſalus, equites habens quibus præerat, ad lævam Echecratis Gallos & Thraces collocaverat: deinceps Phoxidam cum mercenariis Græcis qui Ægyptiacæ Phalangi adhærebant: ex elephantis quadraginta in lævo cornu fuerant locati, ubi Ptolemæus ipſe pugnam erat facturus, tres & triginta dextrum cornu & mercenarios equites protegebant.

Ibid. Antiochus verò beſtias ſexaginta, quibus erat præpoſitus Philippus ejus collectaneus, ante cornu dextrum, ubi dimicaturus erat cum Ptolemæo, locat, horum à tergo equites bis mille Duce Antipatro ſtare juſſit, quibus totidem alios in modum forcipis diſpoſitos adjunxit, juxta equites, in fronte aciei Cretenſes ſtatuit, deinde eos qui fuerant è Græcia acciti: inter hos & Macedonicam armaturam quinque illa interpoſuit millia, quæ Bybbaco Macedoni parebant. Lævam deinde aciem dirigens, in ipſo cornu equites bis mille poſuit, quorum Dux Themiſon; his Cardacas applicuit & Lydos jaculatores: deinde expeditorum tria millia ſub Menedemi Ducatu: his adhærebant Ciſſii, Medi, & Carmanes: his Arabes & finitimi populi, qui jam Phalangem ipſam contingebant: reliquos elephantos ſiniſtro cornu præpoſuit, Præfecto illius Myiſco inter pueros Regios in aula quondam educato.

Ibid. Ad hunc modum inſtructis utrimque copiis, uterque Rex amicis ac Ducibus comitatus aciei frontem obequitans ſuos alloqui cœpit, fortitudinem militum extollere, ordines ſuos hortari, maximam in Phalangibus ſpem habere: Phalanges enim Rex uterque & delectos Macedonico more armatos contra ſe invicem collocarant: Milites autem unà cum Ptolemæo, Andromachus Aſ-
Maccab. Lib. 3. pendius, & Soſibius hortabantur, Arſinoe Ptolemæi ſoror ſedulò copias obambulans, capillis ſolutis cum lachrymis orabat miſerabiliter milites, ferrent opem audacter ſibi, liberis, & uxoribus, binas victoribus auri minas daturam ſingulis pollicens: Antiocho verò Theodotus & Nicarchus ſuos monendo rogandóque ſecundas agebant.

Ibid. Mox ut pervenere, Ptolemæus quidem & Arſinoe ad aciei lævum cornu. Antiochus verò cum Regia equitum turma, claſſicum incinere juſſis tubicinibus, prælium elephantis commiſerunt: ceterùm belluarum Ptolemæi pleræque certamen detrectabant; nam Libycis elephantis id accidere ſolet ut neque odorem, neque barritum Indicorum ferant. Quum igitur ſubitò conſternati omnes, & in fugam verſi ordines perturbarunt, Ptolemæi agema illis urgentibus eſt inclinatum. Antiochus circumducto ſupra beſtias agmine, in Polycra-

cratem & equitatum, cui ipſe præerat, dedit impetum: ſimul Græcorum mercenarii, qui circa Phalangem fuerant ab Antiocho conſtituti, Ptolemæi eectratos impellunt, quorum jam antè ordines, beſtiæ turbaverant; ac lævum quidem Ptolemæi cornu hoc pacto oppreſſum, omni ex parte in fugam inclinavit. LAGIDAR. an. 110.

Echecrates verò qui in dextro curabat, poſtquam pulverem ingentem ferri in ſuos vidit, beſtias autem quæ à ſuis partibus ſtabant, ne accedere quidem ullo modo ad hoſtem velle, Phoxidæ Græcorum mercenariorum ductori mandat, ut oppoſitos ſibi hoſtes invaderet, ipſe equitibus longo agmine eductis, hoſtilem equitatum à tergo & latere adoriens in fugam citò vertit: idem & Phoxidas & omnes qui circa illum erant, fecerunt: in Arabes nemque & Medos facta impreſſione, terga dare omnes coegerunt. Igitur dextrum quidem Antiochi cornu vincere, & ſiniſtrum vinci, & cùm hoc pacto Phalanges amborum nudatæ ſuis cornibus eſſent, ipſæ interim medio campo manebant inter ſpem metúmque de futuro pariter fluctuantes. Ibid.

Quæ quum agebantur, Antiochus in dextro cornu proſperam pugnam faciebat: Ptolemæus verò, qui ſe in Phalangem ſe receperat, quum in mediam progreſſus aciem veniſſet, ſéque militibus oſtendiſſet, tantam ſuis alacritatem, hoſtibus verò pavorem ingeneravit. Igitur Andromachus & Soſibius in hoſtem ducere cœperunt: delecti quidem è terra Syria milites aliquando in acie reſtiterunt, ut qui Nicarchi ductu regebantur, at vix primum ſuſtinentes impetum, ceſſere pugnámque omiſere. Ibid.

Antiochus ut rerum imperitus ac juvenis, quia ipſe ex adverſo ſtantes hoſtes vicerat, ceteras quoque ſui exercitus partes vincere omnes ratus, fugientes perſequebatur: tandem verò ab aliquo è ſenioribus quid ageretur attendere monitus, quum ille ei pulverem indicaret, qui è media acie ad caſtra ipſius ferebatur: tùm demum re cognita, in eum locum, ubi ſteterat acies, accurrere conatus, ubi omnes ſuos fugæ ſe mandaſſe comperit, etiam ipſe Raphiam conceſſit. Ibid.

Ptolemæus proſperum ſummæ rerum eventum per Phalangem conſecutus, per equites verò & mercenarios dextri ſui cornu, multis fugientium hoſtium occiſis, in caſtra ſe recipit: poſtridiè verò ſublatis ſuorum corporibus humatíſque; hoſtium autem ſpoliatis, movet ſigna & Raphiam ducit. Ibid.

Antiochus ſtatim à fuga, ſuis collectis, ex urbe caſtra munire voluerat, ſed quia milites ejus magna ex parte intra mœnia penetraverant, ipſe quoque ingredi fuit coactus. Sequente die ductis ſub auroram copiis, Gazam contendit, ubi poſitis caſtris ad Ptolemæum de tollendis cadaveribus mittit, impetratáque ab eo venia, mortuis juſta facit. Deſiderati ſunt ex Antiochi militibus non multò pauciores millibus decem peditum, treceati equites, & eò plures: capti ſunt vivi ſupra quatuor millia; elephanti in conflictu periere tres è vulneribus, poſteà duo. Ex Ptolemaicis occiſi ſunt pedites mille quingenti, equites verò ſeptingenti: ex elephantis ſedecim ſunt trucidati, reliquorum pars major capta. Hic fuit ejus pugnæ exitus, quam de Cœleſyriæ imperio ad Raphiam Reges inierunt. Ibid.

Victor Ptolemæus & Raphiam, reliquáſque Cœleſyriæ urbes à civibus ſuis traditas recepit; quum omnes civitates in dominatu ipſius inſtaurando & deficiendo ad illum de celeritate inter ſe certarent. Eſt ſanè mos hic cunctis mortalibus in ejuſmodi temporibus, ut præſenti fortunæ ſe accommodent. Fit etiam neſcio quo modo, ut Cœleſyriæ populi ad venerationem hujus Regiæ magis inclinent. Itaque ad demerendam ejus gratiam nullum blandimenti genus prætermittentes, coronis, ſacrificiis, altaribus, ceteróque ejus generis cultu Ptolemæum honorarunt: ille propinquas civitates Maccab. lib. 3.

adiens,

LAGIDAR. an. 110. adiens, donariáque delubris earum diſtribuens, ut ſubditi ſui bono eſſent animo, effecit.

Ibid. Judæi etiam miſerunt è ſenatu Senes ad Philopatorem, ut ſalutarent eum, ferentes munera, déque rebus geſtis ei gratularentur; inſedit & eum cupiditas major ſe quamprimùm ad eos conferendi: venit itaque Hieroſolymam, Maximóque Deo ſacra fecit & gratulatione facta, quæ faſerat loco præſtitit, deinde in locum ingreſſus, præ elaborato induſtria obſtupuit, & concinnam templi ſtructuram miratus, in aditum quoque intrare cupidè cogitabat: illis autem negantibus hoc eſſe fas, quod neque ne indigenis quidem liceret ingredi, adeóque nec Sacerdotibus, præterquam uni primo omnium Pontifici, ídque ſemel in anno tantùm: Quùmque Regi creſceret ex recuſatione deſiderium, templum clamore & ejulatu repletum eſt, & civitas tumultu querelíſque confuſa.

Ibid. Simon quidem ſummus Pontifex genibus ex adverſo adito flexis & protentis manibus, Deum precatus eſt, qui Regem violentia, magnáque contumacia elatum, hinc atque illinc percellens, ut arundinem ventus, ita flagellavit, ut jam humi jaceret mutilis membríſque ſolutus, & juſto ſupplicio implicatus, vocem mittere non poſſet. Quocirca amici ejus & ſtipatores corporis metuentes, ne cum vita quoque deficeret, ingenti pavore perculſi, eum extraxerunt. Poſtcà verò quum ſe recollegiſſet, diſceſſit minitans atrocia.

Eutrop. lib. 3. Romani legatos ad Ptolemæum miſerunt auxilia promittentes, quia Antiochus bellum ei intulerat. Ille gratias Romanis egit, auxilia non accepit: jam enim fuerat pugna tranſacta.

Polyb. l. 5. Antiochus ſimul ac cognominem ſibi urbem ingreſſus eſt, Antipatrum nepotem, & Theodotum Hemiolum Legatos de pace ad Ptolemæum miſit, admodum enim verebatur, ne ab hoſtibus bello peteretur, & quum propter acceptam etiam cladem ſubditorum multitudini parum fideret, ab Achæo, ne hac occaſione adverſùs ſe uteretur ſibi metuebat. Quorum omnium nihil reputans animo Ptolemæus, victoria tam inopinata contentus, & omnino Cœleſyriæ imperium recuperaſſe præter ſpem ſatis habens; adeò non erat alienus à quiete, ut plus etiam quàm par eſſet, ejus deſiderio tangeretur; impellente ignavia, & ceteris animi morbis, qui per univerſam vitam fuerunt illi familiares. Itaque ergo, ubi Antipater cum reliquis Legatis ad eum venit, minaciter paululùm eos allocutus, & de Antiochi queſtus injuriis, inducias in annum eis conceſſit: ac deinde firmando fœderi Soſibium miſit.

Ibid. Ptolemæus verò tres in Cœleſyria ac Phœnicia menſes moratus ad componendum ſingularum civitatum ſtatum mox omnibus illis locis Prætorem relinquens Andromachum Aſpendium, cum ſorore & amicis ad repetendam Alexandriam caſtra movet: impoſito eo fine huic bello quem ſubditi, reliquæ ejus vitæ atque inſtitutorum gnari, ſatis mirari non poterant.

Philop. 7. Excerpt. Valeſ. Reverſus in urbem Rex, à ſtudio rerum honeſtarum ad luxurioſum ac perditum vivendi genus ſe contulit: non ſolùm ſe innumeris effudit libidinibus, ſed eò quaſi evaſit temeritatis, ut decreverit gentem Judaicam notare publica ignominia, in columna igitur quam impoſitam ad Regiam, in turri

Maccab. lib. 3. erexerat, literis curavit inſculpendum, ne quis ſacrificare volens, ingrederetur in templa Ægyptiorum, útque Judæi omnes cenſu habito, ad ſervilem redigerentur, cui rei ſi qui contradixiſſent, eorum corporibus pro ſtigmate, inſigne Bacchi folium hederaceum inureretur. Ceterùm ne omnibus infenſus eſſe videretur, ſubſcripſit quod ſi qui inter eos, qui ſolennibus ſacris initiarentur verſari maluiſſent, ut pari cum Alexandrinis civibus jure uterentur.

Quidam

Quidam avitæ Religionis exoſi conſenſerunt, quaſi magnam conſecuturi eſſent ex futura cum rege communicatione gloriam: plerique verò fortitudinem animi obtinentes à pietate non receſſerunt, ſed vitam pecunia redimentes, & eos qui deficiebant, pro gentis ſuæ hoſtibus habebant, communíque excludebant commercio & uſu. His intellectis Rex tantoperè iratus eſt, ut non modò Alexandriæ exerceret iram ſuam, ſed etiam reliquam Ægyptum incolentibus graviorem ſe exhiberet inimicum, omnéſque eodem quamprimùm congregatos, peſſimo ſupplicio è vita tolli juberet, miſſáque eſt his omnibus Prætoribus littera. an. III. Ibid.

Rex Ptolemæus Philopator

Ducibus ac militibus qui ſunt in Ægypto, ſinguliſque ſalutem ac ſanitatem.

Nos poſtquam ſuſcepimus expeditionem in Aſiam, ut ipſimet ſcitis, eóque datis nobis à Diis inoſtenſo auxilio, noſtríſque viribus ex ſententia noſtra, quamoptimè confecta eſt, putavimus non armorum violentia, ſed comitate multáque humanitate tractandas quæ Cœleſyriam & Phœniciam habitant gentes, beneficiiſque ultrò afficiendas: quúmque templis urbium reditus quamplurimos contuliſſemus, addicti ſumus ut Hieroſolymam quoque aſcenderemus ad templum peſtiferorum qui inſanire nunquam deſinunt, honorandum. At illi verbis adventui noſtro gratulati; reipſa nihil ſincerè affecti, quum cuperemus adytum eorum ingredi, ídque eximiis ac pulcherrimis condecorare donariis, antiquo faſtu permoti, nos ingreſſu prohibuerunt, ignari potentiæ noſtræ: propter eam quam omnibus hominibus exhibemus humanitatem, atque inimico ſuo in nos animo palàm declarato, quaſi ſolum gentium ferre voluerunt præ ſuperba in Reges & de ſe benè meritos contumacia. Nos tamen horum acti inſania, poſtquam reportata victoria pervenimus in Ægyptum, comitate utendo erga omnes gentes quod decuit, fecimus: atque in tali re congeneribus eorum omnibus injuriarum oblivione promulgata tam ob ſocietatem, quàm ad concredita ipſis ab initio per ſimplicitatem infinita negotia auſi ſortem eorum mutare, & eos civitate Alexandrinorum dignari volumus atque in conſortium perpetui Sacerdotii recipere.. At illi rem contrà interpretantes & bono, congenita ſibi pravitate, repudiato, in malum aſſiduè proclives, non modò recuſarunt contemptam ignominioſè civitatem; ſed etiam verbis & re paucos ex ipſis ſincerè erga nos animatos finem conſecuturos. Quapropter conſecuturis perſuaſum optimè habentes hos omnibus modis erga nos malè eſſe animatos, & proſpicientes ne quando repentino poſthac exorto tumultu, in tergo nobis habeant impios iſtos proditores & atroces hoſtes. Mandandum putavimus, ut ſimul atque primùm hæc reddita fuerit epiſtola, eodem illo die, qui judicati fuerunt, unà cum uxoribus & liberis, cum violentis vexationibus, ferreis undique vinculis conſtricti mittantur ad nos ad inevitabilem calamitatem & ad infamem cædem hoſtibus congruentem. Nam ſimul atque in hos fuerit animadverſum putamus fore ut in poſterum res noſtræ ſtabili & optimo loco ac ſtatu conſtituantur. Quòd ſi quis Judæum quempiam à natu maximo ad minimum etiam adluctantes uſque tutatus fuerit, is cúm omni familia fœdiſſimis tormentis excruciabitur: qui verò nomen cujuſpiam deferre voluerit, is prætérque quod conſequetur bona damnati, & de Regia pecunia drachmarum argenti duo millia, libertatíſque corona donabitur. Omnis autem locus in quo deprehenſus omninò fuerit Judæus receptus, is deſolatus igni tradatur ad perpetuum tempus inutilis.

LAGIDAR. an. 112. Philop. 8. Polyb. l. 5. Ibid. Maccab. Lib. 3.

Antiochus fœdus cum Soſibio affirmavit & ineunte vere facta cum Attalo ſocietate Achæum bello eſt aggreſſus.

Promulgato edicto advehebantur ferarum inſtar, ferreorum vinculorum vi tracti, alii jugis navium affixi cervicibus, alii pedibus conſtricti pedicis indiſſolubilibus denia quoque ſupernè tabula incumbente Eorum deſcriptio à Regis Miniſtris diebus 40. facta eſt à Maii die 20. uſque ad Junii 29. poſt autem hoc temporis ſpatium, quum Scribæ ad Regem renuntiaſſent ſe deſcriptioni Judæorum non ſufficere ampliùs propter immenſam eorum multitudinem.

Ibid. Rex aſſervatos in Hippodromo morte afficit tribus abhinc diebus, & Hermoni elephantorum Præfecto juſſit, ut proxima die quingentis thus largè cum mero potui daretur Elephantis, ut potu affatim præbito efferati, ad mortem Judæis inferendam introducerentur; ſed quum poſtero die convivium lautum convocatis amicorum & exercitus ſui præcipuis feciſſet, altus ſoporeum detinuit, uſque ad horam prandii & ampliùs, in craſtinúmque diem Elephantos eodem modo præparari jubet. Tertio autem die quum Ptolemæo præſente in Judæos immittendæ eſſent belluæ, duo ac terribiles Angeli deſcendere, omnibus præterquam Judæis viſi ſunt, qui hoſtiles copias perturbarunt, iiſque terrorem injecerunt, & quaſi compedibus conſtricti, immobiles facti ſunt. Tum corpus Regis inhorruit, Belluæque in armatos converſæ, eos obterebant & perimebant.

Ibid. Rex itaque, ira ad commiſerationem verſa, Judæis vincula adimere jubet, Deum ipſorum protectorem agnoſcit, & in urbem reverſus ipſis convivium per ſeptem dies ſubminiſtrat, decreto, ut quo in loco mortem ſibi ſubeundam illi putaviſſent, in eo ſalutis diem celebrarent, permiſitque illis, ut eos qui legem Dei violaſſent, in omni Regni ſui loco perimerent. Tum gratiis Regi actis cum gaudio diſceſſere, & quum 300. in itinere Apoſtatas ſuſtuliſſent, Ptolemaïdem Rhodophoron, ubi claſſis eos expectabat, pervenerunt, ibique ex communi conſilio convivium per ſeptem dies celebrarunt; Rege ipſis propenſo animo cuncta ad profectionem neceſſaria, cuique domum ſuam perveniſſet, ſuppeditante. Terra, mari, fluvióque incolumes ad ſua ſunt reverſi.

Polyb. l. 5. Achæus contra Antiochum qui ſuperato Tauro in Aſiam deſcenderat, & Attalus qui ex Pergamo contra illum progreſſus erat copias ducere in utrumque cùm non poſſet, tandem ſe Sardes recepit.

Ibid. Ægyptii proſpera ad Raphiam pugna inflati, dicto audientes eſſe Ptolemæo non ampliùs dignabantur, Rex cùm adverſus Antiochum illos armaſſet conſilio uſus eſt, ut tunc non inutili, ita poſteà pernicioſo: Ducem & autorem requirebant tanquam idoneis viribus præditi, quoad extremum fecerunt, ídque non ita multò pòſt Ptolemæus in bellum cum defectoribus deſcendere coactus eſt, in quo Judæi beneficio recenti ab eo affecti, quum ditionis ejus munitiones fideliter obtinerent à Regis partibus fuerunt, in quo 40. millia armatorum ex eorum numero cæſa ſunt.

Lagid. 113 Philop. 9. Euſeb. Chron. Jornand.

Polyb. l. 8. Achæus jam ab anno & ampliùs Sardibus detinebatur obſeſſus ab Antiocho, quum Soſibius urbem eſſe captam accepit & Achæum in arce recludi, eum à periculo liberare conatus eſt. Bolidis cujuſdam opera uſus. Bolis ille erat genere Cretenſis, ſed qui longo tempore in Aula Ptolemæorum honoribus qui ſolent tribui Ducibus: vir prudentia, præcipiti audacia, & uſu rerum bellicarum nemini, ut erat hominum opinio ſecundus. Propterea Soſibius, ubi multis ſermonibus fidem illius, benevolentiam, ac ſtudium ſibi conciliaſſet, patrandæ rei conſilium cum eo communicat: nihil ipſum impræſentiarum gratiùs Ptolemæo præſtare poſſe affirmans, quàm ſi modum aliquem ac rationem liberandi Achæum ſollerter cominiſceretur.

Ibid. Ea oratione audita Bolis, tum quidem, ubi cogitatutum ſe de iis quæ

fuerant dicta reſpondiſſet, diſcedit. Re autem apud ſe expenſa, altero ter- LAGIDAR.
tióve die pòſt Soſibium adit, atque in ſe negotium ſuſcepit: quippe Sar- an. 113.
dibus perdiù ſe fuiſſe, locorum peritiam habere, Cambylum verò Præfectum
Cretenſium qui Antiocho militabant, non ſolùm civem eſſe ſuum, verùm
etiam cognatum atque amicum. Cambylo huic & militibus, queis ipſe im-
perabat; cuſtodia fuerat commiſſa unius è propugnaculis ponè arcem ſitis,
quæ muniri opere quum non poſſent Cambyleorum militum ſtatione aſſidua
cuſtodiebantur.

Placuit Soſibio commentum, eíque affatim pecuniam largitus ne quid Ibid.
deeſſet quod propoſitum moraretur: ſimul, à Rege & illo ipſo cujus ſaluti
conſulebatur, mirifica quædam beneficia Bolin manere confirmans, ſpe in-
genti ejus animum impleverat, & ipſe quoque Bolis ad rem exſequendam,
promptus nulla mora interjecta, teſſeris ac fidei pignoribus acceptis, Rho-
dum ad Nicomachum qui benevolentia ac fide paternum Achæo affectum
præſtabat, & Epheſum ad Melanconium navigat; iſti namque erant quorum
opera in communicandis cum Ptolemæo conſiliis & aliis omnibus externis ne-
gotiis ſuperioribus quoque temporibus utebatur.

Bolis ut Rhodum venit, ac mox Epheſum, cum dictis viris de hoc in- Ibid.
cœpto locutus, eóſque ad poſtulata ſua paratos nactus, mox Arianum unum
è ſuis ad Cambylum cum hiſce mandatis proficiſci jubet: ab Alexandria
miſſum ſe peregrino milite conducendo, de neceſſariis quibuſdam rebus cum
Cambylo velle conferre. Arianus cum Cambylo mox agit, ſuáque illi man-
data exponit. Cambylus ad omnia quæ petebantur paratum ſe oſtendit:
diem, locúmque ambobus notum, ad quem noctu veniretur, conſtituit: ita
Arianum remittit.

At Bolis ut pote Cretenſis, & homo inſtabilis unamquamque rem in animo Ibid.
ſecum verſare, & omnes conſiliorum vias expendere, tandem ut erat con-
ſtitutum, ad Cambylum accedit, epiſtolam ei tradit, non de Achæi ſalute,
ſed de propria ſecuritate atque utilitate conſultant, & ut ambo erant Creten-
ſes, decem talenta, quæ Soſibius in anteceſſum numeraverat, æquis par-
tibus inter ſe diviſerunt, & rem ampliori mercede cùm Antiocho pacta, ipſi
aperuerunt.

Antiochus rei adeò ſibi gratæ, atque ejus inopinatæ, pollicitationem au- Ibid.
diens, omnia promittit ut Achæum ſibi traderent: itaque Bolis cum Ariano,
qui jam cum Achæo in arce collocutus erat, introducti ſunt noctu, ut illum
extraherent, & in tutum locum deducerent, ſed in inſidias lapſum Bolis
ipſe Achæum corripuit, ne ſibi manus gladio, ad id parato manus inferret,
& è veſtigio ſic traditus ad Antiochum qui illum expectabat in tabernaculo,
adductus eſt, & mane in crucem membris mutilatis miſer ſublatus eſt: ita
Achæus illorum perfidia victus, quibus fidem habuerat, diem ſupremum
obiit.

Hieronymus Gelonis filius, avo Hierone Siciliæ mortuo ſuum in ejus inſulæ Liv. Dec. 3.
Regnum adventum per Soſippum Legatum, Heracleæ amitæ ſuæ ſignificavit, l. 7.
ſed intereà ipſo à conjuratis occiſo quum tantùm duodecim eſſet annorum, ro-
gatio à Prætoribus promulgata eſt ut omnis Regia ſtirps interficeretur, He-
raclea in ſacrarium confugit & petiit ut è Sicilia ablegaretur & in Alexan-
driam ad maritum aſportaretur, ſed jam necata erat, quum vitæ nuntius
tardè acceſſit.

Romani Alexandriam ad Ptolemæum Cleopatrámque Reges Marcum At- Lagid. 114.
tilium & Manium Acilium Legatos ad commemorandam renovandámque Philop. 10.
amicitiam miſerunt: hi dona tulere, Regi togam & tunicam purpuream cum Liv. Dec. 3.
ſella eburnea, Reginæ pallam pictam cum amiculo purpureo. l. 7.

Quum Ætoli eſſent in Ægyptiorum Regum ſocietatem admiſſi poſtquam Lagid. 115
Philop. 11

LAGIDAR. an. 115. Philop. 11. illi à Philippo Macedoniæ Rege defeciſſent & cum Romanis ſe confœderaſſent, Philippus iis bellum denuntiavit. Itaque Legatos ad Philopatorem miſerunt Ætoli, ut vellet ſuos ad Philippum pro pace inter eos inienda mittere.

Lagid. 116. Philop. 12. Polyb. Philopator in Ætolorum gratiam ad Philippum Legatos miſit pro dirimendo inter illos bello, ex quorum numero videtur fuiſſe Soſibius Soſibii Regis conſiliarii filius faſtu quidem turgens ob paternas opes & ingenio quo pollebat: Illi Regem in Malliaco ſinu apud Phaleram urbem adierunt; eóque loci & Athenienſium, Rhodiorum, Chiorúmque Legati convenerunt: ubi poſt triginta dierum inducias, ad pacis conditiones diſcutiendas, de ipſa poſteà conſultatio in concilium Achæorum dilata eſt.

Lagid. 117. Philop. 13. Hieron. in Daniel. Juſtin. lib. 30. Ptolemæo filius ex Arſinoe ſorore & uxore naſcitur qui quadrimulus, aliis quinquennis in Regno patri ſucceſſit, ſed de illius ætate, intelligendi ſunt quatuor anni elapſi. Philopator autem licèt Imperii hæredem ſuſcepiſſet, luxu tamen & vino perditus, inſanis Agathocleæ amoribus ſemper erat implicatus, cujus etiam fratrem Agathoclem in deliciis habebat.

Lagid. 118. Philop. 14. Polyb. l. 11. Antiochus tædio tandem affectus ob diuturnitatem belli contra eos qui in ſuperioribus provinciis rebellaverant, Euthydemum, quem acie vicerat, in amicitiam recepit, & ſic Regnum non mediocriter ſtabilivit, poſteáque rebus ubíque compoſitis in Syriam reverſus eſt.

Id. lib. 15. Philopator Agathocleæ illecebris omnino captus, Arſinoes uxoris & ſororis quærimonias impatienter ferens, Soſibii arte & conſilio eam è vita tollere decrevit, negotiúmque Philammoni commiſſum eſt.

Lagid. 119. Philop. 15. Valeſ. Excerpt. Soſibius πολυχρόνιος appellatus, quum inter varias Regum ſucceſſiones ſemper principem locum in adminiſtratione tenuiſſet, obiit, relicto filio nomine etiam Soſibio, quem legatione ad Philippum Macedoniæ Regem functum ſuprà diximus: hic verò poſtea inter Regis ſatellites adſcriptus fuit.

Lagid. 120. Philop. 16. Ibid. Agathoclea malis artibus Ptolemæi Regnum evertebat, creſcente enim licentia, nec parietibus Regiæ domus contineri meretricis audacia poterat, quam proterviorem ſociata cum fratre Agathocle ambitioſæ pulchritudinis ſcorto, quotidiana Regi ſtupra faciebat: & mater Oenanthe accedebat, quæ geminæ illecebris devinctum Regem tenebat; jam Regnum poſſidebant, Agathocles Ptolemæi lateri junctus, civitatem regebat, Tribunatus, Præfecturas, & Ducatus mulieres ordinabant nec quiſquam in ſuo Regno minùs quam Rex ipſe poterat.

Hier. in Daniel. l. 11. Antiochus è ſuperioribus provinciis redux, contempta Philopatoris ignavia eò quod deperiret Agathocleam, fratrémque & ipſum haberet concubitum, quem poſteà Ægypti Ducem conſtituit, incredibilem de illis exercitum congregavit.

Lagid. 121. Philop. 17. Epiph. de menſ. Philopator in omnem magnitudinem nominis ac majeſtatis oblitus, noctes in ſtupris, dies in conviviis conſumens anno Regni 17. deceſſit, licèt quidam illud contra omnium opinionem ad 22. protogaſſe referant, relicto puero quinquenni cujus tutela Agathocli à patre commiſſa eſt per interim ſcilicet ſi P. Romano per teſtamentum data perhibeatur.

Val. Max. lib. 8. Polyb. Rex fuit impuriſſimus, vecors, fatuus, & crudelis, Regni auſpicia ſi non à patris, ut quidam putant, ſaltem à matris & fratris parricidio cœpit: vitam in luſtris, popinis, alea & vino conſumpſit, relicta Regni cura, quòd eſſet parum huic idoneus Soſibio primùm & Agathocli poſteà; ſed hic nulla rerum adminiſtrandarum felici, ut pote juvenis, nec aulica ſolertia, aut eximia indolis conſuendis verſutia, qua arte Soſibius excellebat, præditus erat, ſed ſic Regis gratia fretus & ſic brevi poſt Regis mortem omnibus fuit.

Juſtin. l. 30. c. 1. Ptolemæi mores ſecuta eſt Regia; verùm etiam omnis exercitus depoſitis mili-

militiæ ſtudiis, otio ac deſidia corrupti marcebant. Rex quidem voluptatis gratia, ut in Nilo veheretur cum uxore & iis omnibus, qui ad lectum nuptialem pertinebant navim nomine, *Thamegon*, ædificari juſſit: ejus longitudo pedum trecentorum duodecim: latitudo major quam cubitorum triginta: altitudo tabernaculi ſub recto faſtigio, parùm à quadraginta aderat. LAGIDAR. an 120. Athen. l. 5. p. 204.

Ut Philopator à matris fratriſque parricidio auſpicatus eſt Regnum; illud ab uxoris, quæ ejus erat ſoror, cæde, finiit, ſolo ex ipſa in cunis relicto.

Poeſi Ptolemæum fuiſſe delectatum ſuſpicari poſſumus, quòd Homero illius ſcientiæ Principi templum extruxerit, in quo ipſum decore ſedentem collocavit, circumcirca verò juxta ſimulacrum, eas civitates poſuit, quæ Homerum ſibi vindicant. Ælian. Var. Hiſt. l. 13. cap. 2.

Ptolemæus Ageſarchi filius Megapolitanus, iſtius Regis hiſtoriam ſcripſit, quam ſi præ manibus haberemus, res illius geſtas meliùs edocti eſſemus. Athen. l. 10. pag. 426.



EX THESAURO REGIO.

Caput Jovis barbatum & faſcia cinctum ſine epigraphe ex averſa parte aquila inſiſtens fulmini cum literis ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ.

Æreus iſte ſecundæ magnitudinis nummus ad Ptolemæum Ægypti Regem ordine quartum, ex ipſa illuſtri inſcriptione ſpectare pronuntiamus: ille enim ſolus eſt ex eorum ſerie qui Philopatoris, id eſt, *patris amantis*, cognomen tulit; non quidem ironicè, ut ſcribit Juſtinus, quod patre & matre interfectis, ex facinoris ſcelere habuerit; cognomina impietatem redolentia Reges in nummis non uſurparunt, ſed ſolùm illuſtria & illa quæ pietatem in parentes denotabant; ſic autem Antiochus unus è Syriæ Regibus, numero vigeſimus primus, Philopatoris etiam appellationem ſibi arrogavit, ut pote qui patrem habuerit à populis dilectum. lib. 29. Hiſt. Reg Syr.

Ptolemæus autem Evergetes Philopatoris pater ex morbo deceſſit apud Polybium hujus ferè temporis autorem & quidem gravem, cui tutorem Soſibium, quòd eſſet vecors, dediſſe refert: illius autem nomina jocularia nempè Tryphonis & Galli, in nummis nunquam obſervantur, licèt ſimilia Goltzius aliquando protulerit, ſed hujus autoris fides apud Antiquarios primæ notæ planè dubia eſt: Reges enim nummos pro moneta populis diſtribuenda cudi curabant, ideò nomina famæ ſuæ contumelioſa ſibi non imponebant.

Obſervandum Ægyptios Reges poſt Ptolemæum Soterem, quando in monetis ſuis Jovis effigiem exhibuerunt, cognomen in averſa parte ut plurimùm appoſuiſſe, ad denotandum quis fuerit ille Rex qui eas cudi juſſerit: è contrà in nummis aureis & argenteis, ſolam imaginem ſignaſſe; quaſi populi eorum nullum noſcere deberent.

De Aquila fulmini inſiſtente ut de ſolemni Ptolemæorum Regum ſtemmate ſæpiùs diximus.



EX THESAURO REGIO.

Caput Regis diadematum ſine literis; ex averſa parte Aquila ſolita cum epigraphe ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ in area à dextris L. H. anno 8. à ſiniſtris HP. id eſt Ηρακλεωπολιτῶν, & quædam Monetarii ſeu ſcalptoris monogrammata.

Superior nummus Ptolemæi quarti cognomen illuſtre, nempe Philopatoris exhibet, ſed multùm nobis adimit; hic verò nobis quidem effigiem, ſed Regis cognomen reticet: undè Antiquariis in diſtinguenda illius imagine dubium, quæ inter diverſas aliorum Principum, ex novo & diſſimili illius faciei & oris habitu quærenda.

Jam diverſas Ptolemæi Soteris, Philadelphi & Evergetis ex eorum nummis, effigies exhibuimus, etſi diſſimiles, tamen inter ſe non longè differunt, non iis peregrina, ſed ejuſdem familiæ lineamenta; ita ut unius gentis progenies in omnibus innoteſcat. Ptolemæi quidem primi vultum, non modò Soteris cognomen, ſed ætas ejus ſenilis indicat. Philadelphi faciem æra Lagidarum denotat, ut eadem in diverſis illius nummis ſimilitudo. Evergetis autem, urbs Phœnicia Tripolis quæ monetam percuſſit, & in altera ejuſdem Principis, Paphi ſignata, quæ decimum nonum ejus Regni annum præfert, quum Philopator decimum ſeptimum non ſuperaverit.

Imago Regis in hoc nummo percuſſa juvenilis eſt, nec Principem ultrà vigeſimum ſecundum aut tertium ætatis annum exhibere videtur, cui litera numeralis H. annum Regni octavum notans ſuffragatur; nam conjuncta cùm quatuordecim aut quindecim annis quos attigerat in circa Philopator, quan-
Valeſ. exc. do illi pater Evergetis Soſibium pro tutore ſubſtituit; quum ille eſſet ex Polybio vecors & fatuus, quem ſatis ex illius phyſionomia redolet.

Nummus ab Heracleopolitanis percuſſus eſt, ut indicant duæ priores ur-
de Urbib. bem ſignificantes literæ: tres autem in Ægypto Heracleopoleos nomine civitates, ſi Stephano credimus: quarum una ad Peluſium, altera apud oſtium
Stephan. Canobicum; tertia ad Nilum extra Delta, in qua natus eſt Theophanes Phyſicus: ſed duæ tantùm Ptolemæo memorantur, una parva Ηρακλέους μικρὰ πόλις dicta, altera Ηρακλέους πόλις μεγάλη magna vocata, in qua etiam nummus Hadriani Principis percuſſus videtur, in cujus averſa parte habemus ΗΡΑΚ. L. ΙΑ. cum Hercule ſtante.

Pto-

PTOLEMÆVS EPIPHANES, REX ÆGYPTI .V



Ap. D. Foy Vaillant. D. M.
ex num. arg. tetradr.

PTolemæus V. patri Philipatori quinquennis in Regno Ægypti ſucceſſit, Epiphan. 1.
ſed hujus mors diu occultata eſt ab Aulicis quibus ſumma rerum ab eo
vivente commiſſa fuerat. Agathocles autem ad Regni adminiſtrationem pro- Polyb. l. 15.
motus à Rege, ipſo defuncto tempus conſervandæ ſuæ potentiæ adeſſe exi-
ſtimabat, ſed parùm rebus erat idoneus propter ignaviam & ſocordiam, ta-
men ille & mulieres quæ in Aula verſabantur Regni pecuniam diripiebant &
imperium inita cum perditiſſimis ſocietate occupare conantes.

Agathocles falſus Ptolemæi pueri tutor, poſtquam celeberrimum quem- Valeſ. exc.
que è medio removit, ac multitudinis furorem reſtitutione ſtipendiorum lib. 5.
compreſſiſſe ſibi viſus eſſet, è veſtigio ad priſtinos mores rediit, ac dignitates
omnes Palatii tum vacuas, amicis ſuis conceſſit, producto ex ultimis ac
ſervilibus miniſteriis viliſſimo atque impudentiſſimo. Ipſe dies noctéſque
in vino atque iis quæ vinum conſequi ſolent, libidinibus agebat, nec nuptis,
nec ſponſis, nec virginum pudori parcens, atque hæc cuncta cum intolera-
bili ſuperbia factitabat.

Quare quum præſentem rerum ſtatum univerſi ægrè ferrent, nullum au- Id. ibid.
tem ſolatium ac remedium adhiberetur; contrà, potiùs inſolentia, ſuper-
bia, ac deſidia quotidie invaleſceret, rurſus priſtinum vulgi odium exarſit,
cunctíque clades & calamitates Regni ab his hominibus profectas memoria
tenebant. Sed quum idoneus vir deeſſet cujus ductu atque opera iram
ſuam

LAGIDAR. an. 122. ſuam in Agathoclem & Agathocliam effunderent, interim quieſcebant, unicam ſpem adhuc in Tlepolemo habentes, qua ſe tantiſper ſuſtentabant.

Id. excerp. lib. 16. Tlepolemus autem Regni etiam negotia adminiſtrabat, & res quæ ad militiam extra urbem ſpectant, tractare videbatur, nam in re militari cum ſplendore verſatus erat, ſed juvenis pariter, & ingenio tumido, gloriæque avido, cum Agathocle primùm benè conveniebat, ſed quum paulatim inter ſe diſſentirent & Tlepolemus vulgi partes amplecti videretur.

Lagid. 123. Epiph. 2. Tandem Agathocles primos omnium Macedones congregavit & ad eos cum Rege & Agathoclia ſorore adiit. Ibi principio, non poſſe ſe, quæ vellet proloqui ſimulavit, propter lacrymarum vim per genas ubertim manantium: deinde ut lumina chlamyde ſæpius abſtergens, fletum illum vehementer erumpentem repreſſiſſet, puerum manibus geſtans. Accipite ait, hunc quem moriens pater, iſti quidem, (ſororem ſimul oſtendens) in ulnas tradidit, veſtræ verò, viri Macedones, fidei permiſit: & poteſt quidem iſtius quoque benevolentia leve ſaltem aliquod ad hujus ſalutem momentum facere: ceterùm in vobis, & in dextris veſtris illius univerſæ fortunæ nunc ſunt poſitæ.

Id. ibid. Tlepolemus enim dudùm ille quidem palam fecit, recta ratione rem putantibus, majora ſe, quàm pro ſui loci homine, concupiſcere. Nunc verò & diem & horam deſignavit, qua ſit diadema aſſumpturus. Quibus de rebus non ſibi credere illos jubebat; ſed iis qui rei veritatem noſſent & qui ex ipſo negotio jam venirent. Simul hæc locutus, Critolaum induxit, qui aras etiam ſibi viſas diceret, in eam rem ſtructa, & paratas à multitudine victimas, ad ſolemnia diadematis aſſumpti agitanda.

Id. ibid. Hæc loquentem Macedones quum audirent, adeò nulla ejus miſericordia tangebantur, ut nulli eorum qui dicerentur, attenderent: verùm hominem ſubſannantes, & inter ſe ſuſurrantes, nugarentur; ita ut ne Agathocles quidem ſciret, quo pacto ex illa concione eſſet dimiſſus. Et quum per cetera quoque civitatis corpora deinceps conciones coegiſſet, ſimili pacto ab omnibus eſt exceptus.

Id. ibid. Inter hæc multi ſubinde è ſuperiorum provinciarum exercitibus appellebant, qui ſuos alii cognatos, alii amicos hortabantur, ut communibus miſeriis ſuccurrerent: neque ſe ab hominibus adeò indignis tam impudenter contumeliis affici paterentur: Maximè verò plebem ad ſupplicium de iis, qui Principes civitatis tunc erant exigendum, hoc impulit; quòd ſcirent moræ periculum ad ſe ſpectare: quia omnem commeatum Alexandriam importari ſolitum Tlepolemus in poteſtate haberet.

Id ibid. Acceſſit deinde aliud Agathoclis facinus, quod & vulgi & Tlepolemi iram vehementer intendit. Is enim, quo ſuam cum Tlepolemo diſcordiam faceret palàm, ſocrum ipſius, Danaem nomine, ex æde Cereris abreptam, & per mediam urbem relevata facie tractam, in carcerem conjecerat. Quo nomine ſuccenſens illi populus, non jam inter privatos, neque arcanò, ſermones ea de re ferebat; ſed etiam noctibus animi ſui indicia quovis loco inſcribebat. Quidam etiam per circulos coacti, ſuum in eos qui res obtinebant, odium palàm præ ſe ferebant.

Id. ibid. Hæc omnia vulgò fieri quum cerneret Agathocles, de ſalute jam ſua ſpem habens exiguam, modò fugam cogitabat: ſed qui in eam rem nihil præparaſſet, quæ fuit ejus imprudentia, incœpto deſiſtebat: modò conjurationis ſocios & audaciæ centuriabat: quaſi mox hoſtes ſuos partim jugulaturus eſſet, partim comprehenſurus: ac deinde potentiam tyrannicam ſibi paraturus.

Id. ibid. Hæc cogitante Agathocle, delatum eſt Mœragenis ſatellitum unius nomen: quod omnia Tlepolemo indicaret, ejúſque adjuvaret conatus, propter illam neceſſitudinem quæ ipſi intercederet cum Adæo Præfecto urbis Bubaſti, Con-

Confeſtim Agathocles præcepit Nicoſtrato, qui erat à cura epiſtolarum, Mæragenem ut prehenderet, & omni tormentorum genere propoſito veritatem de illo exprimeret; hic autem miro modo nudus è tormentis evaſit, & quum præter ſpem ad Macedonum tentorium deveniſſet eos hortatus eſt ut non ſuæ tantùm ſaluti conſulerent; ſed Regis quoque, illóſque adversùs Agathoclem concitavit. LAGIDAR. an. 123. Liv. Dec. 4. l. 1.

Macedones iram concipiunt, prima adeunt tentoria, deinde aliorum militum; erant autem continua & in unam urbis partem vergebant omnia. Quum autem vulgi in eam rem jampridem eſſet paratus impetus, nec quicquam deeſſet, præter eum qui hortaretur, & daret incentivum, ſimul ac res cœpta eſt, repentè incendium quaſi quoddam effulſit. Nec dum enim quatuor elapſæ erant horæ, quum & militarium virorum & civium omnia genera ad inſurgendum in Agathoclem conſenſerunt. Id. ibid.

Quo ſanè tempore & caſus quidam ad rem citò perficiendam valuit plurimùm. Agathocli reddita eſt quædam epiſtola, & ſpeculatores ad eum deducti. Epiſtolam Tlepolemus ſcripſerat ad exercitus, citò ſe adfuturum nuntians. Speculatores jam adeſſe referebant. Hæc ita Agathoclem de ſtatu mentis dejecerunt, ut agendi aliquid & conſultandi de iis quæ nunciata fuerant, cura omiſſa, mox, qua ſolitus erat hora, ad convivium abierit atque ibi pro conſueto more, genio inter ſuos indulſerit. Id. ibid.

Ut primùm noctis tenebras cives ſunt aſſecuti, tumultus luminum, curſitationis plena urbs erat. Alii in ſtadio cum clamore congregati, alii mutuo ſeſe cohortati, alii ut fuga malo prævverterent, in domos & loca minimè ſuſpecta ſe abdere. Jam quidquid eſt vacuæ areæ circa Regiam, item ſtadium, & platea, turba hominum omnis generis erant referta, corúmque maxima frequentia, qui Liberi patris Theatrum celebrare ſolent. Id. ibid.

Agathocles, qui non multò ante, convivio finem impoſuerat, vino gravis è ſomno excitatur, & omni cum ſua cognatione, ſi Philonem excipias, (iis autem Philopatoris fuerat adulator, adſcriptus inſuper inter ejus amicos) ad Regem venit, apud quem pauca conqueſtus de miſerabili ſua ſorte, manu ei apprehenſa, ad Syringem (ea eſt tranſitoria quædam ambulatio) quæ eſt inter Mæandrum & Palæſtram & ad theatri fert aditum, aſcendit: deinde cum duobus aut tribus ſatellitibus, Rege, & cognatis ultra tertias fores ſe recepit. Id. ibid.

Ubi jam dies planè illuceſcebat, clamor audiebatur incertus, ex quo tamen Regii nominis appellatio præcipuè emicabat. Macedones ſuis exciti tabernaculis ad Syringis portas accedunt & Regem ſibi dari poſtulant. Agathocles iis per Ariſtomenem fortunæ ſuæ adulatorem, qui poſtea Regni negotia curavit, ſeparatum Regis tutela cedere, potentiâ, honoribus & reditibus, ſalva vita, eſſe ſignificavit, ſed nihil obtinuit, & Regem cum ſatellitibus emittere coactus eſt. Id. ibid.

Macedones traditum ſibi Regem, equo ſtatim imponunt, & in ſtadium adducunt. Ad cujus conſpectum clamore & plauſu ab univerſa corona edito, equum ſiſtunt, ac detractum inde puerum propiùs admovent & in Regibus proprio ſpectandi ſuggeſtu collocant. At turba partim lætari, partim dolere, quòd puerum recepiſſent, lætitiâ geſtiebant; quòd non & ſontes ſimul comprehenſi forent, nec meritas pœnas luerent ægrè ferebant; Igitur continuis clamoribus malorum omnium auctores duci jubebant, ut per omnium ora traducti pœnis afficerentur. Id. ibid.

Jam exorto die, quum nihil populus inveniret, in quod iram ſuam effunderet, Soſibius Soſibii F. quid Regi Regnóque expediret, tum optimè perſpexit. Nam qui iram multitudinis ſedari nullo pacto poſſe cerneret, puerum verò angore affici, partim quòd eorum qui ſibi aderant nemini antea Id. ibid.

K con-

LAGIDAR. an. 123. conſueſſet; partim propter turbæ tumultum; Regem interrogavit. Ecquid plebi eos foret traditurus, quicumque in ſe aut matrem ſuam aliquid deliquiſſent? eo annuente, Satellitum nonnullis dixit, ut Regis voluntatem palàm facerent. Ipſe puerum ſede excitatum domum ſuam, quæ aberat non longè, ad curandum corpus abducit. Satellitibus Regia mandata exponentibus, plauſu & clamore omnia loca rumpebantur.

Id. ibid. Dum hæc aguntur, Agathocles & Agathoclea ſeparantur & in ſua ſe ambo recipiunt hoſpitia. Statim verò quidam è militibus, partim ſua ſponte, partim plebis impulſu ad illos quærendos ſe accingunt. Faciendæ autem cædis caſu fortuito extitit principium. Quidam è miniſtris & adulatoribus Agathoclis nomine Philo, plenus crapulæ in ſtadium exivit. Hic concitatum vulgi ſtudium conſpicans adſtantibus, ſi egrederetur Agathocles futurum, ut ipſos ſicut jam antea, pœniteret, tunc à multitudine impetitur, & haſtarum mucronibus ab illis configitur.

Id. ibid. Nec multò pòſt adeſt Agathocles in vinculis ductus, quem ſtatim ingreſſum nonnulli, qui primi accurrerant, confoderunt. Secundùm hunc ductus eſt Nico, deinde Agathoclea nuda, cum ſororibus, ac deinde univerſa cognatio. Noviſſimam omnium Oenanthen è Theſmophorio, ea eſt Cereris ac Proſerpinæ ædes, avulſam, nudam, equo vehentem, in ſtadium induxerunt. Quibus ſimul omnibus populo traditis, alii mordere, alii mucronibus configere, alii oculos eruere. Ut quiſque autem illorum ceciderat, jacentis membra diſtrahebant, donec artus omnium detruncaſſent.

Id. ibid. Per idem quoque tempus mulierculæ nonnullæ, quæ cum Arſinoe fuerant educatæ, audito ante triduum Alexandriam ab oppido Cyrenæorum advenisse Philammonem, cui Reginæ occidendæ negotium fuerat commiſſum, in ejus domum fecerunt impetum. Quò quum irrupiſſent per vim, Philammonem ſaxorum fuſtiúmque ictibus occiderunt: filium, ætate planè puerum ſtrangularunt: ad hæc conjugem Philammonis nudam traxerunt in plateam, ibíque trucidarunt. Et Agathocles quidem atque Agathoclea cum tota cognatione hoc modo perierunt.

Lagid. 124. Epiph. 3. Valeſ. exc. Tlepolemus Regis alter curator, multas quidem ad rerum adminiſtrationem animi & corporis virtutes & multa vitia ex natura attulerat, ex exercitu rediens, Soſibium ad Regis etiam curam à populis promotum agnoſcit; ſed inter eos paulatim diſſenſio interceſſit; Tlepolemus quidem ad militares congreſſus ac ſermones aptiſſimus; ſed ad civilium rerum tractationem quæ attentionem ac vigilantiam animi deſiderant, atque in univerſum ad utilitatis rationem ineundam, ineptiſſimus erat omnium mortalium, tandem afferri cœpit, magíſque ac magis in dies intumeſcere atque ad peregrinas ac inſolitas largitiones eò facilius ferri.

Ibid. Eam ob rem indignati Aulici omnia ejus facta dictáque improbabant, atque ejus faſtum ægrè ferebant. Contra verò Soſibium comparantes, admirabantur. Námque hic Regis curam majori prudentia gerere videbatur, quam ejus ætas ferret, atque in congreſſibus cum extraneis eam ſpeciem atque autoritatem ſervare, quàm locus ejus ac dignitas poſtulabat. Regii & annuli & corporis cuſtodia ipſi mandata erat.

Ibid. Illè autem ſtatim Tlepolemo obtrectare cœpit: porrò univerſis Aulicis ei faventibus, eò quòd Tlepolemus negotia ac pecuniam Regiam, non ut curator, ſed quaſi heres adminiſtrabat, brevi diſſenſio in majus aucta eſt. At Tlepolemus quum infenſi de ipſo ſermones, ab Aulicorum obſervatione ac malitia profecti ad eum deferrentur, initio quidem hæc ſpernebat, ſed poſteaquam, conſilio publicè habito, quum Tlepolemus abeſſet, de prava ejus adminiſtratione palàm conqueri ſunt auſi: commotus tunc demum, conſilium

lium coegit, atque in medium progreſſus, ipſos quidem clàm & ſingulos ſe- LAGIDAR. ipſum calumniari dixit ſibi verò in animo eſſe adverſus ipſos ſimul omnes an. 124. corâm accuſationem inſtituere.

Poſtquam Tlepolemus dicendi finem feciſſet annulum quoque à Soſibio Epiph. 9. accepit, quo accepto cuncta deinceps arbitratu ſuo adminiſtravit. Pecuniæ ita Regiæ ſolus adminiſtrationem nactus, maximam diei partem pilæ luſu & armorum exercitatione cum adoleſcentibus conterebat. Ab his deinde ad convivia & compotationes tranſibat ac maximam vitæ partem his in rebus atque hujuſmodi contubernio exigebat. Quod ſi interdum aliquod diei tempus audiendis negotiis vacabat, tum verò diſtribuebat; ſed potiùs diſſipabat Regiam pecuniam eámque Legatis è Græcia advectis & ſcenicis artificibus, ac maximè degentibus in Aula Ducibus ac militibus erogabat.

Antiochus Cœleſyriæ & Phœniciæ Provinciis quas patri Philipatori eripere tentaverat, inhians multas congregaverat ex omni parte militias ob defuncti vecordiam ad illas ſub eo recuperandas, ſed pueri Regis ætate, & Aulicis ſeu Regni procuratoribus ſpretis ad Philippum Macedoniæ Regem de ineunda pace ſecum miſerat, ut Ægypti imperium dividerent.

Tlepolemus qui prorſus recuſare & abnuere non poterat: ſed unicuique Valeſ. exc. lib. 16. qui ad ejus gratiam aliquid dixiſſet, quidquid ad manum erat, temerè donabat, quod malum ipſomet fovente atque augente poſtea increbuit: quicumque enim præter ſpem beneficium ab eo acceperant, tum ob præteritum tum futuri ſpe in agenda gratia omnibus eum laudibus cumulabant. Quum ipſe laudes ſuas ab omnibus prædicari acciperet, & in conviviis Tlepolemum ad ſingula pocula appellari, audiret quoque inſcriptiones & ludicra carmina per urbem ab acroamatis de ipſo cani ſolita fortunæ immemor, animum inanibus ac futilibus paſcebat; nam ad civilium rerum tractationem, quæ attentionem ac vigilantiam animi deſiderant, & pecuniæ cuſtodiam, atque in univerſum ad utilitatis rationem ineundam, ineptiſſimus erat omnium mortalium, itaque brevi non ſolùm ipſe concidit, ſed Regnum etiam labefactavit.

Alexandrini Regni adminiſtris deſtituti, à Romanis tutorem pupillo Re- Lagid. 125. gi petere decreverunt: itaque Legatos ad illos miſere, orantes ut tutelam Epiph. 4. Juſtin. l. 30. Regis ſuſciperent, tuerentúrque Regnum Ægypti quod jam Philippum & Antiochum facta inter ſe pactione diviſiſſe dicebant: nam illi, Philopatori Polyb. l. 15. dum erat in vivis, eorum auxilio non indigenti, parati erant opem ferre: poſtea verò quum idem fato eſſet functus, puero pupillo relicto, jus ſuum conſervare Regnum jure naturæ tenebantur; mutuis hortatibus ſeſe invicem concitarunt ut diviſo inter ſe illius Regno ipſum tollere aggrederentur, ſub hac quidem conditione, ut proximas civitates Regno ſuo ſinguli de imperio Ptolemæi jungerent: ita ut poſt victoriam Cœleſyria & Phœnicia Antiocho, huic verò Ægyptus & Caria.

Romanis grata Legatio fuit cauſam belli adverſus Philippum quærentibus, qui inſidiatus eis, temporibus belli Punici fuerat, itaque mittuntur tres Legati C. Claudius Nero, P. Sempronius Tuditanus & M. Æmilius Lepidus qui Antiocho & Philippo denuncient, Regno Ægypti abſtineant, inſuper & ultimis Alexandriam amandatur ut tutorio nomine Regnum pupilli adminiſtret.

Philippus Macedoniæ Rex Athenienſibus bellum intulerat & ipſi auxilium à Ptolemæo ut ſocio petierant: nam patrem Philopatorem honorum Polyb. l. 5. profuſi, nullum non decretorum aut præconiorum genus ſciſcere ſuſtinuerunt. Ideò Regis Curatores quum bellum à Rege Antiocho qui Cœleſyriam minabatur, timerent, pro reſponſo Legatos Romam miſerunt.

LAGIDAR. an. 125. Liv. Dec. 4 l. 1. In ipſo contra Philippum belli decreti apparatu in urbem Legati ab Rege Ptolemæo venerunt, qui nuntiarunt, Athenienſes adverſus Philippum ab Rege auxilium, ceterùm etſi communes ſocii ſunt, tamen niſi ex autoritate Pop. Romani, neque claſſem, neque exercitum defendendi aut oppugnandi cujuſquam cauſa Regem in Græciam miſſurum eſſe, vel quieturum eum in Regno, S. P. Romanos ſocios defendere liceat, vel Romanos quieſcere, ſi maluit, paſſurum: atque ipſum auxilio, quæ facilè adversùs Philippum tueri Athenas poſſent, miſſurum.

Id. ibid. Gratiæ Regi à Senatu actæ, reſponſúmque, tutari ſocios Pop. Romano in animo eſſe. Si qua re ad id bellum opus ſit, indicaturos Regi, Regníque ejus opes ſcire, ſubſidia firma ac fidelia ſuæ Reipublicæ eſſe. Munera deinde Legatis in ſingulos quinum millium æris ex Senatuſconſulto miſſa.

Lagid. 126. Epiph. 5 Hieron. in Dan. Antiochus rupto, ad Raphiam cùm Philopatore inito fœdere in Cœleſyriam contra Epiphanem filium movit exercitum. Dum Philippus ſocietate cum illo conjunctus, Cherſoneſum Thraciæ, Ptolemæo ſubditam agreſſus eſt. Claſſem quidem Heraclidi tradidit, ut Maroneam peteret, ipſe terra cum duobus militum pedibus, & equitibus ducentis eodem pergit & urbem primo impetu expugnavit. Ænum deinde cum magno labore, poſtremò per proditionem Ganymedis Præfecti Regis Ptolemæi cepit: deinceps alia Caſtella, Cypſela & Doriſcon & Sirrhum. Inde progreſſus ad Cherſoneſum, Eleünta & Alopeconneſum, tradentibus ipſis, recepit. Callipolis quoque & Madytos dedita, & Caſtella quædam ignobilia. Abydeni ex altero littore, ne Legatis quidem admiſſis Regi portas clauſerunt, & urbis expugnatio diù Philippum tenuit.

Legati Romani audita Rhodi, obſidione Abydi, M. Æmilius, minimus natu, ad ipſam Abydum navigavit, nam illi cum ipſo Philippo colloqui cupientes, ſicut in mandatis acceperant, inhibito itinere ad Reges Antiochum & Ptolemæum, hunc miſerant qui ad Abydum cum Philippo congreſſus ei ſignificavit, decreviſſe Senatum, ab ipſo petere, ne ulla cum Græcorum gente bellaret; néve Ptolemæi rebus manus injiceret, quòd ſi non obtemperaret, bellum illi à Romano eſſet paratum: Rex autem ab obſidione nullo modo deſtitit.

Ptolemæus ubi vidit Antiochum in Cœleſyriam ingreſſum Scopam Ætolorum olim Prætorem qui Principatu fruſtratus Regibus Ægypti ab aliquo tempore merebat, cum magno auri pondere in Ætoliam ad milites conſcribendos miſit.

Claudius Nero & Sempronius Tuditanus Romanorum Legati ad Antiochum in Syriam navigarunt. M. Æmilius Lepidum Alexandriam vela fecit.

Antiochus legatorum Romanorum precibus, exercitum quidem è Cœleſyria revocavit, præſertim quum Æmilium Lepidum Tutorio nomine in Ægyptum perveniſſe, ſed arma non depoſuit.

Lepidus quum Alexandriam ingreſſus eſſet Ptolemæi Epiphanis Tutor renunciatus eſt, ut indicat nummus Æmiliæ gentis, in quo M. Æmilius Lepidus Tutor Regis nominatur, tunc verò temporis majores Magiſtratus nondum adeptus erat, ſed quum Pontifex cooptatus eſſet, licèt juvenis, dignus qui Legatus ad Reges mitteretur, & Tutor Regi daretur, à Senatu judicatus eſt.

Tit. L. Dec. 4. l. 1. Scopas ex Ætolia ſex millia peditum & equites mercede conductos Ægyptum avexit, nec ex juventute Ætolorum quemquam reliquiſſet, ni Damocritus nunc belli quod inſtaret, nunc futuræ ſolitudinis admonens (incertum cura gentis) an ut adverſaretur Scopæ, parum donis cultus, patres juniorum domi continuiſſet.

An-

Antiochus poſt Legatorum diſceſſum non dimiſerat exercitum ſed fœderis cum Philippo initi memor, copias in Aſiam per hyemem amandarat, verè autem Attali Pergami Regis, qui contra Philippum in Romanorum gratiam moverat, ditionem invadit, ſed cognito ejus adventu illos ſollicitaverat, ut ipſi contra Antiochum ferre vellent auxilium.

LAGIDAR. an. 127. Epiphan. 6. Tit. L. Dec. lib. 1.

Ptolemæus ubi Antiochum Attali Regnum invadere accepit, mox Scopam exercitus ſui Ducem ad Cœleſyriam recuperandam mittit. Magnis ille in Ægypto copiis collectis, & ad mediterranea verſo impetu, multas Cœleſyriæ urbes recuperavit & Judæam in poteſtatem Ptolemæi retraxit per hyemem.

Joſeph. lib. 12. c. 3.

Senatus Legatos ad Antiochum miſit, qui nuntient Attali, naviúmque ejus & militum opera adverſus Philippum communem hoſtem uti P. Romanum, gratum eum facturum & Senatui, ſi Regno Attali abſtineat, bellóque abſiſtat. Antiochus Romanorum autoritate motus, finibus Attali ſuas deduxit copias, & id libentiùs quod audierat Scopam eum exercitu ad Cœleſyriam recuperandam id tempus elegiſſe.

Liv. Dec. 4. lib. 2.

Antiochus in Syriam reverſus verè in Cœleſyriam copias ducit, cui tandem occurrit Scopas cum exercitu Ægyptiaco & prælium ad Panium montem committitur. Scopas quidem in dextro cornu Phalangem cum modica parte equitatus, ad pedem montis poſuit: cornu verò ſiniſtrum, in quo ordinati equites, planitiem tenuit. Antiochus partem copiarum prima luce, Præfecto majore è filiis Antiocho, præmiſit, ut editiora montium loca quæ Ptolemaïcis imminebant occuparet; ſole demum illuceſcente, trajecto cum reliquis copiis fluvio, inter utraque caſtra in planitie aciem inſtruxit.

Lagid. 128. Epiph. 7. Valeſ. exc. lib. 16.

Phalangem quidem ille recta mediæ hoſtium aciei oppoſuit: equitatus verò partem ad ſiniſtrum Phalangis cornu conſtituit, partem ad lævum, in quo & cataphracti erant equites, quibus Antiochus junior erat Præfectus. Deinde Elephantes ante ipſam Phalangem in prima acie certis intervallis ordinati fuerunt cum equitibus Tarentinis quibus præerat Antipater. Intervalla autem belluarum ſagittariis ac funditoribus complevit. Ipſe cum ala amicorum & corporis cuſtodibus poſt belluas ſtetit.

Ibid.

Junior Antiochus, his ita præmiſſis, equites quibus Ptolemæus Æropi filius præerat, in fugam vertit, ac diù perſecutus eſt: qui quidem Ptolemæus Ætolos in planitie ad lævam poſitos ducebat: ipſæ autem phalanges ubi congreſſæ invicem ſunt, acre prælium iniere: Scopas autem quum juniorem Antiochum à perſequendo equites reverſum, à tergo legionariis inſtare cernit, tunc de victoria deſperans, ultimus tamen è prælio receſſit.

Ibid.

Ipſe Sidonem ſe recepit, illam mox cum decem millibus armatorum obſedit Antiochus, ob quem liberandum Ptolemæus Duces inclytos Æropum, Menoclem, & Damoxenum miſit, ſed obſidionem ſolvere non potuit, donec fame ſuperatus Scopas, manus dedit, & nudus cum ſociis dimiſſus eſt.

Antiochus Gazam deinde profectus, licèt autem Ptolemæo fidem præſtare ſtuderent, & nihil penitùs omitterent Gazæi, Rex eorum urbem vaſtavit, deinde Bataneam, Samariam, Abila, & Gadara recepit. Poſtea Judæi, qui Hieroſolyma incolunt, ad eum ſponte defecerunt, receptúmque intra mœnia Antiochi exercitum impigrè auxilium tulerunt, itaque Cœleſyriæ & Phœnices urbibus ſubactis, in hiberna Antiochiam Rex conceſſit.

Valeſ. exc. lib. 16.

Portò non dubitavit quin occupata ſic Cœleſyria & aliis Ptolemæi ditionibus, Romani qui illius tutelam ſuſceperant mox bellum ipſi denuntiarent, ſed ut Ægyptios deliniret, ſe illas omnes Regi nominis dote, collocata ipſi in uxorem filia Cleopatra reſtituturum, quum ille nubendi ætatem attigiſſet; promiſit ideò Euclem Rhodium Alexandriam mittit Legatum, ut illas pacis conditiones proponeret, in quas Ægyptii deſcenderunt.

Hier. in Dan. cap. 11.

LAGIDAR. an. 129. Epiph. 8. Vere Antiochus duobus filiis Ardye & Mithridate per terram præmiſſis, ille cum claſſe per omnem oram Ciliciæ & Cariæ tentaturus urbes, quæ in ditione Ptolemæi eſſent, ſimul Philippum exercitu, navibúſque adjuturus. Ille Zephyrio & Solis & Aphrodiſiade & Corico, & ſuperato Anemurio, Selmuntéque recepta, metu aut voluntate ſine certamine in deditionem acceptis, Coraceſium operibus oppugnabat, quum acceſſere Rhodiorum Legati, & hi nuntio accepto Philippum ad Lynocephalas eſſe debellatum curam non omiſere tuendæ libertatis civitatum ſociarum Ptolemæi; nam aliàs auxiliis juverunt, aliàs providendo, ac præmonendo conatus hoſtis, cauſâque libertatis fuere Cauniis, Myndiis, Halicarnaſſenſibus, & Samiis.

Ibid. Philippus Legatos de pace cum Romanis inienda ad T. Flaminium Proconſulem miſit, colloquióque cum eo habito, hæc inter alias conditiones propoſita eſt à Romanis, ut Ptolemæo Regi urbes omnes redderet, quas poſt Philopatoris ejus patris mortem occupaverat, quum eas omnes accepiſſet Philippus, ei Proconſul quatuor menſium inducias conceſſit, & ut de ſumma rerum Legatos obſidibus datis Romam mitteret, permiſit.

Ibid. Hieron. in Dan. 16. Antiochus autem poſt Coraceſium, cœptæ ſunt Lymira, Patara, Xanthus, & ad extremum Epheſus, ubi hiemavit, unde miſit qui Smyrnam & Lampſacum obſiderent; interea Legatos ad Proconſulem miſit Hegeſianactem & Lyſiam: quos Titus Romam ire monuit: ubi iis apertè pronunciatum eſt, ut Antiochus excederet Aſiæ urbibus quæ aut Ptolemæi, aut Philippi Regum fuiſſent, & ne in Europam, aut ipſe tranſiret, aut copias tranſmitteret.

Lagid. 130. Epiph. 9. In Europam verè tranſiit Antiochus Cherſoneſique urbes in deditionem accepit, & Lyſimachiam deſtructam reſarciri juſſit. Sub hoc tempus L. Cornelius à Senatu miſſus ad dirimenda inter Antiochum Ptolemæúmque certamina, Selymbriæ ſubſtitit, & per paucos dies quibuſdam ex Decemviris qui à Senatu miſſi erant, ut reſtituerentur Thraciæ Cherſoneſi urbes Ptolemæo quas priùs occupaverat Philippus, Antiochum convenere. Romani omnia acta ejus, ex quo tempore, è Syria, claſſe ſolviſſet, diſplicere Senatui non diſſimulabant, reſtituique Ptolemæo civitates omnes quæ ditionis ejus fuiſſent. Ad ea Rex cum Ptolemæo amicitiam eſſe, & id agere ut brevi etiam affinitas jungatur; nam, inquit Rex, cognatus ſum, & mox ſocer.

Polyb. lib. 17. Polycrates Cypri rector, vir jam à Ptolemæi Philopatoris temporibus, quum adhuc juvenis eſſet, nulli procerum ejus Aulæ fuiſſe videtur ſecundus neque autoritate neque rebus geſtis eodémque loco fuit qui jam regnabat. Dextro cornu præfuerat in prælio ad Raphiam commiſſo ſub Philopatore, & difficilibus variiſque temporibus, Inſulæ adminiſtratio & omnium redituum qui inde proveniunt, ejus fidei fuiſſet commiſſa: non ſolùm puero Regi Cyprum conſervavit, ſed etiam pecuniæ copiam non mediocrem coegit, quam ipſe, tunc tradita Provincia Ptolemæo Megapolitano, Alexandriam veniens Regi advexit. Eam ob cauſam magno omnium applauſu exceptus eſt.

Valeſ. Excerpt. Diod. p. 295. Polyb. lib. 15. Ariſtomenes tunc rebus Ægyptiis Præfectus erat & Tutor Regis, ille genere Acarnan, olim proſperæ Agathoclis fortunæ ſolers adulator; primus namque omnium, Agathocle domum invitato ad convivium, coronam auream uni ei è convivis detulit: quem honorem Regibus ſolis haberi moris fuit. Primùs ejuſdem imaginem annulo inſculptam geſtare ſuſtinuit & nata ſibi filia quum eſſet Agathocleæ nomen indidit: poſtea grandioris ætatis factus rerum omnium poteſtatem ſummam obtinuit.

Val. Exerp. lib. 13. Scopas autem Ætolus exercituum Ptolemæi Dux, ratus ſe Alexandriæ urbis opibus inopiam ſuam atque immenſam animi cupiditatem facilè expleturum

pleturum, ſed revera cupiditate erat inexplebili, præter commoda atque emolumenta militiæ, in ſingulos dies decem minas ſtipendii nomine ab Rege accipiebat, neque his tamen contentus adhuc plura concupiſcebat & ut explere cupiditatem ſibi videretur nova tentare auſus eſt, ſed dùm cunctatur, & dùm deliberat eſt præventus. LAGIDAR. an. 130.

Ariſtomenes ubi amicos illum ſuos domum cogere, & unà cum ipſis conſultare; miſſis ſatellitum nonnullis, ad Regium conſilium eum vocavit: Scopæ verò repentè adeò conſternata mens eſt, ut neque eorum quæ moliebatur, tentare cuiquam auderet, nec Regi parere, quum ab eo vocaretur, ſuſtineret, tunc Ariſtomenes cognita ipſius inopia conſilii, domum ipſius, militibus & Elephantis circumdat: deinde Ptolemæum Eumenis filium cum præſidio juvenum mittit, & ut Scopam adducant, imperat; ſi ſponte ſua obtemperaret, volentem; ſin minùs per vim. Polyb. l. 17.

Poſtquam in ædes Ptolemæus irrupiſſet, dixiſſetque Scopam à Rege acцerſiri; ille principio, rationem ejus nullam habuit; verùm defixis in Ptolemæum oculis, ſic ſatis diù manſit, quaſi minas illi intendens, & audaciam ejus demirans. Ubi verò Ptolemæus propiùs ad eum accedens, audacter chlamydis laciniam prehendit, tum Scopas ut ſibi opem ferrent qui aderant, rogavit; ſed quum plures milites eſſent ingreſſi, & dixiſſet aliquis, domum præſidio foris cinctam eſſe præſenti fortunæ concedens, unà cum amicis eſt ſecutus. Ibid.

Hic ſimul ac concilium eſt ingreſſus, Rex ipſum paucis accuſavit, Polycrates, qui recens è Cypro venerat, poſtremò Ariſtomenes. Accuſationis formula, quod ad cetera, jam dictis erat ſimilis; niſi quod, hoc ampliùs adjectum eſt, quod amicorum cœtum coegiſſet ad deliberandum, quódque vocanti Regi non paruiſſet. Ob quas criminationes, non ſolùm qui Regis conſilium participabant, omnes eum damnabant; ſed etiam è Legatis exterarum gentium quotquot aderant. Ariſtomenes quando ipſum accuſaturus erat, tum alios Græcos viros Illuſtres ſecum accepit, tum etiam Legatos Ætolorum qui de pace fuerant miſſi, inter quos Dorymachus erat, Nicoſtratis filius. Ibid.

Finita horum oratione, Scopas facta ſibi dicendi poteſtate, excuſationes aliquas in medium afferre eſt orſus: ſed nemine ad ejus verba attendente, propter abſurditatem factorum, ſtatim unà cum amicis in carcerem eſt conjectus, proxima dein nocte, Ariſtomenes Scopam quidem & ejus cognatos omnes veneno ſuſtulit; Dicæarcho verò torquendi inſtrumenta & flagra quum adhibuiſſet, ita demúm vitam illi eripuit: Dux ille Philippi claſſis fuerat, quum Rex Cycladas inſulas laceſſere aggreſſus erat. Ibid.

E ceteris Ætolis ſi qui fuerunt, qui redire in patriam vellent, abeundi & omnia ſua auferendi poteſtatem Rex cunctis fecit. Scopæ, dum viveret, nota fuerat omnibus avaritia; verùm ab ejus morte magis innotuit, ob vim auri ingentem, & ſupellectilis copiam apud eum repertam; nam ipſum propè Regnum parietibus effractis, funditus rapinis hauſerat. Ibid.

Dum diſceptationes per dies aliquot Lyſimachiæ inter Antiochum & Romanorum Legatos haberentur, rumor forſan ex illa Scopæ conjuratione ortus, ſine ullo ſatis certo autore allatus de morte Ptolemæi Regis, ut nullus exitus imponeretur ſermonibus: nam diſſimulabat pars utraque ſe audiiſſe, & L. Cornelius, cui Legatio ad duos Reges Antiochum Ptolemæúmque mandata erat, ſpatium modici temporis ad conveniendum Ptolemæum petebat, ut priùs quam moveretur aliquid in nova poſſeſſione Regni perveniret in Ægyptum & Antiochus ſuam fore Ægyptum, ſi tum occaſio eſſet, cenſebat. Liv. Dec. 4. lib. 2.

Itaque Antiochus dimiſſis Romanis, relictóque Seleuco filio cum terreſtribus Ibid.

LAGIDAR. an. 130. ſtribus copiis ad reſtituendam, ut inſtituerat, Lyſimachiam, omni claſſe navigavit Epheſum, Legatis ad Flaminium Proconſulem miſſis, qui ad fidem de ſocietate agerent: deinde ex Epheſo oram Aſiæ legem pervenit in Lyciam, Patariſque cognito vivere Ptolemæum navigandi in Ægyptum omiſſum eſt conſilium.

Polyb. l. 17. Alexandriæ Ætolorum motu compoſito, Aulici è veſtigio ad conſueta ſolennia quando aliquis Rex ſalutatur, quæ Anacleteria vocant, celebranda ſe compararunt, ætate quidem necdum exigente, quum tantùm tredecim annos haberet; ſed quòd exiſtimarent, ubi innotuiſſet ſui juris & arbitrii Regem eſſe factum, in aliquo meliore ſtatu ipſius Regnum fore quieturum, & ab eo principio aliquid ſemper deinceps incrementi accepturum. Proviſo igitur rerum omnium magnifico apparatu, pro dignitate Regni quod deſtinaverant ſunt executi & ipſi *Epiphanis* cognomen, ut videtur, tunc temporis indiderunt: opinio autem multorum fuit Polycratem hujus incœpti autores longè plurimùm adjuviſſe.

Lagid. 131. Epiph. 10. Liv. Dec. 4. l. 3. Quum Pataris in Lycia Antiochus vivum eſſe Ptolemæum, ut diximus, accepiſſet, amiſſa Ægypti invadendi ſpe, Cyprum nihilominus tentare voluit, ſed fœda tempeſtate circa Sarum fluvium, totam ferè claſſem amiſit, collectiſque naufragii reliquiis Seleuciam profectus in Hyberna Antiochiam proceſſit, ubi Antiochum filium & Laodicen filiam ſimul matrimonio conjunxit.

At quum Romanis bellum inferre decreviſſet & Thraciam à majoribus ſuis quondam poſſeſſam recuperare vellet, ne Ptolemæus Rex declaratus Cœleſyriam occuparet, dum bello cum iis eſſet implicitus, Cleopatram filiam illi deſponſatam collocare decrevit; itaque illa Raphiam Phœniciæ urbem decimo tertio Regis ætatis anno, ut juvenem demulceret & bello Romano quieſceret reſtituta illi Cœleſyria diviſis tamen inter ſe vectigalibus. [Liv. Dec. 4. lib. 5. Hier. in Daniel. Joſeph. l. 13. c. 3.]

App. Syr. Lagid. 132. Epiph. 11. Bello inter Antiochum & Romanos imminente Ptolemæus cautè ſe geſſit, nec ſe ſoceri rebus immiſcuit, & Cleopatra magis viri partes quam parentis fovit.

Lagid. 133. Epiph. 12. Liv. Dec. 4. Lib. 6. Poſtquam autem bellum Antiocho à Romanis denunciatum fuit, Ptolemæus Legatos ſuos Romam miſit, pollicitus contra illum auxilia & pecuniam & frumentum. Attulerunt mille pondo auri, viginti millia pondo argenti. Nil eſt acceptum, gratiæ Regi actæ, quum ille cum omnibus copiis in Ætoliam venturum, bellóque iturum promitteret.

Ibid. lib. 7. Antiochus ad Thermopylas ab Acilio conſule victus ex Europa in Aſiam fugit Epheſum.

Epiph. 13. Id. ibid. Lagid. 134. Legati ab Ptolemæo & Cleopatra Regibus ad Senatum venerunt gratulantes quod Maroius Acilius Antiochum è Græcia expuliſſet, adhortantéſque ut in Aſiam exercitum trajicerent, omnia perculſa metu non in Aſia modo, ſed etiam in Syria eſſe, Reges Ægypti ad ea quæ cenſuiſſet Senatus, paratos fore. Gratiæ Regibus actæ, Legatis munera dari juſſa, in ſingulos quaternum millium æris.

Lagid. 135. Epiph. 14. Ibid. Antiochus ad Magneſiam Sipyli in Aſia à L. Cornelio Scipione funditus eſt profligatus, tributo in duodecim annos ſolvendo & Provinciis citra Taurum relictis, pacem emit.

Lagid. 136. Epiph. 15. Polyb. ibid. Ptolemæus Demetrium Athenienſem Legatum ad Aehæos pro renovanda ſocietate miſit, Prætore Achæorum Philopœmene. Ipſi fœdere libenter renovato Legatos ad Regem mittendos delegerunt Lycortam Megapolitanum, Theodoridam & Rhoſitelem Sicyonios, ut & præſtarent ipſi jusjurandum & à Rege exigerent. Philopœmenes Ptolemæi Legatum convivio excepit.

Prætore

Prætore Achæorum Ariſtæneto redierunt qui ad Ptolemæum miſſi fuerant LAGIDAR.
Legati, quum Megalopoli Achæorum conventus celebraretur, ubi profer- an. 137. Epiph. 16.
tur Ptolemæi decretum. Quum quidem vocatis, qui ad Ptolemæum miſſi Id. leg. 41.
ab Achæis fuerant, ingreſſus Lycortas cum ceteris Legatis, primùm expo-
ſuit quonam modo & præſtitiſſent & exegiſſent à Rege jusjurandum, ad-
didit deinde attuliſſe ſe donum communi Achæorum, arma ænea ad pelta-
ſtas inſtruendos, ſex millia, pecuniæ ſignatæ talenta ducenta: poſt hæc Re-
gis laudes commemoravit: tum ubi pauca de Regis benevolentia & prom-
to animo erga gentem Achæorum diſſeruiſſet, finem dicendi fe-
cit.

Surgens dein Ariſtænetus & ab Legato Ptolemæi & ab iis qui renovando Id. ibid.
fœderi miſſi ab Achæis fuerant, ſciſcitatur, ecquam ſocietatem renovatu-
rus venerit: quum reſponderet nemo, & mutuò ſeſe omnes interrogarent,
magna in conſilio exorta eſt dubitatio, ex eo quòd, quum plura fuiſſent
fœdera Achæis cum Regibus Ptolemæi majoribus, quæ pro conditione
temporum, plurimùm inter ſe differrent; neque Legatus Ptolemæi ullam
diſtinctionem fecerat, quum fœdus renovabat; ſed universè de negotio
fuerat locutus: neque etiam illi quos Achæi miſerant: verùm quaſi ſemel
duntaxat ſocietatem pepigiſſent, jusjurandum ſimpliciter nulla adhibita di-
ſtinctione, & præſtiterant ipſi, & acceperant à Rege.

Itaque promente in medium Prætore omnia priora fœdera, & ſingula di-
ſtinctè expendente, quoniam longè diverſa illa erant, volebat multitudine
cognoſcere, eo quòd jam fœdus renovaret. Idcirco quum neque docere
Philopœmenes poſſet, qui Prætor renovandi fœderis auctor fuerat, neque
Lycortas, ceterive Legati, qui Alexandriam iverant, hi quidem temerè
& inconſideratè rem geſſiſſe publicam exiſtimati ſunt. Ariſtænetus autem
opinionem magnam inde tulit ac tandem decretum illud firmari non eſt
paſſus; ſed rem de qua omnes dubitarent in aliud tempus rejecit.

Antiochus cognomine magnus Syriæ Rex moritur, & in Regno illi ſuc-
ceſſit Seleucus Philopator ejus filius.

Ptolemæus quum alta pace frueretur & in ætate juvenili eſſet conſtitutus, Lagid. 138.
venatione ut plurimùm tempus terebat dexteritatem atque audaciam in feris Epiph. 17. Polyb. leg.
captandis oſtendens: ipſe enim quantùm in regendis equis & tractandis 37.
armis ita poterat, quantúmve illarum rerum uſum haberet, hoc quaſi
luculento teſtimonio, quòd ipſe amentato jaculo Taurum confece-
rit.

Non modò Rex juventutis delectamentis inhærebat, ſed etiam animum Apul. Phar.
ad Regni ſplendorem appellebat; vias enim quæ in Cœleſyriam perduce- Hiſt. Dyn.
rent, lapidibus ſtravit, ſed & plerosque illius Provinciæ fluvios pontibus
junxit.

Natus eſt hoc anno primus Ptolemæo Epiphani filius qui deinde Ptole- Lagid. 139.
mæus Philometor cognominatus eſt; versique omnes ſubditi ad lætitiam Epiph. 18.
pueri natalem diem ubique celebrantes, Cœleſyriæ & aliarum Provincia-
rum magnates Alexandriam gratulatum ſunt profecti magno apparatu. Jo-
ſephus qui vectigalia Phœniciæ & Cœleſyriæ habebat ob ætatem jam gra-
vantem domi manere coactus, pertentavit filiorum animos, num quis ex
his vellet eam profectionem ſuſcipere, & recuſantibus ceteris, quòd ſe ne-
garent ſcire mores Aulicos, quomodo verſandum ſit cum Regibus, ſuaden-
tibúſque ut Hircanum mitteret.

Joſephus Hyrcanum annos tredecim natum ſtatim advocat: rogátque ec- Id. ibid.
quid liberet, aut idoneum ſe putaret, qui ad Regem ſalutatum accederet.
Qui quum promptè eam profectionem ſuſciperet & modica pecunia ſibi
opus fore diceret: velle enim ſe frugaliter vivere ut decem drachmarum
L millia

LAGIDAR. an. 139. millia ſufficiant, admodum lætatus eſt filii prudentia. Deinde puer quum aliquandiù ſiluiſſet, ſuaſit patri ne domo quicquam munerum Regi mitteret: ſed ut ad procuratorem ſuum Alexandrinum ſcriberet, ut pecuniam ipſi ad emendum Regi, id quod inveniret pulcherrimum & pretioſiſſimum, præberet, ratus decem fortaſſe talenta impenſurum ad munera.

Id. ibid. Hyrcanus, ut Alexandriam venit, ab Arione rogatus quotnam talenta vellet accipere, reſpondit mille ſibi opus eſſe: Procurator eum objurgavit, & ſe non plus quàm decem præbiturum ait, & ea non in alium uſum, quàm ut mercaretur munera, ibi puer iratus, Arionem conjecit in vincula. Procuratoris autem uxore, Reginæ hoc renunciante, & rogante ut puerum compeſceret; gratioſus enim apud Cleopatram, Arion fuerat. Ex Regina hoc Rex didicit.

Ptolemæus, per quendam ad Hyrcanum mandatum mirari ſe nunciat, cur ad ſe à patre miſſus, non modò in conſpectum non venerit; ſed Procuratorem etiam patris ſui vinxerit, jubebátque ut veniret. Ille contrà Abul. Pharag. hiſt. Dinaſt. Regi nunciari fecit, legem eſſe Judæis, (illos autem Rex obſequium ipſi ſincerum præſtantes beneficiis affecerat, ne quis guſtaret de ſacrificio, priuſquam adito templo, mactaſſet victimas; eáque ratione nec ipſum hactenus Regem ſalutaſſe, expectantem dona quæ offerret Regi de parente ſuo benè meritò, ſervum autem jure ſe puniſſe, qui mandata ejus contemneret. Nihil enim differt, addens, inter majorem & minorem Dominum: Niſi enim tales dent pœnas meritas, expectandum mox ipſi Regi, ut contemnatur à ſubditis. His auditis Rex riſit, miratus tam magnum in puero animum. Arion autem poſtquam hoc cognovit nihil ſperans à Rege præſidii, datis adoleſcenti mille talentis ſe liberavit à vinculis.

Joſeph. ut ſup. Elapſis deinde tribus diebus, ſalutaturus Reges acceſſit Hircanus, à quibus libenti animo exceptus, & menſæ communi eſt adhibitus in parentis ſui gratiam: móxque clàm aditis negotiatoribus, emit ab eis centum pueros formoſiſſimos & litterarum peritiſſimos, talento ſingulos, & totidem puellas eodem pretio, tum vocatus ad convivium Regium cum Principibus, infimo loco juſſus eſt accumbere, propter ætatem poſthabitus ab his quorum hoc erat officium; reliquis autem convivis, oſſa partium abſumpta carne, ante Hyrcanum congerentibus, Tryphon quidam, quo plurimùm in conviviis Rex delectabatur, propter ſcommata & facetias hominis, rogatus à convivis, ad Regem ſe vertit, & viden', inquit, Domine, quantùm oſſium ante Hyrcanum jaceat. Hinc igitur collige, quòd & pater ejus totam Cœleſyriam ita ſpoliat, quemadmodum hic oſſa nudavit carnibus, Rege verò ad hoc dictum arridente, & rogante Hyrcanum, unde illa oſſium congeries, nil mirùm, inquit, Domine, canum enim eſt oſſa unà cum carnibus abſumere, ſicut iſti faciunt; vultu commonſtrans reliquos, ante quos nihil erat oſſium. Homines autem comeſis carnibus ſolent abjicere oſſa, quòd & ego, homo quum ſim, nunc facio. Ibi Rex miratus urbanitatem, juſſit omnes convivas huic dicto plaudere.

Id. ibid. Sequenti verò die aditis Regis amicis & Aulicis potentioribus, ipſos quidem ſalutavit: ex familiis autem eorum expiſcatus eſt, quidnam oblaturi eſſent Regi in feſto natalitio. Illis referentibus hunc daturum talenta duodecim, alium rurſum aliud pro ſuis quemque opibus, ſimulavit ſe dolere, quòd non haberet, unde tantumdem largiri poſſet, nec ultra talenta quinque numero. Idque mox famuli renunciavere Dominis. Illis autem gaudentibus, quaſi offenſurus eſſet Regem Joſephus, propter exilitatem muneris.

Id. ibid. Ubi dies ſtatutus advenit, alii quidem, & hi munificentiſſimi obtulerunt talenta non plus quàm viginti. Hyrcanus autem emptos à ſe centum pueros, totidémque puellas adduxit, juſſos ſingulos talentum offerre, hos quidem

dem Regi, has verò Cleopatræ. Omnibus verò mirantibus tam profuſam & LAGIDAR.
inſperatam munificentiam, atque ipſis etiam Regibus, amicos quoque Regis an. 140.
& Miniſtros multorum talentorum donis honoravit, ne quid ſibi ab illis naſce-
retur periculi: ad hos enim fratres ſcripſerant, ut quocumque modo Hyrca-
num tollerent. Rex autem delectatus juvenis munificentia, juſſit eum donum
quodcumque petere. At ille nihil aliud petiit, quàm ut ſe Rex patri ac fratri-
bus commendaret per litteras. Itaque honorificentiſſimè tractatum & donatum
regiè ſcriptis quoque ad patrem & fratres & omnes ſuos Duces atque Procu-
ratores commendaticiis litteris, dimiſit liberaliter.

Epiphanes aliquandiù quidem ſe præclarè geſſit, magnámque laudem Epiph. 19.
retulit: poſtea verò ab adulatoribus corruptus, Ariſtomenem, qui tutor ipſius
fuerat, & cuncta negotia prudenter adminiſtraverat, quem antea inſtar patris
obſervabat, tandem perſequi odio cœpit, ob illius in dicendo libertatem ac
poſtremò epoto cicutæ poculo mori coegit. Exinde magis ac magis efferatus
& Tyrannica ſævitia non Regia utens poteſtate in odium Ægyptiorum venit,
parúmque abfuit quin Regno excideret.

Quædam Ægypti civitates ob Regis crudelitatem & tyrannidem coitionem Lagid. 141.
facere cœperunt; atque quum Rex Lycopolim ad Nilum fluvium urbem obſediſſet, Epiph. 20. Excerpt.
Ægyptiorum Optimates Rei novitate perculſi Regis fidei ſeſe omnes dedide- Ex Polyb. p.
runt, quos quidem Rex acerbè accepit eóque in multa diſcrimina eſt delapſus. 112.

Plurimæ quidem urbes defecerunt, Rex contra defectores exercitum com- Lagid. 142.
parat, cui præfecit Polycratem qui in pugna ad Raphiam ſub ejus patre Philo- Epiph. 21.
patore cornu ſiniſtro præfuerat, & Cyprum poſtea inſulam adminiſtrarat qui-
que poſt Ariſtomenis mortem ab ejus conſiliis fuerat. Et Ariſtomium Eun-
chum qui à puero cum illo in Aula educatus fuerat, ingenio bellicoſum in Ibid. pag.
Græciam ad milites circumſcribendos miſit. 115.

Quum autem Polycrates in poteſtatem defectores redegiſſet, Ptolemæus in Lagid. 143.
aliquod adhuc diſcrimen incidit. Atlimis enim & Pauſiras, & Cheſuphus, & Tro- Epiph. 22.
baſtus qui ex Optimatibus Ægyptiorum reliqui erant, temporum neceſſitati Id. pag. 112.
cedentes, Sain urbem venerunt, ſéque Regis fidei ultrò commiſerunt. At
Ptolemæus ſpreta omni fœda fide, comprehenſos homines & nudos ad cur-
rum revinctos traxit, ac paulò pòſt neci dedit. Inde Naucralim profectus cùm
exercitu, aſſumptis mercenariis militibus, quos ei è Græcia Ariſtonicus ad-
duxerat Alexandriam maritimo itinere eſt reverſus, quum nullam omninò
partem Rei militaris attigiſſet ex iniquo Polycratis conſilio, tametſi annum
ætatis quintum ac vigeſimum aggreſſus.

Epiphanes cupiens ſocietatem cum Achæis renovare, Legatum miſit decem Lagid. 144.
naves pollicitus quinquaginta remorum, omnibus rebus inſtructas, Achæi, Epiph. 23.
quòd eſſet munus dignum, cujus haberetur gratia promiſſionem ejus cupidè Polyb. leg. 57.
ſuſceperunt. Accidit enim ſumptus earum navium, ad ſummam talentorum
fermè decem.

Poſt hanc deliberationem Legati decernuntur Lycortas & Polybius ejus filius, Id. ibid.
unáque cum his Aratus, Arati Sicyonii F. qui & gratias agerent pro armis quæ
priùs miſerat & pro pecunia; ſimul qui naves à Rege acciperent, & in Pelopon-
neſum devehendas curarent. Legatos autem propterea, hos potiſſimùm dele-
gerunt Lycortam, quia Prætor is erat, quando Ptolemæus ſocietatem reno-
vavit, & impenſo ſtudio illi faverat. Polybium licèt annis minorem, quàm
per leges liceret, quia hoc ipſum fœdus pater ejus Lycortas, Legatus ad Re-
gem quum veniſſet, renovaverat. Idémque arma & pecuniam Achæis advexe-
rat, quæ Rex genti ipſorum muneri miſerat: pariter & Aratum, propter noti-
tiam & amicitiam, quæ Majoribus ejus cum Ægypti Regibus interceſſerat.

Ptolemæus exercitum contra defectores collectum non dimiſerat, ſed il- Lagid. 145.
lum contra Seleucum ducere meditabatur, at quum eum præpararet, unus

LAGIDAR. an. 145. Ep ph. 24. Hieron. in Dan. cap. 11. è Ducibus ab illo quæſiit, tantas res moliens, ubi haberet pecuniam, reſpondit, ſibi amicos eſſe divitias. Quod quum divulgatum eſſet in populis, timentes Duces ne conditas opes ille auferret, veneno Regem ſuſtulerunt: malè autem apud populum audiebat.

Rex ætatis anno 28. & imperii 24. obiit, relictis duobus filiis impuberibus & unica lia nomine Cleopatra, ſub matris tutela.

Cato apud Priſcianum Grammaticum, Epiphanem appellat Regem optimum & beneficentiſſimum quod de primis temporibus intelligendum eſt, ſi quidem ut apud Diodori excerpta illum ſe præclarè aliquandiù geſſiſſe legimus, unde magnam tunc laudem retulit.



EX MUSÆO COM. DE VAUX-FOUQUET.

Caput Regis puerile diademate cinctum, in averſa parte Aquila ſolita fulmini inſiſtens, à dextris in area, L. A. anno primo, infrà flos, à ſiniſtris ΣΑ. id eſt *Σαλαμινίων*.

Licèt frequentes ſint nummi Ptolemæi V. nulli tamen cum Epiphanis cognomine occurrunt, ſed ex puerili ejus effigie ſatis agnoſcitur, ille enim quadrimulus aut quinquennis ad Regnum pervenit. Hic anno ejus imperii primò percuſſus eſt & puerum exhibet diadematum, cujus imago eadem in omnibus ejus nummis uſque ad ultimum imperii, annum obſervatur.

Literæ initiales ſemper in Ægyptiorum Regum nummis argenteis, primas urbis in qua cuſi ſunt nummi, nomen exprimunt, itaque ΣΑ. id eſt *Σαλαμινίων*, *Salaminiorum*. Ut jam in Citio & Papho Cypri Inſulæ urbibus plurimos eorum Principum nummos ſupra protulimus, hic nobis novam apud Strab. l. 14. Salaminios officinam denotat, Salamin autem in ora orientali à Teucro Telamonis filio condita urbs dicitur.

Flos videtur eſſe Lotus pro Monetarii ſigno, ut in ſequente clava eſt inſculpta.

De Aquila Ægyptiorum Regum ſtemmate abundè dictum eſt.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput Regis puerile cinctum diademate, ſine literis, in averſa parte à dextris L. E. anno 5. infrà clava. A ſiniſtris ΣΑ. id eſt ut ſuprà Σαλαμινίων.

Idem Regis caput ſed in ætate paululùm provectiore nempe imperii anno 5. (quum novem annos Rex haberet) quis autem eum ex priore nummo non agnoſcit. Eadem Cypri Inſulæ urbs Salamis illum percuſſit, ſed diverſa Monetarii nota ſcilicet clava pro loti flore in priore ſignato? An verò moneta Polycratis, qui tunc Cypro præerat, juſſu percuſſa: plurimam enim ad Ptolemæi ærarium, quando Alexandriam venit paulò ante Regis Anacleteria.



EX MUSÆO COM. DE VAUX.

Caput puerile Regis diadematum ſine literis: ex averſa parte Aquila inſiſtens fulmini, à dextris L. Z. anno 7. à ſiniſtris ΠΑ. id eſt Παφίων. in circulo ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ.

Senſim per annos Epiphanis Regis in dignoſcenda ejus facie confirmamur, hic enim nummus qui illius imperii annum ſeptimum ſignat, eadem oris lineamenta exhibet, & qui illum priùs novennem in ſuperiore vidit, in hoc undecimum ætatis annum agentem agnoſcit; nam illum ad Regnum veniſſe quadrimulum diximus, & nummus annum illius ſeptimum exhibet, ut litera numeralis Z. indicat.

Nummus in eadem Cypro inſula percuſſus eſt, ſed non in eadem urbe Salamine; literæ initiales ΠΑ, nos illum Paphi, de qua antè ſæpè diximus, ſignatum edocet.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput Regis juvenile redimitum diademate, ſine literis: ex averſa parte Aquila ſolita ſupra fulmen, cum epigraphe ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ A dextris L. K. anno 20. à ſiniſtris ΠΑ. id eſt Παφίων.

Quibus erit ex ſuperioribus nummis nota Ptolemæi Epiphanis effigies, illam mox in hoc ſignatam fatebuntur, etſi in puerili ætate ſuprà, & in juvenili, id eſt in adoleſcentia nunc prodeat: nam eadem vultus ſunt lineamenta, & eadem capillorum concinnitas: non ampliùs turgida puerorum illa facies, ſed ſuavis adoleſcentiæ gratia in eo micat, ut pote in juvene viginti quatuor annorum.

De Papho Inſulæ Cypri urbe in qua cuſus eſt nummus, & de Aquila ſolenni Regum Ægypti ſtemmate, ſat dictum eſt.



EX THESAURO REGIO.

Caput idem diademate revinctum, in cujus averſa parte ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ circa Aquilam ſolitam. A dext. L. K B. à ſin. ΠΑ.

Iterùm prodit Ptolemæus Epiphanes ſub eadem effigiei ſimilitudine, tùm oris tùm naſi lineamentis; eadem in omnibus ejus capitibus calamiſtrata coma occurrit, quæ ab aliis Principibus illum planè diſtinguit; eadem chlamydis Regiæ pars extrema illius collum ſemper cingit, ita ut à Tironibus nunc agnoſcatur.

Nummus verò annum illius imperii vigeſimum ſecundum per notas numerales K B. exhibet, quum Epiphanes vigeſimum quartum duntaxat attigerit; mortuus autem eſt anno ætatis vigeſimo octavo, relictis duobus filiis impuberibus, ut ipſe puer quadrimulus Ægypti Imperium obtinuerat.

Paphus nummum hunc ut ſuperiores percuſſit, & ſolitum Ægypti Regum ſtemma in eo ſignavit.

EX



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput muliebre turribus ornatum cum inſcriptione ALEXANDREA ab una parte; ex altera verò figura Senatoris Romani ſtantis & togati dextra coronam ſuper caput Regis pueri pariter ſtantis qui dextra ſcipionem eburneum cum Aquila in apice gerit, & epigraphe M. LEPIDUS PONT. MAX. TUTOR REG. Marcus Lepidus Pontifex Maximus Tutor Regis, in imo. S. C. id eſt Senatuſconſulto.

Simſonius & Uſſerius qui nummum viderat, Epiphani tutorem à Romanis miſſum retulerunt, & hic Valerium Maximum excuſat quod viſo numiſmate M. Lepidum putaverit tunc Pontificem Maximum fuiſſe, quando tutorio nomine Alexandriam miſſus eſt, quum Conſulatum nondum eſſet eo tempore adhuc adeptus, ſed tantùm Prætorio munere eſſet functus & Legatus ad Reges cum aliis fuiſſet nominatus.

Quum autem bis Conſul fuit ut narrat Valerius Maximus & Pontifex Maximus eſt renuntiatus, jam Epiphanes è vivis exceſſerat, ideò Pighius exiſtimat M. Lepidum non Epiphani tutorem, ſed ejus liberis nempè Philome-
tori & Evergeti ejus fratri miſſum fretus his Taciti verbis, *exemplo, quo* Lib. 2.
majores M. Lepidum Ptolemæi liberis tutorem in Ægyptum miſerunt. Et
id eveniſſe putat quando Philometor à fratre pulſus Romam venit, ſed tunc Leg. 113.
viginti quinque annos natus erat Philometor & frater ejus viginti quatuor, nec tutore opus habebant, & apud Polybium Canuleius & Quintus Philometorem reduxiſſe videntur.

Modus eſt loquendi apud Tacitum, qui forſan alios fuiſſe Philopatori fi- Lib. 30.
lios putavit, nam Val Maximus ait, *ad pueri tutelam.* Quod confirmat
Juſtinus ex Trogo, *mittitur & M. Lepidus in Ægyptum, qui tutorio no-* Leg. 72.
mine Regnum pupilli adminiſtraret. Polybius id confirmare videtur, quum refert M. Lepidum Timotheo Philometoris Legato, in gratiam quòd patris
Tutor fuerat, conſuluiſſe ut Senatui de pace cum Perſeo inienda, ne ver- Fam. Rom.
bum faceret.

Fulvius Urſinus dum hunc nummum exponit, Valerii Maximi, Taciti, Cicer. Phil.
& Juſtini prolationes affert, & tantùm à Lepido Triumviro illius M. Lepi- lib. 13.
di Pontificis Maximi pronepote, in memoriam proavi denarium opinatur percuſſum. Ideò exiſtimamus eum hæc duo ampliſſima munera in proavo referre, quod ex S. C. Tutor Regis fuerit renunciatus, & Pontificatum Maximum obtinuerit, quum ille Triumvir hanc etiam Pontificatus Maximi dignitatem haberet, quum nummum percuſſit, ut illam à proavo, ſic à pronepote in Æmilia gente bis fuiſſe demonſtraret.

Pontifex autem Maximus Roma abeſſe non poterat, ideò M. Lepidus ſi Plut. in
hanc dignitatem obtinuiſſet Alexandriam abire non potuiſſet, conſtàtque Fabio.
M. Lepidum pro Legato ad Epiphanem fuiſſe nominatum ex Livio & tuto- Dec. 4.
rem ex Juſtino.

Ptolemæus

Ptolemæus Philometor, Rex Ægypti. VI.



Ap. D. Foy Vaillant D. M.
ex num. arg. tetradr.

Lagid. 146. Philom. 1. 2. Euſeb. Chron. PTolemæus VI. Ptolemæi Epiphanis & Cleopatræ filius major ſex annos natus, mortuo patre Ægypti Regnum obtinuit ſub matris tutela, in gratum cujus officium PHILOMETOR id eſt *amans matrem*, cognominari voluit.

Lagid. 147. Philom. 3. 2 Macc. 3. Seleucus Syriæ Rex conſiliorum patris Antiochi conſcius, quum videret illum neque Cœleſyriam, quam quaſi eſcam Epiphani dederat ut Egyptum occupare poſſet, non obtinuiſſe ſed tantùm mediam vectigalium partem retinuiſſe, id regnante puero facilè fore ſperavit, ideo Demetrium filium impuberem pro obſide Romam miſit, ut Antiochum fratrem retraheret cujus opera Cœleſyriam recuperare poſſet.

Lagid. 148. Philom. 4. In pacis & fœderis formula P. Romani cum Antiocho Magno eſſet expreſſum ut obſides pro triennio mutarentur, excepto Antiocho ejus filio minore, Seleucus quum permutandi tempus acceſſit, à Romanis obtinuit, ut frater Antiochus in Syriam rediret, miſſo in ejus locum Demetrio filio; ſed Antiochus vix Athenas pervenit, quin nuntium de Seleuci morte acceperit. Polyb. ibid. Alii Heliodoro qui Syriæ Regnum affectabat, adhærebant, alii Ptolemæo favebant; ſed Antiochus Eumenis & Attali auxiliis Regnum fratris occupavit. Hier. in Dan. Ipſi primùm à Ptolemæi fautoribus non datus fuit honos Regius, ſed ille poſtea ſimulatione clementiæ eum obtinuit.

Lagid. 149. Philom. 5. Id. ibid. Cleopatra Antiochi M. filia, Ptolemæi Epiphanis uxor & Ptolemæi Philometoris mater, magno Ægyptiorum deſiderio & ætate florente deceſſit,

in

in cjus locum tutores Regis Eulaius Eunuchus & Lenæus ab Alexandrinis nominantur. LAGIDAR. an. 150.

Ptolemæi Tutores ab Antiocho Cœleſyriam ut fraude per patrem occupatam repetere audebant; Antiochus verò Ægypti procurationem tutorio ſibi jure, propinquitatis nomine vindicabat; erat autem frater Cleopatræ Ptolemæi matris & ideo avunculus, hoc, inter avunculum & nepotem bello originem præbuit. Lagid. 150. Philom. 6. Id. ibid.

Quinque Legatos Senatus in Macedoniam ad Perſæum Regem miſit & Alexandriam etiam ad Ptolemæum renovandæ amicitiæ cauſa proficiſci juſſos. Hi erant C. Valerius, Cn. Lutatius Ceno, Q. Bœbius Sulca, M. Cornelius Mammula, & C. Cæcilius Denter. Liv. Dec. 5. lib. 2.

Romam redierunt ad ſocios Reges Legati à Senatu miſſi, qui renuntiarent Eumenem in Aſia, Antiochum in Syria & Ptolemæum in Ægypto ſeſe conveniſſe. Omnes ſollicitos Legationibus Perſei, ſed egregiè in fide permanere, pollicitóſque omnia quæ P. Romanus imperaſſet, præſtaturos. Lagid. 151. Philom. 7.

Antiochus ubi vidit manifeſtò jam Ptolemæum ad bellum pro Cœleſyria ſe parare, Meleagrum miſit Romam Legatum qui mandatu ſuo Patribus Conſcriptis nuntiaret, & teſtans fœdera diceret, præter omne jus à Ptolemæo ſe invadi, quum ille quidem de Ægypti Regno, & Cœleſyriæ ambigeret, Ptolemæi pueritiam & Tutorum inertiam ſpernens: cauſam belli ſe habiturum exiſtimabat: geſturúmque illud ſine ullo impedimento, occupatis Romanis in Macedonico: omnia tamen & per ſuos Legatos Senatui & ipſe Legatis eorum eximiè eſt. Polyb. Leg. 71. Liv. Dec. 5. lib. 2.

Ptolemæus verò propter ætatem alieni etiam tum arbitrii erat. Tutores enim & bellum adverſus Antiochum parabant, quo vindicarent Cœleſyriam & Romanis omnia pollicebantur ad Macedonicum. Id. ibid.

Quum jam eſſet inchoatum à Regibus Ptolemæo & Antiocho pro Cœleſyria bellum, Romam venerunt Legati, Antiochi quidem, Meleager, Soſiphanes & Heraclides: Ptolemæi verò Timotheus, & Damon. Erat Antiochus in Cœleſyria & Phœnice Dominus, bello quæſitorum juſtiſſimam atque honeſtiſſimam poſſeſſionem eſſe exiſtimabat. Ptolemæus qui putaret priorem Antiochum contra jus & fas, pupillari patris ſui ætati inſidiatum, urbes ipſi eripuiſſe quas in Cœleſyria habebat, cedere ei, locis illis non poterat. Lagid. 152. Philom. 8. Polyb. leg. 72.

Meleager Senatum teſtabatur, Ptolemæum contra omne jus Antiochum laceſſere. Timotheus verò ad renovandam amicitiam venerat, ad imponendum finem bello contra Perſeum: præcipuè autem ad obſervandos Meleagri cum Romanis congreſſus. Sed de pace quidem M. Æmylii (qui tutor ipſius patris fuerat) conſilium ſecutus, facere verba non eſt auſus. Amicitiam verò ubi renovaſſet, & congruentia poſtulatis ſuis reſponſa accepiſſet, Alexandriam eſt reverſus. Meleagro Senatus reſpondit Quinto Marcio in Græcia tunc Legato ſe permiſſurum, ut de iis rebus ad Ptolemæum ſcribat, ita ut eſſe è Republica P. Romani fidéque ſua viderit. Id. ibid.

Perſeo Macedoniæ Regi bellum hoc anno à Romanis denuntiatum eſt. Lagid. 153. Philom. 9.

Philometor legitimam regnandi nempe quatuordecim annorum ætatem adeptus, Rex eſt proclamatus, ſicut Ægypti Principibus moris erat & celebrata ejus Anacleteria. Reges Memphim aſcendebant, & ibi ſolio Regio decorari ſolebant qui Ægypti Regno gaudebant, ſacris initiabantur, ſatis Religioſè tunicati & Tauro quem Apim appellant, jugum portare fas fuit, & per vicum unum duci, ut periti exiſtimabant labore humanæ neceſſitatis, ne crudeliùs his qui ſub iis ſunt, abutantur. Deducitur autem Rex à Sacerdote Iſidis in locum qui nominatur ἄδυτον, & Sacramento adigitur neque diem, neque menſem intercalandum. Eutrop. lib. 4. Polyb. leg. 78.

Antiochus miſſo in Ægyptum Apollonio Mneſtei F. ad Philometoris Anacleteria, 2 Maccab. 22.

M

LAGIDAR. an. 153. cleteria, quum cognoviſſet illum à negotiis Regni alienum eſſe factum, propriis utilitatibus conſuluit, unde profectus Tyro venit Hieroſolyma, indéque in Phœniciam convertit exercitum.

Valeſ. exc. Polyb. 27. Ptolemæus Macer Dorymenis filius qui Cypri Præfecturam Philometore admodum puero acceperat, cogendæ quidem pecuniæ, nemini quicquam dabat, tametſi à Curatoribus ac diſpenſatoribus Regiæ pecuniæ ſæpiſſimè flagitaretur, gravitérque increparetur, quòd reditus Inſulæ penes ſe retineret. Sed poſtea quàm Rex adoleſcentiam attigit, collectam ſatis magnam pecuniæ vim Alexandriam miſit, adeo ut Ptolemæus & ceteri omnes Aulici priorem illius parſimoniam ac diligentiam probarint.

Lagid. 154. Philom. 10. Polyp. leg. 75. Quum fama allata eſſet Achæis, celebrata fuiſſe in honorem Ptolemæi Anacleteria, officii ſui eſſe exiſtimantes, ut ſuæ ob id quod geſtum erat, lætitiæ ſignificationem darent, Legatos decreverunt mittere, ad renovandam amicitiam quæ genti Achæorum erat cum Ægypti Regibus. Statim igitur Alcithus & Paſidas ſunt delecti.

2 Maccab. 5. & 10. Antiochus Tyri morabatur, quum Ptolemæus Cypri Præfectus à Rege Ptolemæo alienatus, ad ejus partes tranſiit & Inſulam ipſi tradidit; Antiochus autem Cypri cura Crateri commiſſa, Ptolemæum Cœleſyriæ & Phœniciæ Præfectum conſtituit, & in præcipuorum amicorum numerum illum admiſit.

Hier. in Daniel. cap. 11. Quum autem ſegniter agerent Ptolemæi Duces, & in Cœleſyriam ingredi cunctarentur, Antiochus navalem exercitum è Tyro ſolvere juſſit & Ægypti fines per terram ingreſſus eſt cum turba numeroſa, curribus, Elephantis, & equitibus. Ptolemæus qui multa populorum millia congregaverat, ei occurrit, & ad Peluſium commiſſa eſt pugna, in qua fuſis fugatiſque Ægyptiis, Valeſ. Diod. Excerpt. quum Antiochus ad internecionem delere omnes poſſet, equo circumvectus, occidi eos vetuit, ſed potiùs vivos comprehendi juſſit, Peluſióque potitus eſt.

Ptolemæi ignavia ibi obſervata eſt, ipſe enim adeo ab omni remotus periculo, tantiſque ſpatiis ab hoſte diviſus, nihilominùs Regno maximo atque opulento, ſine certamine ceſſit: quæ quidem animi penitùs effœminati natura & mollicies in Ptolemæo inſita fuiſſet, eſſet fortè ipſe accuſatione dignus. Quum verò ex iis rebus, quas poſtea geſſit, ſatis ſupérque apparuerit eum conſtantia atque induſtria in agendo nemini inferiorem fuiſſe, hujus ignaviæ cauſa ſpadonis Eulaii nutritioni tribuenda qui eum in deliciis ac muliebribus inſtitutis à puero quum habuiſſet, vim mentis ejus enervaverat.

Polyb. leg. 84. Hier. in Dan. Ptolemæus autem ſeu in pugna captus, ſeu ab Alexandrinis in exilium miſſus ob fugam, ad Antiochum venit, qui parcens puero & amicitiam cum eo ſimulans convivium fecit, aſcendítque Memphim, & ibi ex more Ægypti Regnum accipiens, puerique rebus ſe providere dicens, Ægyptum ſibi ſubjugare conatus eſt & abundantes atque uberrimas ingreſſus eſt urbes.

Lagid. 155. Philom. 11. Porphyr. Gr. Euſeb. Alexandrini poſtquam viderunt Antiochum Philometori diadema ademiſſe, ſibíque impoſuiſſe, Ptolemæum juniorem qui Evergetes cognominatus eſt, Regem renuntiarunt quum undecim annos regnaſſet Philometor, Comano & Cineæ ſumma rerum cum ipſo commiſſa.

Liv. Dec. 5. lib. 4. Antiochus ea occaſione libenter arrepta, exulis tutelam ſuſcepit, ejúſque reducendi ſpecioſo titulo, in Ægyptiaco ſuo bello defendendo, ad omnes Aſiæ & Græciæ civitates Legationibus recipiendis litteriſque eſt uſus.

Polyb. leg. 81. Comano & Cinea de ſumma rerum cum Evergete conſultantibus, viſum eſt faciendum, ut conſilium ex illuſtriſſimis quibuſque Ducibus conſcriberetur, de cujus ſententia omnia deinceps gererentur, ei conſilio ante omnia placuit, ut advenæ Græci qui forte ibi reperiebantur, Legati ad Antiochum proficiſcerentur, de pace cum eo acturi.

Id. ibid. Erant tunc eo loci Legationes duæ ab Achæorum gente, una ad renovandam

vandam cum Philometore amicitiam: quæ mandata fuerat Alcitho Xenophontis F. Ægienſi, & Paſiadæ: altera de Antagoniſtarum agone. Erat & miſſa ab Athenienſibus de donatione quædam Legatio, cujus princeps Demaratus. Item ſacræ Legationes ab iiſdem duæ: una de feſto Panathenæorum, cujus caput fuit Callias quinquertio: altera de myſteriis, quam obibat Cleoſtratus, qui ſuper eo ad Philometorem orationem habuit: Mileto aderant Eudemus & Iceſius: Clazomenis Apollonides & Apollonius: cum his legatos miſit. Evergetes etiam Tlepolemum & Ptolemæum Rhetorem. Hi igitur adverſo flumine navigantes proceſſerunt. LAGIDAR. an. 156.

Antiochus Legatos quum ſuſcepiſſet benignè, primo die ad epulas magnificè ſtructas invitavit: poſtridie verò ſui conveniendi poteſtatem fecit & mandata juſſit expromere. Primi igitur omnium verba apud Regem fecerunt. Legati Achæorum; deinde Athenienſium, Demaratus: ſecundùm hos Eudemus Mileſius. Qui quum eodem tempore, eadémque de re omnes diſſererent, eveniebat, ut rationes quas ſinguli afferebant, per quam ſimiles eſſent. Omnes enim Eulaii culpa ſuſceptum bellum dicere: dein cognationem atque ætatem Ptolemæi allegantes, Regis iram deprecari. Id. leg. 81.

Quum orationibus illorum eſſet aſſenſus Antiochus, atque ipſe etiam plura in eandem ſententiam loquutus eſſet, juſſa ſua commemorare cœpit, magno ſtudio probare contendens, pertinere ad Syriæ Reges Cœleſyriæ poſſeſſionem. Principio dicere, idque multis ſtudioſè confirmare Antigonum primum à quo Regnum Syriæ conditum, ea loca imperio ſuo tenuiſſe: proferre deinde in medium inſtrumenta conceſſionis poſt mortem Antigoni Seleuco à Macedonicis Regibus factæ: ſecundùm iſta, Antiochum patrem bello noviſſimo Cœleſyriam recepiſſe, multúmque eo jure niti: poſtremò negare verum eſſe de pactis quæ Legati Alexandrini facta dicebant fuiſſe inter Ptolemæum nuper mortuum & Antiochum hujus patrem: quibus pactis nomine dotis concedebatur Ptolemæo Cœleſyria, quando in uxorem duceret Cleopatram. Id. ibid.

In hanc ſententiam Antiochus quum multa protuliſſet, nec tantùm ſibi, ſed etiam omnibus qui præſentes erant, cauſam ſuam probaviſſet. Naucratim tunc quidem navibus petiit: atque eo etiam loci benignè appellatis tractatíſque civibus, in Græcos verò, qui ibi commorabantur, aureis ſingulis diviſis Alexandriam iter inſtituit, at Legatis pollicitus eſt daturum ſe iis reſponſum, poſtquam Ariſtides & Theris eſſent reverſi: velle enim ſe omnium conſiliorum ſuorum conſcios ac teſtes habere Græcos Legatos. Id. ibid.

Alexandriam interea Antiochus obſidione cinxit, Evergetes & Cleopatra ſoror Legatos Romam miſerunt ut opem Regno, Regibúſque amicis imperio ferrent: Alexandrini autem ſummis Antiochi viribus ſtrenuè reſiſtebant. Liv. Dec. 5. lib. 4.

Per eoſdem dies Rhodiorum Legatio, cujus erat princeps Pratio ad componendam pacem miſſa, Alexandriam portum tenuit: eadémque mox in caſtra ad Antiochum venit. Hi in colloquium Regis admiſſi, dum patriæ conjunctionem cum utroque Regno commemorant, & mutua iter ambos Reges neceſſitudinis jura, quæque ad utrumque ex pace confecta, reditura ſint commoda, longam orationem ſunt exorſi: at Rex dicentem Legatum interpellans; longiore oratione nihil opus eſſe ait, Regnum enim ad Ptolemæum majorem pertinere, cum iſto verò pacem dudùm ſe feciſſe,& amicum eſſe, atque adeo, inquit Antiochus, ſi ab exilio eum revocare cives voluerint per ſe licere. Polyb. leg. 84.

Quum Antiochus accepiſſet Jaſonem Hieroſolymam urbem armis invaſiſſe & urbem expugnare, ex vulgata de morte ſua fama, Alexandriam oppugnare deſiit, & antequam Hieroſolymam aſcenderet Legatos Romam miſit, & Philometorem Memphi reliquit, cui Regnum quæri ſuis viribus ſimulabat, omni Ægypto illi tradita, excepto Peluſio: exiſtimans bello 2. Maccab. 5. Liv. Dec. 5. lib. 5.

LAGIDAR. an. 156.

inteſtino cum fratre eum exitum fore, ut victor feſſus certamine, nequaquam par ſibi futurus eſſet; Peluſio idcirco validum reliquit præſidium, ut clauſtra Ægypti tenens, quum vellet rurſus exercitum induceret fratrémque victorem aggrederetur.

Lagid. 156. Philom. 12. Id. ibid.

Philometor Memphi ab Antiocho relictus, ſuſpectum omnino illum prudenter habuit nec illius voluntatis ignarus ad fratrem juniorem de inienda inter ſe pace, qui cum eo erant libenter acceperunt. Soror plurimùm adjuvit, non modò conſilio, ſed etiam precibus. Itaque conſentientibus cunctis, pace facta, Alexandriam recipitur regnaréque ambo cœperunt per ſex annos, ne multitudine quidem adverſante: quæ in bello non per obſidionem modò, ſed etiam poſtquam à mœnibus abſceſſum eſt, quia nihil ex Ægypto ſubvehebatur, attenuata inopia erat, & Alexandrini cum Philometoris duodecimo, Evergetis primum annum connumerarunt.

Porphyr. in Græc. Euſebian. Liv. Dec. 5. lib. 5.

His quum lætari Antiochum conveniens fuiſſet, ſi reducendi ejus cauſa exercitum in Ægyptum induxiſſet, quo ſpecioſo titulo ad omnes Aſiæ & Græciæ civitates legationibus recipiendis, litteriſque dimittendis uſus erat: adeò eſt offenſus, ut multò acriùs infeſtiúſque adverſus duos, quàm antè adverſus unum pararet bellum. Cyprum ex templo claſſem miſit quæ Ægypti Regum Duces prælio vicit.

Polyb. leg. 91. Liv. Dec. 5. lib. 4.

Legati ab Ptolemæo juniore & Cleopatra Regibus miſſi, in Senatum vocati ſunt. Sordidati, barba & capillo promiſſo, cum ramis olei ingreſſi curiam, procubuerunt: & oratio quàm habitus fuit miſerabilior, quærentes quòd Antiochus per honeſtam ſpeciem majoris Ptolemæi reducendi in Regnum, bellum cum minore fratre ejus, qui dùm Alexandriam tenebat, gereret, & ad Peluſium navali prælio victor, tumultuario opere, ponte per Nilum facto, tranſgreſſus cum exercitu, obſidione ipſam Alexandriam cingebat, nec procul abeſſe quin potiretur Regno opulentiſſimo, videbatur.

Orabant Senatum, ut opem Regno, Regibúſque amicis ferrent. Ea merita P. Romani in Antiochum, qui obſes Romæ fuerat, eam apud omnes Reges gentéſque autoritatem eſſe, ut ſi Legatos miſiſſent, qui denuntiarent non placere Senatui, ſociis Regibus bellum fieri, extemplo ille abſceſſurus à mœnibus Alexandriæ, abducturúſque exercitum in Syriam, eſſet. Quod ſi cunctentur facere, brevi extorres Regno Ptolemæum & Cleopatram Romam venturos cum pudore quodam P. Romani, quòd nullam opem in ultimo diſcrimine fortunarum tuliſſent.

Id. ibid.

Moti Patres precibus Alexandrinorum, extemplo L. Popilium Lænatem virum Conſularem & C. Decimium, & C. Hoſtilium, Legatos ad finiendum inter Reges bellum miſerunt. Priùs Antiochum adire juſſi & nunciare ni obſiſtatur bello, per utrum ſtetiſſet, eum non pro amico nec pro ſocio habituros eſſe. Hi intra triduum cum Legatis Alexandrinis profecti ſunt, & in Macedoniam tranſiere, nam in mandatis habebant non priùs in Ægyptum iter facere quàm belli Macedonici exitum pervidiſſent, quare Selymbriæ aliquandiù morati ſunt.

Polyb. leg. 89.

Ptolemæi Reges ante exitum hiemis Eumenem & Dionyſodorum Legatos ad gentem Achæorum miſerunt, qui pedites mille, equites ducentos petebant: Ducem autem auxiliarium omnium copiarum Lycortam; equitum verò Polybium. Iidem ad Sicyonium Theodoridam ſcripſerant, rogantes ut mercenarios milites conduceret ad mille: porrò viri illi ex rebus geſtis plurimis Ægypti Regibus probè noti erant. Poſt adventum verò Legatorum, quo tempore Achæorum conventus Corinthi agitabatur. Quum illi veterem amicitiam, quam multis argumentis invicem fuerant teſtati renovaſſent, & afflictum Regum ſtatum ob oculos poſuiſſent, opem poſcentes: erat quidem parata multitudo non parte aliqua copiarum, ſed omnibus

bus viribus, ſi opus eſſet, Regibus (ambo namque & diademate & Regia poteſtate erant prædití,) ire ſuppetias. LAGIDAR. an. 156.

Aſt huic ſententiæ adverſari Callicrates & qui cum eo ſentiebant, dicebant enim, quum in univerſum alienis negotiis eſſe abſtinendum Achæis; tum verò potiſſimum tempore, quando ab omni alia cura liberi, Romanis operam navare debeant: nam tunc quum maximè opinio hominum erat totis viribus breve certatum iri, ut pote Q. Marcio Philippo in Macedonia hibernante erántque omnes ſolliciti ne Romanis defuiſſe; aut parùm in tempore adfuiſſe viderentur. Id. ibid.

Heic Lycortas & Polybius ſuſcepto ſermone, dicere ſunt orſi, tùm alia multa afferentes in medium, tùm etiam quòd ſuperiore anno quum eſſet factum ab Achæis decretum de ferenda Romanis ope totis viribus gentis, miſſúſque in eam rem Polybius. Marcius laudata eorum voluntate, auxilio ſibi opus eſſe negarat, poſtquam ſemel ſuperato ſaltu tranſgreſſus eſſet in Macedoniam, ſine cauſa igitur Romanorum utilitatem prætexi ab iis, qui id agerent, ne auxilia Regibus mittantur. Hortari ergo Achæos quibus periculi magnitudinem, in quo Regnum illud verſabatur, oſtendebant, ne occaſionem prætermitterent; ſed pactorum & acceptorum beneficiorum, imprimis verò jusjurandi memores, ſocietatis leges ſervarent. Quum iterùm multitudo acclamaſſet opem ferendam, Callicrates deliberationem illam fregit, metu Magiſtratibus injecto, quaſi leges poteſtatem ipſis non concederent, in ejus conventu de auxiliis deliberandi. Id. ibid.

Paulò poſt verò concilio in urbem Sicyoniorum convocato, cui non Magiſtratus ſolummodò intererant, verùm etiam omnes triginta annis majores: poſtquam multi ſermones habiti eſſent, & Polybius imprimis confirmaſſet, nullo Romanos auxilio habere opus, quod non temerè dici ab illo videbatur, quia ſuperiore anno cum Marcio Philippo Coſ. in Macedonia fuerat: deinde adjeciſſet, ſi vel maximè auxiliis Achæorum indigeant Romani, propter equites ducentos, pedites mille, quos Alexandriam miſerint, nihilo tamen difficilius futurum auxilia eis ſubmittere: nullo enim ſuo incommodo triginta, vel etiam quadraginta millia ducturos. Id. ibid.

Movit Polybii oratio multitudinis animos, eóque omnes inclinabant, ut Regibus ſubſidia mitterentur. Poſtridiè verò ejus diei, quo die ſecundùm leges oportebat, ut qui ſententias dixerant, decreta ad diſceptandum proponerent. Lycortas hujuſmodi decretum propoſuit auxilium eſſe mittendum. Callicrates verò hujuſmodi Legatos oportere mitti ad pacem inter Reges & Antiochum faciendam. Id. ibid.

Quum quidem iterùm diſceptari cœpiſſet, acri contentione res acta, ſed in qua longè vincebat Lycortas: comparatione ſi quidem inter hæc Regna inſtituta, magnum diſcrimen inveniebatur. Nam ad Syriacum quidem Antiochi quod attinet: Rex ullum alicujus neceſſitudinis, quæ illi fuerit cum Græcis hominibus, argumentum afferri poterat, de prioribus loquebatur, nam ejus qui tunc Regnabat, magnus & liberalis animus Græcis erat notus: at Regni Ptolemaïci tot & tanta in Achæos merita extiterant, ut nihil ſuprà. Hoc verò argumentum Lycortas, ita ut par erat, verbis ornans, magnificam Regum illorum ſpeciem hominum animis inſinuabat: ipſa quippe comparatio res eſſe genere toto diverſas arguebat, ut enim Regum Alexandriæ beneficia percenſere erat difficile: ita nullum omnino poterat inveniri ab Antiochi Regno profectum, quo res Achæorum adjuviſſet.

Perſtiterunt aliquandiù Andronidas & Callicrates in ſuſcepta ſententia ſuadenda, de pace inter Reges facienda: ſed quum ipſis nemo adjungeret, aſtu adverſarios aggrediuntur. Inductus eſt enim in theatrum recta ab iti- Id. leg. 101.

LAGIDAR. an. 156. nere; tabellarius literas Q. Marcii afferens: quibus Achæos hortabatur, ut Romanorum voluntatem ſecuti, conciliare invicem Reges conarentur. Nam & Senatus Legationem miſerat, cujus princeps erat Nemeſius * ad pacificandum inter Reges. Hoc verò nihil aliud erat, niſi prætextus quidam. Totus enim quum eos conciliare non potuiſſet, re penitus infectâ Romam redierat.

* Forſan eo ternomine.

Tum Polybius reſpectu Marcii contradicere epiſtolæ nolens, publicarum rerum cura & adminiſtratione ſe abdicavit: ita evenit ut auxiliorum quæ petebant, ſpe Reges exciderent. Decretum igitur ab Achæis factum eſt, de mittendis Legatis qui de pace agerent. Ea Legatio mandata eſt Archoni Ægiratæ, Arceſilao & Ariſtoni Megapolitanis. Legati verò Ptolemæi, ſpe auxiliorum omiſſa, epiſtolarum Regum, quam paratam habebant, Magiſtratibus tradiderunt; quibus petebant ab Achæis, ut ad bellum quod ſuſtinebant, Lycortam & Polybium ſibi mitterent.

Liv. Dec. 5. lib. 4. Antiochus primo vere cum exercitu Ægyptum repetens in Cœleſyriam proceſſit. Circa Rhinocolura Ptolemæi Legatis agentibus gratias, quod per eum Regnum patrium recepiſſet, petentibúſque ut ſuum munus tueretur, & diceret potiùs quid fieri vellet, quàm hoſtis ex ſocio factus, vi atque armis ageret, reſpondit, non aliter neque claſſem revocaturum, neque exercitum reducturum, niſi ſibi & tota Cypro & Peluſio agróque qui circa Peluſiacum oſtium Nili eſſet, cederet: diemque præſtitit intra quem de conditionibus peractis reſponſum acciperet.

Hieron. in Dan. c. 11. Interea navigans ab oſtio Nili, quod eſt Peluſiacum per deſerta Arabiæ, populi ſe dediderunt, Idumæos & Moabitas & Ammonitas qui ex latere Judææ ſunt, non tetigit, ne occupatus alio prælio, Ptolemæum redderet fortiorem, ad Memphim uſque proceſſit Antiochus; Ægyptiis ſe partim metu, partim voluntate dedentibus

Liv. Dec. 5. lib. 5. Quum debellatum fuiſſe Perſeum pridie nonas Septembris nuntius Delum perveniſſet: Caius Popilius Romanorum Legatus qui ibi aderat, ad ſuſceptam Legationem peragendam navigare Ægyptum perrexit, ut priùs occurrere poſſet, quam ad Alexandriæ mœnia Antiochus accederet.

Polyb. leg. 92. & Liv. ibid. Poſtquam dies data induciis ab Antiocho præteriit, ille ad urbem Alexandriam modicis itineribus deſcendit: ad Eleuſinem, qui pagus quatuor millia Alexandria abeſt, tranſgreſſo flumen Legati Romani occurrerunt, quos quum advenientes ſalutaſſet, dextrámque Popilio porrigeret, (coluerat autem illum inter ceteros quum Romæ obſes eſſet,) tabellas ei Popilius ſcriptum habentes tradit, atque omnium primum id legere jubet. Quibus perlectis, quum ſe conſideraturum adhibitis amicis quid faciendum ſibi eſſet, dixiſſet. Popilius pro cetera aſperitate animi, erat fortè illi in manibus pro geſtamine vitis, hac ille vite circumſcripſit Antiochum, ac priusquam hoc circulo excedas, redde reſponſum Senatui, quod referam. Obſtupefactus iſto adeò inſolito atque violento imperio, ubi parumper hæſitaſſet. Faciam, ait, quidquid P. Romanus cenſet. Tum demum Popilius & qui cum eo erant Antiochi dextram omnes prehendere & comiter ipſum ſalutare, tanquam ſocium atque amicum.

Polyb. ibid. Itaque paucorum dierum, ac numero certo definitorum ſpatio conceſſo, Antiochus copias in Syriam ſuas, gravatè ille quidem ac gemens, ſed tamen abduxit, in præſentia temporis edendum ratus; niſi enim Perſeus in Macedonia fuiſſet debellatus, nunquam eſſet adductus Antiochus ut imperata faceret: porrò ab hoc tempore Cœleſyria & Phœnicia Regibus ſine controverſia remanſerunt.

Polyb. excer. pag. 139. Popilius rebus Alexandriæ compoſitis & ad concordiam Reges hortatus, inter quos vix dum convenerat, ut Polyaratum Rhodium Romam mitterent

rent, juſſit. Quibus rebus hoc modo peractis mox Cyprum navigat, id- LAGIDAR.
que eo fine & conſilio, ut quantocyus Antiochi copias quæ ibi erant, ex an. 156.
Inſula dimitteret. Ibi quum devictos Ptolemæi Duces inveniſſet, atque Polyb.excer.
omnino res Cypri modò poſitas loco adveniens offendiſſet, caſtris confeſtim pag. 139.
motis, in propinquo tantiſper conſedit donec in Syriam is exercitus abiiſ-
ſet. Hoc pacto Romani Regnum Ægypti haud dubiè Antiocho jam haben-
ti, ademptum Ptolemæo conſervarunt.

Poſt Popilii ex Alexandria diſceſſum, quum ipſe Philometori ut Polya- Polyb. ibid.
ratum Romam mitteret, mandaſſet, Rex & Polyaratum & ejus patriam
reveritus, Romam quidem eum mittere handquaquam decrevit, ſed Rho-
dum potiùs, quòd & ipſe Polyaratus poſtulabat. Igitur navigio impoſitum
& Demetrii cujuſdam ex amicis cuſtodiæ traditum, Rhodum deſtinavit,
litteris etiam ad Rhodios de illius tranſvectione datis.

Ægypti Reges bello liberati, ante omnia Legatum Romam miſerunt Nu- Polyb. leg.
menium, ex numero amicorum, gratias pro acceptis beneficiis acturum. 95.
Miſſum etiam fecerunt Menalcidam, qui neceſſariis Regum temporibus ſe-
dulò erat abuſus, ad rem familiarem augendam: quia C. Popilius miſſio-
nem ejus ac liberationem loco beneficii à Regibus petierat.

Popilius poſtquam Romam rediit, controverſias retulit inter Reges ſubla- Liv. Dec.
tas eſſe, exercitúmque ex Ægypto in Syriam reductum. 5. lib. 5.

Poſtea, ipſorum Regum Legati in urbem venerunt; Antiochi quidem Le- Lagid. 157.
gati, referentes omni victoria potiorem pacem Regi, quæ Senatui placuiſ- Philom. 13.
ſet, viſam eúmque haud ſecùs quàm deorum imperio, Legatorum Roma-
norum juſſis paruiſſe. Gratulati deinde eorum contra Perſeum victoriam
ſunt, ad quam ſumma ope, ſi quid imperatum foret, ad futurum Regem
fuiſſe.

Ptolemæi Legati communi Regis & Cleopatræ gratias egerunt. Plus Id. ibid.
eos S. P. Q. R. quàm parentibus ſuis, pluſquam Diis immortalibus debe-
re: per quos obſidione miſerrima liberati eſſent, Regnum patrium, propè
amiſſum recepiſſent.

Reſponſum ab Senatu eſt, Antiochum rectè atque ordine feciſſe, quod Id. ibid.
Legatis paruiſſet, gratúmque id eſſe S. P. Q. R. Regibus Ægypti Ptole-
mæis Cleopatræque, ſi quid per ſe boni commodíque eveniſſet, id magno
opere Senatum lætari, datúrúmque operam, ut Regni ſui maximum ſem-
per præſidium poſitum eſſe in fide P. Romani ducant. Munera Legatis ex
inſtituto mittenda curaret C. Papirio Prætori mandatum.

Antiochus quum Ludos ab Æmilio Paulo qui Perſæum Macedoniæ Regem Lagid. 158.
devicerat editos fuiſſe, hoc anno Antiochiæ ad Daphnem celeberrimos ex- Philom. 14.
hibuit, ad quorum epula ſternebantur inclinia cum ornamentis maximi pre- Polyb. leg.
tii quorum partem in Ægypto ex Philometore Rege ille defraudaverat.

Peracto demum ludicro, Legatus advenit ad Antiochum Tib. Gracchus, Diod. ex-
ad inſpiciendas res Syriæ à Senatu miſſus, quem ea humanitate Rex excepit, cerp. pag.
ut nullatenus Tiberius ſuſpecta Antiochi conſilia habuerit, nullum in eo 313.
ſubalienati & offenſi ob ea quæ in Ægypto acciderunt, animi ſignum
deprehenderit, ſed etiam omnibus ſe opponeret, qui ejuſmodi aliquid di-
cerent.

Antiochus in Perſidem profecturus commiſerat erum adminiſtrationem Lyſiæ Lagid. 159.
amico, probatæ fidei, & juſſerat ut Antiochum filium diligenter educaret, ſed Philom. 15.
dum ille à Ptolemæorum Provinciis ſe removet, ipſi quaſi de illo ſecuri inter
ſe diffidere cœperunt.

Quum autem ex profectione rediens Antiochus in Perſidis oppido Ta- Lagid. 160.
bis mortuus eſſet, Philippus ejus collactaneus, cui diadema, ſtolam, & Philom. 16.
annulum, ut filio redderet, corpus illius in Syriam aſportavit, ſed quum
au-

LAGIDAR. an. 160.

audivit Lyſiam Antiochum puerum conſtituiſſe, ad Ptolemæum Philometorem contra eum copias comparaturus confugit, ſed accepit Ptolemæos fratres inter ſe diſſidere, & ad Antiochi patris exercitum quem in Perſide & Media reliquerat, accerſendum profectus eſt.

Lagid. 161. Philom. 17. Polyb. leg. 107.

Bellum jam apertum inter fratres Ptolemæos novere Romani nam quum Cn. Octavium, Spurium Lucretium, & L. Aurelium Antiochiam miſiſſent ad Regnum Syriæ adminiſtrandum Rex voluntate Senatus quippè neminem fore impedimento Rege puero & Principibus Aulæ benè agi ſecum exiſtimantibus, ſi Demetrio Regnum non traderet: ad hos verò Legatos poſtea miſſæ ſunt literæ quibus jubebantur Reges Alexandriæ omni ſtudio invicem conciliare: ſed Legatio in Ægyptum pervenire nequit, nam Octavius in Syria occiſus eſt.

Lagid. 161. Philom. 18. Porphyr. in excerp. Euſeb. Val. Max. lib. 5. c. 1. Diod. excerp. pag. 322.

Victor autem Ptolemæus junior, quum ſex annos regnaſſet cum Ptolemæo majore fratre, illi Regnum abſtulit. Sic verò ſpoliatus Regno, petendi auxilii gratia cum paucis admodum ſervis, ſqualore obſitus Romam venit, agnitus eſt à Demetrio Regis Syriæ filio, qui inſperato caſu commotus, magnificentiæ ſuæ ac planè regii animi, illuſtre ſpecimen edidit. Statim enim parata veſte Regia cum diademate, & equo aureis phaleris ornato, ſtipatus ſuis famulis, Ptolemæo obviam proceſſit, eíque vigeſimo ſexto ab urbe lapide occurrit. Quem poſtquam comiter ſalutavit, hortari cœpit ut ornatus regiis inſignibus, eo quo par erat comitatu Romam ingredi vellet, ne fortè deſpectui haberetur. Sed Ptolemæus prolixam quidem in ſe Demetrii voluntatem multùm laudavit, ceterùm tantùm abfuit, ut quidquam eorum quæ ſibi offerebantur, acciperet, quin potiùs Demetrium rogavit ut in aliquo ex perviis oppidis unà cum Archia ſubſiſteret.

Val. Max. lib. 5. c. 1.

Philometor Romam ingreſſus in hoſpitium Alexandrini pictoris ſe contulit. Id poſtquam Senatui relatum eſt, accerſito juvene, quàm potuit accurata excuſatione uſus eſt, quod nec Quæſtorem illi more majorum obviam miſiſſet, nec publico hoſpitio eum excepiſſet: eáque non ſua negligentia, ſed ipſius ſubito & clandeſtimo adventu facta dixit: & illum è Curia ſubitò ad publicos penates deduxit, hortatúſque eſt, ut depoſitis ſordibus adeundi ipſius diem peteret: quin etiam curæ habuit, uti munera ei per Quæſtorem quotidiè darentur, his gradibus officiorum jacentem ad regium faſtigium evexit: effecítque ut plus ſpei in auxilio P. Romani quam metus in ſua fortuna reponeret.

Polyb. leg. 113. Liv. lib. 6. epit.

Canuleius & Quintus ex Senatus decreto miſſi ſunt qui Philometorem in Regnum reſtituerent, & cum fratre juniore reconciliarent. Hi Regni inter eos diviſione facta, Philometori Ægyptus eſt aſſignata cum Cypro, Ptolemæo juniori Cyrenæ cum Lybia. Quod pactum ſacris ritè peractis, fide data invicémque accepta ſancitum eſt.

Polyb. ibid. & leg. 114.

Evergetes Cyrenas abit, ſed Ptolemæo cuidam Ægyptio Regnum ubi commiſit, Romam venit ut inſtitutam cum fratre partitionem redderet infectam, quod mox reſcivit Philometor, & Menethyllum Legatum miſit qui cauſam ſuam contra fratrem defenderet. Junior autem Ptolemæus dixit, non ſponte ſe, verùm difficultatibus temporum neceſſariò cedentem, id feciſſe, quod juſſus erat: petere igitur à Senatu, ut Cyprum ſibi adjudicaret: nam etiam ſic longè deteriorem ſuam portionem futuram, portione fratris.

Id. ibid.

Contrà verò Legatus à Philometore miſſus Menethyllus, dicebat quod ipſi Romanorum Legati Canuleius ac Quintus ſuo teſtimonio confirmabant, Ptolemæum nempe juniorem, non ſolùm Cyrenen, ſed & ipſam vitam opera ſua retinere: omnium animis ab eò ideò alienatis, ut pro magno beneficio conceſſum ſibi, præter ſpem ſuam & omnium opinionem Cyrenæ

Re-

Regnum acciperet. Omnibus his contradicente Ptolemæo juniore, Senatus, partim quod partitionem non planè peractam animadverteret, partim quod autoribus ipſis fratribus Regnum optaret dividi, utilitatis ſuæ cauſa, poſtulata junioris accepit, T. Torquatum & Cn. Merulam Legatos decrevit qui Ptolemæos inter fratres pacem conciliarent & juniori Regnum Cypri traderent. LAGIDAR. an. 162.

Menithyllus Philometoris Legatus reditum parare præ ſe ferens, Demetrium in Syriam deportare per navim Carthaginienſem Tyrum navigaturam curavit, ſed Romæ per aliquot dies adhuc permanſit, uſquequò Legati Romani proficiſcerentur. Id. ibid.

Ptolemæus junior quum Corneliæ Romanæ matronæ Scipionis Africani filiæ & Tib. Semproniæ viduæ nuptias ambiret & ad conſortium Regni vocaret, ipſa abnuit atque in viduitate permanſit: Roma igitur abiens in Græciam venit, ibíque ſtrenuorum ad primè militum manum conduxit, inter quos etiam Damaſippum Macedonem aſſumpſit, & quum in oppoſitam Rhodiis continentem, Peræam dicunt, veniſſet, à populo exceptus hoſpitio, Cyprum navigare inſtituit. Plut. in vit. Gracc. Polyb. leg. 115.

Torquatus ceterique Legati, ut vident magnam mercenariorum militum vim ab eo contractam, Patrum mandata in memoriam revocarunt: quibus ſine armis eum reducere jubebantur, tandem perſuaſerunt ei, ut poſtquam Sidam Pamphyliæ uſque, militem mercenarium adduxiſſet, miſſos omnes faceret, & ab adeunda Cypro abſtineret, darétque operam, ut in Cyrenaïcis finibus eum poſſent convenire. Se interim Alexandriam profecturos, & Regis voluntatem ad ea quæ ab ipſo petebantur, inclinaturos. Flexit hæc oratio Ptolemæum juniorem effecítque ut de Cypri occupatione deſperans, conductitium militem dimitteret atque ipſe in Cretam rectà abiret, unà cum Damaſippo & Cn. Merula, uno ex Legatorum numero. Dein quum milites mille in Creta conduxiſſet, inde profectus Libynam venit, & ad Apim portum tenuit.

Torquatus interim & Titus Alexandriam delati, perſuadere conati ſunt Philometori, ut redire in gratiam cum fratre vellet, eíque Cyprum concederet; ſed Ptolemæo quædam pollicente, quædam negligenter audiente, atque hoc modo tempus extrahente, junior fratrum caſtris in Libyna ad Apim poſitis, ut convenerat ægerrimè ferens, nihil ſecum ea de re fuiſſe actum; primò Cn. Merulam Alexandriam miſit, tanquam per hunc & Torquatum, quod cupiebat eſſet effecturus. Sed quum hoc quoque conſilium, eumdem exitum habuiſſet, quem priora: atque ita tempus in longum extraheretur: jámque adeò dies quadraginta præteriiſſent, quum interim nullus nuntius afferretur, de ſumma rerum dubitare cœpit. Advenerat enim ut major fratrum Alexandriæ ſibi conciliaverat miris blanditiis Legatos Romanorum ibíque detinuerat invitos magis quàm volentes. Id. ibid.

Inter Hæc Ptolemæo juniori ſignificatur rebellaſſe Cyrenenſes & civitates cum ipſis conſpiraſſe, conſcium etiam defectionis eſſe Ptolemæum...... genere Ægyptium; quem Rex quum Romam navigationem inſtitueret, univerſo Regno præfecerat. Hæc ubi Evergeti nuntiata, & mox addito, Cyrenenſes ſub ſignis exercitum jam habere, metuens, ne dum imperio Cyprum cupit adjicere, etiam Cyrenen amittat; omnem aliarum rerum curam inſuper habens, relicta Api, ubi portum tenuerat, Cyrenen revertere aggreditur. Ad magnam autem, quam vocant Catabathmon, ut navigavit, locorum anguſtias à Libynis cum Cyrenenſibus reperit occupatas. Philom. 19.

Evergetes hac difficultate ſibi objecta, dimidiam militum partem navibus imponit, & loca anguſta circumnavigare jubet, daréque operam, ut hoſtes nec opinantes ex improviſo invadant: ipſe cum altera parte exercitus à fronte Id. ibid.

 eos

LAGIDAR. an. 163. eos aggreſſus, ſuperare montem conabatur. Libynæ metu perculſi, quòd utrimque peti ſe viderent, ſtationes deſerunt. Ita Evergetes non liberè tantùm adſcenſum potitur, ſed etiam ſubjectan quatuor turriummunitionem, ubi magna erat aquæ copia, in poteſtatem redigit, inde ſeptimis caſtris ſolitudinem emenſus, Cyrenen pervenit.

Id. ibid. Quum manus militum qui ſub Mochyrino erant, maritimo itinere illum comitantibus, Cyrenenſes, illo appropinquante, aciem eduxerunt, pedites ad octo millia, equites ad quingentos. Nam Cyrenenſes, ex iis quæ Evergetes Alexandriæ geſſerat, animadverſa ejus voluntate, quum cernerent nihil Regii, in ejus animo atque adminiſtratione, ſed tyrannicè omnia ab eo adminiſtrari, ut ſua ſponte ſe illi ſubjicerent, inducere in animum non poterant: quin potiùs perpeti omnia ſuſtinebant, priuſquam ſpem libertatis deſererent: itaque inito cum eo prælio, victoriam reportarunt.

Id. leg. 116. Circa idem tempus & Cn. Merula venit Alexandriâ, nuntiavítque Evergeti nihil eorum, quæ à fratre ejus fuerant poſtulata potuiſſe impetrari: quòd diceret pactis eſſe ſtandum quæ facta eſſent ab initio. His auditis Rex Comanum & Ptolemæum fratres Romam Legatos proficiſci jubet cum Cnæo Merula, qui de iniquitate fratris & contemptu erga Populum Rom. cum Senatu agerent. Quibus in itinere etiam T. Torquatus occurrit, & ipſe, re infecta, Alexandria dimiſſus.

Mox ubi Philometor accepit Evergetem Legatos Romam miſiſſe, qui de ſe lamentarentur, protinus Menithyllum Romana Legatione jam ob eaſdem inter fratres contentiones functum, rurſus ad Senatum mittit.

Id. leg. 117. Hi omnes poſtquam in Curiam ſunt ingreſſi, longa inter ipſos altercatione habita, quum alter alterum convitiis laceraſſet; quia Torquatus & Merula ſuo teſtimonio & favore omni ac ſtudio cauſam junioris ſublevabant; decrevit Senatus, ut intra dies quinque Menithyllus urbe excederet, & ut fœdus quod cum Philometore Ptolemæo erat, tolleretur.

Lagid. 164. Philom. 20. Senatus poſtea Legatos decrevit ad juniorem mittendos, qui patrum decretum contra Philometorem Ptolemæo juniori afferrent. Legati lecti ſunt Publius Apuſtius & Caius Lentulus qui extemplo Cyrenen profecti, nuntium eorum quæ geſta fuerant, magna diligentia ad Evergetem pertulerunt. Ille confeſtim nova ſpe inflatus, milites conducere, & animum atque mentem ad conſilia de Cypro occupanda transferre.

Lagid. 165. Philom. 21. Quum Evergetem fratrem Philometorem copiis majoribus inſtructum eſſe noſceret, Cyprum mox aggredi nequit, ſed mercenarios paulatim in omnibus Provinciis circumſcripſit, & in hac Inſula quoſdam ſollicitare cœpit ut in eam faciliùs appelleret & eam ſibi ſubmittere poſſet.

Lagid. 166. Philom. 22. Polyb. leg. 32. Dum Ptolemæus junior res omnes pro Cypri expeditione ordinabat, inſidiis attentatus eſt, in quibus vulneratus fuit, earum ut fratrem eſſe auctorem exiſtimabat, Romam paulò pòſt venit, ut verò ingreſſus eſt in Senatum, Philometorem cœpit accuſare, ſimul vulnerum cicatrices oculis ſpectandas exhibebat: multiſque deinceps verbis rei atrocitatem exaggerans, ad miſerationem ſui flectere animos hominum conabatur. Sed & Philometoris Ptolemæi Legati aderant, Neolaidas & Andromachus; qui ad criminationes omnes fratris reſponderent. Verùm iſtorum Senatus ne admittere quidem ad aures, orationem voluit. Adeo mentes omnium accuſationibus fratris erant occupatæ. His igitur extemplò Roma juſſis faceſſere.

Id. ibid. Senatus poſtea Legatos quinque decrevit, inter quos erant Cn. Merula & L. Thermus, & ſingulis quinqueremes attributæ. Datum iis negotium fuit, ut cùm Juniore Ptolemæo profecti, in Inſulam Cyprum eum reſtituerent, ſcriptum etiam ad ſocios Græcos & Aſiaticos, licere illis Ptolemæum in recuperatione Cypri adjuvare. Quum

Quum Ptolemæus Evergetes Cyprum occupare conaretur, pugna ibi cum Philometore commiſſa, ſuperatus eſt; & quum hic fratrem juniorem in urbe Lapitho obſeſſum & ad extremum compuliſſet, tantùm abfuit, ut ſupplicio captum afficeret, quaſi hoſtem, ei tamen pepercit, tum obrinnatam clementiam ac germanitatis vinculum, tum metu P. Romani. Nec verò veniam duntaxat illi indulſit, ſed fœdus quoque cum eo percuſſit, quo contentum eſſe Cyrenarum Regno illum jubebat, & pro Cypro urbes quaſdam cum certo quotannis frumenti modo conceſſit, ſuámque ei filiam collocaturum promiſit. Itaque bellum inter fratres quum ad maximam animorum alienationem, atque extrema pericula adductum fuiſſet, repentè humaniſſimis conditionibus terminatum eſt.

LAGIDAR. an. 167. Philom. 23. Polyb. & Diod. Except. Valeſ. Zonar. ex. Dion.

Archias ex Philometoris amicis qui eum quum Romam veniſſet à fratre expulſus, fuerat comitatus, poſtea in officii mercedem ab illo Cypri Præfectura donatus erat; Demetrius Syriæ Rex ipſum à Philometore alienatum, quòd forſan in Cypri expeditione Ptolæmeo juniori propenſior viſus fuiſſet, ſollicitavit, ut Inſulam quingentis talentis, quam prodere quum vellet, deprehenſus, & in judicium adductus, funiculo veli, quod Aulæ prætendebatur, ſe ſuſpendit.

Lagid. 168. Philom. 24. Exc. Polyb. pag. 170.

Philometor, ut de Demetrio qui Cyprum ipſi per Archiæ illius Præfecti proditionem eripere tentaverat, vindicare poſſet, Antiochenorum rebellionem primò pecunia fovit, & Heraclidem olim ærario ſub Antiocho Epiphane Præfectum, ſed ex Aula ab eo ejectum ſollicitavit, ut Alcyandrum quendam cognomine Balam, ad Syriæ Regnum tanquam Antiochi Epiphanis filium, repetendum, ſollicitavit.

Lagid. 169. Philom. 25. Juſtin. l. 35.

Heraclides Ptolemæi & Antiochenſium ſuaſu & impenſis Romam, adoleſcentem Rhodi educatum, quem Alexandrum nominarunt, cum Laodice Antiochi Epiphanis filia adduxit, & tandem à Senatu ut reverterentur in patrium Regnum obtinuit.

Lagid. 170. Philom. 26. Polyb. leg. 138.

Ptolemæus qui in Phœnicia urbe Aca quam Philadelphus de ſuo nomine Ptolemaïdem vocaverat; commercium occultum ob id ſemper habuerat, facilè militum mores Demetrii abominantium animos pellexit, ut reciperent Alexandrum Roma redeuntem, ita ut qui urbem præſidio tenebant, ipſi portas aperuerint anno Seleucidarum centeſimo ſexageſimo.

Lagid. 171. Philom. 27.

Demetrius collectis, quas potuit copiis contra Alexandrum profectus eſt, Alexander autem, tam è milite qui in Syria à Demetrio defecerat, quam ex præſidio Ptolemaïdis & ex iis quos Ptolemæus ei clam procuraverat, obviam venit, & commiſſum eſt prælium, Alexandrúmque fugavit Demetrius; ſed quum à plurimis eſſet odioſus, victoriam de illo integram obtinere non potuit.

Lagid. 172. Philom. 28. Juſtin. lib. 35.

Interea Demetrius & Alexander proximos Reges ut ſibi auxilium mitterent, ſollicitarunt, Alexander copioſo exercitu contracto, adjuvante imprimis Ptolemæo Philometore, Attalo Aſiæ, & Ariarathe Cappadociæ Regibus, nec non Jonathane Judæorum Pontifice, contra Demetrium profectus eſt, & caſtris juxta eum admotis, & collatis tandem ſignis, lævo cornu pulſo, Demetrius in dextro pugnans, coactus eſt loco cedere, & reliquis effuſè fugientibus, Rex fortiter decertans occiſus eſt.

Joſeph l. 23. c. 5.

Alexander aſſumpto Syriæ Regno Legatos ad Philometorem filiam ejus nuptam ſibi dari depoſcens miſit, æquum eſſe dicens, ut ſe affinitate dignetur, poſt recuperatum favente Deo paternum imperium, & Demetrium bello devictum. Ptolemæus verò libenter Alexandri poſtulatis admiſſis, ſcripſit & gratulari ſe ei de recepto Regno paterno & filiam collocaturum in matrimonium, juſſitque ut ſibi Ptolemaïdem occurreret, adducturo illò filiam, & ibi celebraturo ejus nuptias, ſubſecutus deinde literas, tempus matrimonii conſtituit.

Lagid. 173. Philom. 29. Id. cap. 7. 1 Maccab. 10.

Exivit

LAGIDAR. an. 173. Iid. ibid. Exivit de Ægypto Ptolemæus cum Cleopatra filia, & venit Ptolemaïdem anno centeſimo ſexageſimo ſecundo (exeunte,) & reperto ibi Alexandro, illam ei conjunxit, addita in dotem auri & argenti ſumma, quanta tàm potentem Regem decuit. Ad has nuptias Jonathas Judæorum Pontifex per litteras ab Alexandro vocatus eſt, qui quum veniſſet ad Reges, ampliſque muneribus utrumque donaſſet. Ab utroque in honore magno eſt habitus.

Lagid. 174. Philom. 30. Joſeph. 1. 13. cap. 6. Onias Pontificis Oziæ filius, qui profugus Alexandriæ degebat apud Ptolemæum Philometorem, ſibi æternam memoriam parare volens, decreverat à Rege & Regina Cleopatra per literas, petere ut ſibi liceret in Ægypto inſtar illius Hieroſolymitano, templum conſtruere & in eo Levitas & Sacerdotes ex ſuo genere conſtituere; in literis autem ſignificaverat, dum bello illis in vanis Regionibus operam navaret, animadvertiſſe apud Cœleſyriam & Phœnicen & Leontopolim in Ægypti Præfectura Heliopolitana, aliiſque in locis Judæos præter decorum habere templa; & ideò malè inter eos convenire, rogare igitur ut templum quod apud caſtrum aggreſtis Bubaſtis invenit, nulli ſacratum Numini, jamque collapſum repurgare & aliud loco ejus Deo maximo ædificare pro ſalute ſua & Reginæ atque liberorum ſuorum, ut Judæi qui Ægyptum incolunt, illuc convenientes quo magis alerent mutuam concordiam & eo uſibus ſuis fierent accommodatiores. Nam & Iſaiam prædixiſſe quod erit Domino Deo altare in Ægypto & alia multa ceciniſſe.

Id. ibid. Impetrato à Regibus Ptolemæo & Cleopatra loco, Onias templum illud aggreſtis Bubaſtis deſtruxit & novum ad Hieroſolymitani ſimilitudinem ædificavit, ſed minùs & non peræquè opulentum. Nec defuerunt Oniæ ſimiles illius Levitæ Sacerdotes, qui illic divinum cultum frequentarent & inſtaurarent Ceremonias.

Id. ibid. Apud Alexandriam inter Judæos & Samaritas, ſeditio eſt exorta de ſacris ipſorum, quæ ad Regis cognitionem pervenit; Judæi contendebant juxta Moſis præſcripta Hieroſolymitanum templum eſſe legitimum, Samaritæ verò Garizitanum. Provocatum eſt ad Regem & amicorum ejus conſeſſum, ut ab his cauſa audiretur, & utrius partis Cauſidici ſuccumberent, morte mulctarentur. Patrocinabatur Samaritis Sabbæus cum Theodoſio, Judæis Andronicus Meſſalami F. juraveruntque per Deum & Regem, quòd ex lege probationes eſſent allaturi & Regem rogaverunt ut necaret eum qui jusjurandum non ſervaſſe deprehenderetur. Rex multis amicis in conſilium adhibitis cauſam audivit, & Andronici rationibus perſuaſus, Hieroſolymitanum eſſe ex ſententia Moſis fuiſſe pronuntiavit, Sabbæum verò & Theodoſium addixit ſupplicio

Clem. Alex. lib. 1. Strom. Ariſtobulus Judæus ex Peripateticorum diſciplina ſub Ptolemæo Philometore tùm claruit, & ad eundem Regem explanationum ſuprà libris Moſis commentarios dedicavit.

Seleuc. Hiſt. pag. 281. Natus eſt Alexandro qui Theopatoris cognomen acceperat, filius ex Cleopatra Philometoris filia, cujus numiſmata ſub appellatione ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΘΕΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ, ſunt exhibita; quum ea ſpectent ad Antiochum quintum & noviſſimum Antiochi Epiphanis & Tryphænæ filium, à Joſepho Dionyſium appellatum, cujus autoritate deluſi fuimus & cujus ſex nummi poſt illius vitam à nobis deſcripti, ad Antiochum Alexandri filium pertinent, qui cognominatur ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΑΝΤΙΟΧΟΣ ΕΠΙΦΑΝΗΣ ΔΙΟΝΥΣΟΣ, ut ex nummo argenteo recenter à nobis reperto, cum literis numeralibus ΗΞΡ. id eſt anno 168. obſervatum eſt. Quod confirmat galea in ultimo Dionyſi, ut in Tryphonis illius tutoris nummo exarata.

ibid. pag. 382. & ſeq.

Lagid. 175. Philom. 31. Ptolemæus per Cleopatram filiam aut per amicos, Alexandrum generum ſuum

LAGIDAR. an. 176. Liv. Dec. 6. epit. l. 3. Joſeph. l. 13. cap. 8.

ſuum in ganeo & luſtris ſocorditer jacere, & Ammonio ejus amico Regni adminiſtrationem commiſſiſſe; per quem & amici omnes Regis & Laodice Regina Antiochi Epiphanis filia, & Antigonus Demetrii filius, ſunt occiſi.

Philom. 32. Joſeph. 100. Juſtin. l. 35.

Alexander ut audivit Demetrium Demetrii Soteris filium annos pubertatis egreſſum, in Ciliciam è Creta cum mercenario milite trajectum, anno Seleucidarum 165. deinde Apollonii Davi opera Cœleſyriam ingreſſum ad Philometorem Socerum miſit ut vellet ipſi copias auxiliares ſuppeditare, mox ad circumſcribendos milites ſe accinxit, & rei navali operam dedit, ut præſto eſſet claſſis parata.

Lagid. 177. Philom. 33. 1 Maccab. 11. Joſeph. 16.

Philometor ex Ægypto cum navalibus & terreſtribus copiis venit Alexandro genero laturus auxilium, alacriter excipientibus ejus juſſu civitatibus uſque ad Azotum, ubi obtundebatur quærimoniis Dagonis templi incendium, accuſabántque populariter Jonathanem autorem ejus injuriæ qui & agros eorum vaſtaſſet ferro & flammis & plurimos civium dediſſet exitio. Ptolemæo penè diſſimulanter eorum querimonias audiente, Jonathas verò apud Joppen ei occurrit, exceptus & muneribus & omni honoris genere: deinde quum uſque Eleutherum fluvium deduxiſſet Regem, Hieroſolyma reverſus eſt.

Iid. ibid.

Quum autem Ptolemæus civitates ingrederetur, in omnibus militum cuſtodias ponebat, ob id videtur appetitus Ammonii inſidiis, poſtquam enim Ptolemaïdem pervenit, minimum abfuit quin oppreſſus ſit Philometor Ammonii artibus: quibus detectis, ſcripſit Alexandro, depoſcens Ammonium ad ſupplicium, quod meritum aiebat, propter ſtructas ſibi inſidias, qui quum non dederetur, ipſum Alexandrum earum fuiſſe auctorem intellexit, & magno illum odio proſequi cœpit. Poſtea Ptolemæus civitatum Dominum uſque Seleuciam maritimam obtinuit.

Iid. ibid.

Philometor affinitatis Alexandri pœnitens, & quòd ipſi vitam eripere tentaſſet, & quum eſſet luxuria & ſocordia homo perditus, abſtracta à marito filia Cleopatra quæ ipſi occurrerat, mox ad Demetrium mittit Legatos de ſocietate & amicitia, ut data ipſi in matrimonium filia, paternum Regnum ei reſtitueret. At ille & amicitiam ejus & oblatam conjugem perlibenter amplexus eſt, quòd ubi reſcivit Alexander filium apud Rabilum Arabem quem (alii Zabilum vocant) male, z. pro r. accipientes uno puncto apud gentem illam inter ſe differentem, depoſuit, & protinùs in Ciliciam abiit.

Joſeph. Ibid.

Antiochiam venit Philometor, & Antiocheni propter Ammonium à quo plurimis affecti fuerant incommodis, Alexandrum ob quorumdam rebellionem in Ciliciam profectum deſeruere; Amnio autem quærens latebras, cæſus eſt; Ptolemæus autem urbem ingreſſus à civibus Rex conſalutatus eſt, & ab exercitu coactus eſt duo ſibi imponere diademata, alterum Aſiæ, Ægypti verò alterum: ſed quum eſſet natura juſtus & nimiæ potentiæ minimè cupidus, adhæc prudens & qui nollet Romanis invidioſus eſſe, contentum ſe Ægypti imperio affirmavit.

Lagid. 178. Philom. 34. Id. ibid.

Unus Ptolemæus reliquus erat labor, ut Antiochenis perſuaderet Demetrium pro Rege recipere, alienatis ab eo animis propter injurias à patre acceptas, advocata tandem civium & militum concione perſuaſit eis ut Demetrium pro Rege reciperent, pollicitus eum majorem rationem habiturum recentis eorum beneficiorum quàm odiorum quæ illis cum patre ejus interceſſerant, ſe quoque affirmavit monſtratorem ei fore vitæ rectè inſtituendæ & adminiſtrandæ Reipublicæ, nec paſſurum quicquam tentare, quod non deceat.

Juſtin. l. 35. c. 2. 1 Maccab. 11.

Antiocheni veterem patris offenſam novis meritis correcturi, ſe ei tradunt, & milites paterni, favore juvenis accenſi prioris ſacramenti religionem novi Regis ſuperbiæ præferentes, ſigna ad Demetrium transferunt, & ſic regnavit Demetrius anno 167. Seleucidarum.

LAGIDAR. an. 178. Alexander valido è Cilicia exercitu ducto, quum Syriam & Antiochenum agrum vaſtaret rapinis atque incendiis, occurrit ei Philometor cum novo genero Demetrio, collatíſque ſignis ad Oenoparam fluvium victus eſt Alexander. Strab. l. 15. pag. 751. Fortè accidit in eo prælio ut equus Ptolemæi conſternatus barritu Elephanti eum excuteret, proſtratúmque aggreſſi hoſtes vulneribus in caput inflictis in periculum extremum adducerent, ni ereptus eſſet interventu ſatellitum, attamen per integrum quatriduum ſopitis ſenſibus, nec loqui potuit, nec loquentes intelligere.

1. Macc. 11. E pugna elapſus Alexander cum quingentis ſuorum in Arabiam ad Rhabilum, apud quem filium depoſuerat, ſe recepit, ſed à ſuis traditus, eſt occiſus, & Arabiæ Dynaſta reciſum ejus caput ad Philometorem miſit, qui ad ſe reverſus, jucundiſſimo ſibi rumore, ſimul & ſpectaculo capitis & mortis pavit animum & oculos: nec ita multò pòſt exhilaratus gaudio percepto ex inimici interitu, tertio inter curationem die, dum oſſa Medici terebrare contendunt expiravit.

Ptolemæus obiit anno Regni 34. completo ut videtur ſi quidem autores illi Valeſ. ann. in exc. Polyb. pag. 33. 35. tribnunt quod de incœpto intelligendum eſt. Deceſſit autem Olymp. 158. an. 3. quo anno Polybius hiſtoriam ſuam terminaverat. Reliquit filium Ptolemæum teneræ ætatis & duas filias nomine Cleopatras, unam nempe avunculo Evergeti nuptam, & alteram Alexandro primùm, & deinde Demetrio Nicatori.

Polyb. exc. Ibid. exc. Vir ut quidam ſentiunt maxima laude dignus, quamvis alii ſecus exiſtiment. In adoleſcentia illi in bello exprobratur ignavia, animi penitus effœminati natura & mollities, ſed poſtea ex iis quæ geſſit, ſatis apparuit ejus conſtantia atque induſtria in agendo nemini inferior, illius ignaviæ cauſa ſpadonis Eulæi nutritioni tributa eſt, nam eum in deliciis & muliebribus inſtitutis à puero educaverat.

Joſeph. ant. lib. 13. c. 8. Juſtus habebatur & nimiæ potentiæ minimè cupidus, prudens, ſed imprimis clemens & benignus, ſi quis unquam ſuperiori memoria Rex certè fuit, cujus rei argumenta ſuperſunt certiſſima. Polyb. exc. pag. 196. Qui primùm neminem ex amicorum numero ullam ob cauſam occidit, nullus civis Alexandrinus ab eo eſt interfectus.

Ibid. Quum autem à fratre Alexandria compulſus eſſe videretur, primò Alexandriæ ulciſcendi illius oportunitatem nactus, culpam ei condonavit. Poſtea verò quum idem Cyprum occupare molitus eſſet, captum non ut hoſtem Excerpt. ex Diodor. pag. 353. ſed tanquam fratrem beneficiis affectum dimiſit. Sed inter eos morum comparatio non admitti potuit, quum Philometor eximia manſuetudine & frater ejus ſumma ſævitia eſſet prædītus.

Verùm enim verò Philometor Rebus ſecundis lætíſque ſucceſſibus vigorem animi remittebat, & quædam quaſi luxuria ac mollities Ægyptiaca in eo inerat: quam ob cauſam ſæpè numero in magnum diſcrimen eſt adductus.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput Regis diademate inſignitum : ex altera parte Aquila inſiſtens fulmini cum palmæ ramo intra alam dextram inſerto & epigraphe duplici circulo ornata ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΘΕΟΥ ΦΙΛΟΜΕΤΟΡΟΣ. In area à ſiniſtris, ΟΠΠ. ΟΠΠοναίων; inter pedes Aquilæ ΙΔ. & litera ר inverſa, id eſt Λυκάβαντος, anno 16.

Si Ptolemæi omnes cognomina ſua in nummis ſignaſſent ut hic ordine ſextus, Philometoris appellationem exhibuit, magnam ſanè lucem in diſcernendis Ægypti Regum vultibus nobis afferrent, ſed ille eſt ſolus poſt Ptolemæum Lagi filium quem nummi appellant Soterem, qui Philometoris cognomen in ipſis appoſuit, porrò non mediocrem in aliis dignoſcendis notionem attulit; ſi quidem in anteceſſoribus ejus exhibendis, ſatis feciſſe putamus, & ſic medio itinere confecto, illius ſucceſſorum imagines vobis exponere ſperamus.

Nummum hunc tanti facimus ut viginti aureis coronatis eum emere non dubitaverimus, idémque pretium promittimus Antiquariis qui nobis alium Ptolemæum Regem tetradrachmalem argenteum, cum quodam cognomine, his exceptis, ſuppeditabunt, ut illorum Principum ſeriem magis ac magis illuſtrare deinceps poſſimus.

Non mireris veſanam ΘΕΟΥ in Philometore Rege appellationem, Antiochus enim Epiphanes Syriæ Rex, ejus avunculus, illam primus uſurpare in nummis ſuis auſus fuerat. Antiochus verò tertius, Deus à Mileſiis quidem appellatus fuerat, ſed cognomine tantùm contentus, illud in nummis adhibuiſſe non obſervavimus. Regibus autem Ægyptiis ante Philometorem Dei nomenclatio poſt mortem tanquam conſecratis in nummis & inſcriptionibus attributa eſt, Ptolemæus Lagi filius & Berenice ejus uxor, ΘΕΟΙ ΣΩΤΗΡΕΣ appellati ſunt, & Ptolemæus Philadelphus & Arſinoe ejus ſoror & uxor vocati ſunt ΘΕΟΙ ΑΔΕΛΦΟΙ. Plin. lib. 36. in turri Pharo. Marm. Adul.

Sed inſolens illa Dei nomenclatiò non modò ab Antiocho Epiphane, ad Ptolemæum Philometorem tranſiit ſed Demetrius Soter Seleuci filius per matrem illius cognatus, eam in Syria eodem tempore regnans, ſibi etiam vindicavit. Pauci tamen Ægypti Reges quamvis ambitioſi, eam uſurparunt, ita ut à populis illam iis datam potiùs crediderimus, unde vox iſta manifeſti & apparentis Numinis ſymbolum videatur, quum à Rege beneficia quædam accipiebant.

Litera ר. Λυκάβαντος ſonans, in plurimus Imperatorum Romanorum nummis, inverſam ר ut in hoc apparet, obſervavimus an ſit monetariorum incuria, aut ignorantia, ſatis incertum : literæ verò numerales ΙΔ. annum deſignant decimum ſextum Philometoris imperii, quo tempore regnabat cum fratre Evergete, ut in ejus vita notavi : unde nobis dubitandi locus? an populi

puli Philometorem à fratre juniore diſtinguere cupientes, illum peculiari, ſed ſuperba Dei nomenclatione inſignierint, quum ipſe præſertim manſuetus & benignus eſſet, & frater moribus aſper.

Nobis literæ ΟΠΠ. initiales exponendæ ſuperſunt, & ut verùm fateamur nobis prima fronte Monetarii monogramma videbatur deſignare, præſertim quum nulla Ægypti urbs memorabilis ab iis inchoaret, & ſi aliquis in hac opinione permaneat, & primas ΟΠΠ. id eſt ΟΠΠιανῶ literas eſſe ſuſtineat, nec nos refragantes habebit.

Sed quum ex nummis Imperatorum Romanorum urbes Ægypti per initiales literas nomen ſuum exprimere didicimus, hunc morem ex Regibus Ptolemæis illum forſan deſumpſiſſe ſuſpicati fuimus: ideo illas hactenus iis tribuere ſolemus: itaque primas, ΟΠΠ. interpretari lubet Οπποναίων, ab *Opponæis.* Οπώνη vel Οππώνη, ſed huic favet nummus, conſtituitur à Ptolemæo Geographo in Æthiopia, quæ Ægypto parebat, in Azania ſcilicet Regione, Oppone erat Emporium celebre. Reclamant verò Antiquarii ex urbe tam remota quare nummum revocas.

Diſcant Ptolemæos Reges poſt Æthiopiam ſibi vindicatam & loca mari rubro adjacentia, ex his Regionibus plurima ad vitam neceſſaria & commoda in Ægyptum fuiſſe aſportata: unde permulta à Geographo notantur Emporia, in quibus dubium non eſt quin monetarum officinæ à Regibus ſint ſtabilitæ ad negotia mercatorum, in iis præſertim locis ubi plurimæ erant argenti, imo & auri fodinæ, ex quibus moneta etiam pro theſauro Regio ſignabatur, ut hodie pro Hiſpanis in plurimis Americæ partibus obſervatur, quæ in eorum Regnis & exteris regionibus diſtribuitur.

Pto-

PTOLEMÆVS EVERGETES.II.
REX ÆGYPTI.VII.



Ap D Vaillant.D.med.
ex num. arg. tetradr.

PTolemæus ſeptimus Epiphanis filius, Philometoris frater non hereditario jure, ſed nepotis cæde cruentus, Ægypti Regnum invaſit; ille enim quum Cyrenis regnaret, audita Ptolemæi fratris in Syria morte, ipſius imperio inhians, Alexandriam ad tutelam nepotis petendam miſit, quæ poſtquam à Cleopatra & ab Aulæ Primatibus illi denegaretur, ingentes comparavit copias, móxque Onias ex Heliopolitana Præfectura, qui templum ibi permiſſu ejus patris extruxerat, pro Regina adverſus illum, ſuſcepit bellum, & fidem quam habuit circa Reges, nequaquam in neceſſitate deſeruit: itaque ad urbem deduxit exercitum parvum, quum eſſet illic Thermus præſens Romanorum Legatus. Lagid. 179. Everg. II. 1. Joseph. lib. 1. cont. Apion. pagin. 1064.

Copiis igitur è Cyrenaïco Regno adductis Ptolemæus Ægyptum ingreditur, Alexandriámque obſidione cingit; ſed res per Legatos conciliata eſt, ut ille Reginæ nuberet & nepotis tutelam ageret. Lætus hoc ſolo, quòd ſine certamine fraternum Regnum accepiſſet, in quod ſubornari & à matre Cleopatra & favore Principum, fratris filium cognoverat. Juſtin. l. 38.

Ceterùm infeſtus omnibus, ſtatim ubi Alexandriam intravit, fautores pueri trucidari juſſit. Ipſum quoque die nuptiarum, quibus matrem ejus in matrimonium recipiebat, inter apparatus epularum & ſolemnia religionum, in complexu matris interficit; atque ita torum ſororis, cæde filii cruentus aſcendit. Id. ibid.

Non mitior poſtea in populares, qui eum in Regnum vocaverant: ſi Ibid.

LAGIDAR an. 179. Diod. exc. pag. 350.

quidem peregrinis militibus, licentia cædis data, omnia ſanguine quotidie manabant; multos enim calumniatus, tanquam ſaluti ſuæ inſidiatos crudelibus ſuppliciis extinxit; alios varias commentus cauſas in exilium miſit, ademptis facultatibus. Quas ob res brevi indignationem atque odium Subditorum omnium ſibi conciliavit.

Joſeph. l. 13. c. 8.

Demetrius Syriæ Regno potitus, quum pravo ingenio præditus eſſet, Ptolemæi milites malè mulctabat, oblitus & auxilii & affinitatis, quæ per Cleopatræ nuptias, recens interceſſerat. Illi verò peroſi hominis ingratitudinem receperunt ſe Alexandriam, Elephantis tamen in ejus poteſtatem relictis: interea Demetrius pacatam exiſtimans ditionem, veteranos milites dimiſit, inter quos Tryphon Antiochum, quem ſuprà Dionyſum nuncupavimus, ex Arabia à Rhabilo acceptum, in Syriam deduxit, ubi ille Rex appellatur anno Seleucidarum 168. ut patet ex ejus nummis ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΔΙΟΝΥΣΟΥ. ΗΞΡ.

Lagid. 180. Everg. 11. 2. Diod. exc. pag. 351. Ath. lib. 4. c. 25.

Ptolemæus qui Evergetis nomen ſibi aſciverat, quum per ſcelera & ſtrages Regnum ſtabiliret, ab Alexandrinis vulgò Cacergetes vocabatur, ſumma enim ſævitia præditus erat; proinde vulgus avidum rerum novarum, opportunum defectionis tempus cupidè expectabat.

Lagid. 181. Everg. 11. 3. 1. Macc. 12. Liv. Epit. lib. 55.

Tryphon Antiochi Dionyſi tutor quum ſtatuiſſet pupilli ſui Regnum occupare, Jonathanem Judæorum Pontificem qui illius partes ſequebatur, primùm inſidiis occidit, deinde corruptis Medicis, qui ipſum calculi dolore conſumi ad populum mentiti ſunt, eum fraude interfecit, & Syriæ Regnum invaſit.

Diod. exc. pag. 355.

Quo tempore Ptolemæus ex ſolenni Ægyptiorum more apud urbem Memphim in Palatio augurabatur, natus eſt ei filius ex Regina Cleopatra, qua re ſupra modum exhilaratus, puerum nominavit Memphitem, quòd ſibi in urbe Memphi ſolenne ſacrum peragenti natus eſſet.

Lagid. 182. Everg. 11. 4. Id. ibid.

Porrò dum natalitia filii ſui celebrat Evergetes à ſolita crudelitate nequaquam deſciſcens, Cyrenæos quoſdam, qui eum in Ægyptum deduxerant, interfici juſſit, quòd paulò liberiùs ob Irenem pellicem, ipſum objurgaſſent.

Lagid. 183. Everg. 11. 5. Joſeph. l. 13.

Quum in Tryphonis gratiam civitates Syriæ quotidie deficerent, Demetrius à ſuperioribus Provinciis vocatus contra Arſacem cum exercitu profectus eſt.

Lagid. 184. Everg. 11. 6. Diod. exc. pag. 361.

Interim Ptolemæus ob crudelitatem atque ob fœdas libidines ac deformem corporis habitum, (unde & Phyſcon cognominatus eſt,) cunctis erat inviſus. At Præfectus Hierax quum & rei bellicæ ſcientiſſimus & in congreſſibus admodum popularis, ac præterea eximia animi magnitudine eſſet, Ptolemæi Imperium ſuſtinuit. Nam quum Ptolemæus pecuniæ inopia premeretur, militéſque ſtipendiis fraudati deficere ad Galæſtem parati eſſent, ipſe ex ſua pecunia numerato militibus ſtipendio ſeditionem pacavit.

Lagid. 185. Everg. 11. 7.

Ægyptii prorſus Ptolemæum deſpiciebant, quum eum viderent & in ſermonibus puerilem, & effuſum in fœdiſſimas libidines & ob intemperantiam effœminato corpore eſſe.

1. Macc. 15.

Legati Judæorum à Simone Pontifice Roma reduces literas à Senatu ad Ptolemæum ſcriptas Alexandriam tulerunt, Lucius Conſul Regi mandabat ut nihil in Judæos intentaret mali, neque auxilium ferret pugnantibus adverſus eos, & ſi quando transfugæ ad eum venirent, Simoni Pontifici illos traderet, ſecundùm patriam legem puniendos.

Antiochus cognomine Evergetes Demetrii Nicatoris frater, in Syriæ Regnum contra Tryphonem uſurpatorem à populis & à Cleopatra Ptolemæi nepte, ab illius uxore appellatus eſt, quòd Rhodogunen Arſacis filiam matrimonio ſibi copulaſſet, indignata.

Tryphon

Tryphon tandem ab Antiocho ex plurimis urbibus expulſus, ab eo interfectus eſt.

LAGIDAR an. 156 Everg. 11. 8.

Ptolemæus jugulatis plurimis Alexandriæ civibus & non paucis eorum, qui cum ipſius fratre Philometore pubeſcentes adoleverant, actis in exilium, quaſi non ampliùs criminum ſuorum teſtes haberet, Cleopatræ junioris ſororis & uxoris filiæ amore captus, eam per vim ſtuprat, matrémque ejus Cleopatram majorem Philometoris fratris ſui viduam quam uxorem duxerat, ipſe repudiat, & neptem pro legitima conſorte accipit.

Lagid. 187. Everg. 11. 9. Athen. l. 4. c. 25. Juſtin. lib. 38.

Tot rebus perverſis territus populus Alexandrinus gregatim in diverſa labitur, patriámque metu mortis exul deſerit. Solus igitur in tanta urbe cum ſuis relictus, quum ſe Regem non hominum, ſed vacuarum ædium videret, edicto peregrinos ſollicitavit.

Lagid. 188. Everg. 11. Id. ibid.

Peregrinis edicto Ptolemæi Alexandriam confluentibus, Legati Romanorum, P. Scipio Æmilianus (paulò antè conſulatum II.) Spur. Mummius & L. Metellus à Senatu ad inſpicienda ſociorum Regna & urbes miſſi appulerunt: ubi quum Scipio navi egreſſus capite, veſte cooperto procederet, illum curſitantes Alexandrini rogaverunt ut retegeret faciem, deſiderióque ejus videndi captis ſpectandam præberet, vocémque & plauſum, eo impetrato, ſuſtulerunt.

Lagid. 189. Everg. 11. 11. Id. ibid. Cicer. in ſom. Scipion. Plutar. in Apoth.

Ptolemæus autem Romanis tam ridiculus fuit quàm cruentus civibus. Erat enim & vultu deformis & ſtatura brevis & ſagina ventris non homini ſed belluæ ſimilis: nam ob luxurioſam vitam & delicatiorem, ventris ut ſtaturæ totiùs craſſa moles turgebat, quam vix ulnis fuiſſet complexus aliquis, inerti corpore & langueſcente, quo ad talos uſque, demiſſa tunicula veſtiebatur, manicis ad palmas protenſis, quam fœditatem augebat nimia iſtius perlucidæ veſtis ſubtilitas, prorſus quaſi aſtu inſpicienda præberentur, quæ omni ſtudio occultanda pudibundo viro erant.

Juſtin. l. 38. c. 8. Athen. l. 12. c. 12. Juſtin. ibid.

Pedibus nunquam ille è Regia prodibat, ſed perpetuo ſcipione ſubnixus, qua de cauſa Rex Legatorum, ambulationem, quum ægrè magno niſu æquaret, Scipio Panætio in aurem inſuſurravit. Jam nunc Alexandrini fructum noſtræ peregrinationis cœperunt, qui propter nos Regem viderunt deambulantem. Unum omninò ea in legatione habuit Scipio de amicis Panætium & ſervos quinque.

Plut. ut ſup.

Rex opulentis conviviis Legatos excepit, & circumducens oſtendit eis cum Palatio tum reliquam Regiam, Gazam illi autem virtute præſtantes, cibis quidem modicis & ad ſanitatem conducentibus uſi, opulentum illum apparatum, ut qui animum ſimul & corpus corrumperet, contemnebant: obiter verò & quaſi nullius pretii eſſent, intuentes ea quæ à Rege in adminiſtratione habebantur. Quæ conſideratione ſua erant, accuratè obſervabant: urbis ſitum & amplitudinem, & quæ circa Pharum erant peculiaria.

Diodor. leg. 32.

Memphim deinde navigantes, Regionis bonitatem, Nili opportunitates, urbium multitudinem, infinitas incolarum Myriadas, Ægypti munitionem, totámque Regionis excellentiam, quàm benè ea eſſet, ad Imperii ſecuritatem & magnitudinem comparata, conſiderabant. Mirati denique Ægyptum incolentium multitudinem, & locorum commoditates, maximum in eo imperium conſtitui poſſe cenſebant, ſi idoneos Dominos Regnum illud nactum fuiſſet. Deinde rebus Ægypti luſtratis in Cyprum atque inde in Syriam ſunt profecti Legati.

Id. ibid.

Ptolemæus ut civibus & incolis Regnum ſuum denuò frequentaret, Alexandriam, & urbes, Inſulâſque replevit Grammaticis, Philoſophis, Geometris, Muſicis, puerorum Magiſtris, Pictoribus & Medicis, & aliis multis artificibus, qui ob inopiam ea docentes quæ ſcirent, omni humanitate præ-

Lagid. 190. Everg. 11. 12. Athen. l. 4. c. 25.

LAGIDAR. an. 190. Lagid. 191. Everg. 11. 13. Tertull. Athen. l. 12. Id. lib. 2.

claros viros expoliverunt: nam hoc modo renovatæ ſunt omnes diſciplinæ quæ ſenſim defecerant ob continuos bellorum motus, quæ Alexandri ſucceſſorum temporibus exarſerunt. Ipſe autem erat in omni hiſtoria verſatus & Ariſtarchum Grammaticum habuerat præceptorem, appellatus eſt ideò Philologus, & libros Hiſtoriarum ſcripſit 24. & aliquem de Homero commentarium compoſuit. Panareto Archeſilai Auditori annuam mercedem talentorum duodecim conſtituit. Cum Eudoxo Cyziceno, homine admiratione, quæ ſingulis propria ſunt, prædito, maximè de ſurſum navigando, ſtilo, ſermonem habuit.

Lagid. 192. Everg. 11. 14. Galen. in 3. Hipp. comm. de m. vulg.

Tanto fuit Ptolemæo erga libros ſtudio, ut omnium in urbem appellentium codices deferri juberet ad ſe, quos relatos in novas chartas Dominis deſcriptos daret, ſi non venderent; quos autem pretio habebat, in bibliothecas reponeret. Ex navibus acceptorum inter eos ferunt repertum tertium librum vulgarium morborum titulo inſignitum: cujus verò ſtudii ad veterum libros comparandos fuerit ille Rex, magnum eſſe argumentum aiunt, rationem, quam habebat cum Athenienſibus, qui quindecim pigneratis argenti talentis, Sophoclis ab eis accepit, & Eurypidis, Æſchyliſque libros, ut eos deſcriberet, & mox ſartos tectos reſtitueret.

Hieron. in ep. 115.

Jeſus filius Sirach Hieroſolymitanus in Ægyptum venit, ibíque commoratus, librum avi ſui Jeſu, Græcis *Panareton* & *Eccleſiaſticum* dictum, ex Hebræo ſermone in Græcum tranſtulit, ut ipſe verſionis ſuæ Prologo indicat.

Lagid 193 Everg. 11. 15. Val. Max. lib. 9. cap. 2. Spart. in Carac.

Ptolemæus quum etiam peregrinæ genti eſſet moleſtus & animadverteret, quanto ſuo odio Patria teneretur, timori remedium ſcelere petivit, quóque tutius plebe trucidata regnaret, populum in Gymnaſium convocavit, quem armis & igne necavit: legi etiam validos ad militiam præcepit, eos autem, quos legerat, occidit.

Lagid. 194. Everg. 11. 16. Diod. exc. pag. 350. Liv. Epit. Dec. 6. lib. 9.

Poſtquam Evergetes quum annos 15. regnaſſet, ob nimiam crudelitatem, ſuis inviſus, incenſa Alexandriæ à populo Regia, clam in Cyprum cum Cleopatra nepte & tunc uxore profugit, ſed ne Alexandrini Cyrenis arceſſerent filium maximum Memphitem, ut contra ſe Regem appellarent, illum in Inſulam deportari curavit.

Juſtin. l. 38. c. 8. Val. Max. l. 9. c. 2.

Alexandrini poſt Regis Ptolemæi diſceſſum, Cleopatræ majori ejus uxori & ſorori, quam repudiaverat, Regnum dederunt, illiúſque ſtatuas & imagines detraxerunt. Quod quum accepit, id factum ſtudio ſororis exiſtimans, filium Memphitem, quem ex ea ſuſceperat, liberalis formæ & optimæ ſpei puerum in conſpectu ſuo occidi juſſit, corpúſque in membra diviſum & in ciſta compoſitum ſatelliti tradidit Alexandriam portandum: quumque Natalis Cleopatræ appropinquaret, mandavit eidem ſatelliti, ut nocte quæ Natalem antecedebat ciſtam in veſtibulo Regiæ deponeret.

Juſtin. ibid.

Quo ut juſſum erat peracto, res non Reginæ tantùm, verùm etiam univerſæ civitati, acerba & luctuoſa fuit, tantúmque mœrorem feſtiſſimo convivio intulit, ut Regia omnis repentino luctu incenderetur. Verſo igitur ſtudio Principum ab epulis in exſequias, membra lacera populo oſtendunt, & quid ſperare de Rege ſuo debeant, filii cæde demonſtrant.

Appian. Syr.

Antiochus Evergetes Syriæ Rex qui Cleopatram Philometoris filiam majorem matrimonio ſibi copulaverat, Demetrio ejus marito vivente ſed in Parthia detento, dum fratrem è carceribus Arſacis liberare tentat, occiſus eſt anno Seleucidarum 183. & Demetrius frater in Regnum Syriæ, ab Arſace

Ex num.

forte fortuna liberatus, revertitur.

Ptolemæus contracto in Inſula Cypro exercitu bellum ſorori ac patriæ intulit, & Cleopatra Ægypti Regni ab Alexandrinis declarata Regina finito orbitatis luctu quum urgeri ſe fraterno bello videret auxilium à Demetrio genero

nero ex longa Parthorum captivitate nuper reduce, per Legatos petiit, ipſa LAGIDAR.
Ægypti Regnum, auxilii pretium, adverſus fratrem, olim maritum ſuum an. 194.
pollicente.

Marſyas ab Alexandrinis exercitui Cleopatræ Præfectus contra Ptolemæi Lagid. 195.
copias progreditur, prælium itaque committitur, & Hegelochus Regis Everg. 11.
Dux Marſyam vivum cepit, copiáſque ejus internecione delevit. Porrò 17. Diod. exc.
adducto in conſpectum Regis Marſya, qunm cuncti acerbiſſimis ſuppliciis pag. 377.
eum protinns affectum iri crederent, Ptolemæus præter ſpem illi pepercit.
Jam enim præteritæ crudelitatis pœnitere eum cœperat, & infenſum ſibi
vulgus conciliare hnjuſmodi clementibus factis cupiebat.

Antiochenſes Demetrii execrantes ſuperbiam, qnæ converſione Parthica Joſeph. lib.
intolerabilis facta erat ad Ptolemæum miſerunt rogantes ut aliquem ex Se- 13. c. 17.
leuci genere iis daret, qnem poſſent Regem ſibi conſtituere.

Demetrius Ægypti potiundæ ſpe illectus copias contraxerat & in illam Juſtin. l. 39.
advenit, primóque Peluſium oppugnat: ſed mox audita Antiochenſium c. 1.
rebellione ceterarúmqne urbium defectione Peluſii obſidionem relinquit,
& dum aliena affectat, propria ſuorum motibus amittit.

Cleopatra autem quum ſe Demetrii generi auxilio orbatam vidit, opibus Id. ibid.
Ægypti navibus impoſitis ad filiam Cleopatram in Syriam perfugit.

Ptolemæus Alexandria recipitur & quòd bello à Demetrio petitus fuiſſet Athen. l. 5.
Syriis immittit juvenem quendam Ægyptium, Protarchi negotiatoris filium c. 13.
qui Regnum Syriæ armis peteret, & compoſita fabula, quaſi per adoptio-
nem Antiochi Epiphanis Regis receptus in familiam eſſet, nec Syriis quem-
que Regem aſpernantibus, ne Demetrii paterentur ſuperbiam. Nomen ju-
veni Alexandri imponitur quaſi eſſet Alexandri Theopatoris frater, auxiliáque
ab Ægypto ingentia mittuntur. Alexander autem Antiochiam pervenit, Hiſt. Seleu.
Rexque acclamatur anno Seleucidarum 184.

Dum res in Ægypto tranquillæ & pacatæ manent, Demetrius & Alexan- Lagid. 196.
der de Syriæ Regno acriter inter ſe contendunt, Ptolemæo & rebellibus Everg. 11.
hnnc ſemper foventibus, ideò ejus partibus plurimæ urbes quotidie defi- 18. Juſtin. ut
ciunt. ſup.

Prælium tandem inter Regni Syriæ contendentes circa Damaſcum com- Lagid. 197.
miſſum eſt in quo Demetrius ab Alexandro victus eſt, & è pugna fugiens Pto- Everg. 11.
lemaïdem ad Cleopatram uxorem, ſed ab uxore & filiis ea excluſus, quum 19.
Tyrum religione templi ſe defenſurus adit, è navi deſcendens Cleopatræ ar- Porphyr. in Græc. Euſ.
tibus occiditur, quatuor poſt reditum è Parthia in Regnum annis exactis in-
terficitur.

Cleopatra Syriæ Regina trium Regum uxor, tandem vidua, ingenti do- Lagid. 198.
minationis cupiditate laborans, pro filiis populos & milites ad rebellionem Everg. 11.
contra Alexandrum ſollicitare cœpit, ſed ut nomen Regis penes eos, jns 20. Juſtin. l. 39.
autem imperii penes ipſam eſſet. c. 2.

Quum autem in vanum laboraſſet, ad Ptolemæum patruum tandem re- Lagid. 199.
currit, & petita ab eo filia Tryphæna aliis Gryphina in matrimonium pro Everg. 11. 21.
Antiocho filio, auxilium, contra Alexandrum ad Regnum paternum illius Id. ibid.
recuperandum poſtulat, & id mediante matre Cleopatra Ptolemæi olim
uxore, dum Alexander rerum ſucceſſu tumens, ſpernere ipſum Ptolemæum
à quo fuerat in Regnum ſubornatus, ſuperba inſolentia, inceperat.

Anno Seleucidarum 188. Judæi Palæſtini Senatúſque Hieroſolymitanus 2 Maccab.
& Judas celebraturi Encœnia repurgati Templi 25. die menſis Caſleu, ſcri- 10.
pſerunt ad Ariſtobulum Magiſtrum Ptolemæi Regis ex Regio genere ſacer-
dotum Aaronico, & Judæos Ægyptienſes ut & ipſi idem facerent. Lagid. 200.

Ptolemæus itaque reconciliata ſororis amicitia, in Cleopatræ neptis gra- Everg. 11.
tiam, deſtruere Alexandri Regnum, quod odio Demetrii, viribus ſuis acquiſi- 22. Id. ibid.

LAGIDAR. an. 200. verat, ſummis opibus inſtituit. Mittit igitur ingentia Antiocho Epiphani, cognomine joculari Grypo auxilia & filiam Tryphænam ei nupturam ut populos in auxilium nepotis, non ſocietate tantùm belli, verùm & affinitate ſua ſollicitaret.

Lagid. 201. Everg. 11. Diod. exc. p. 377. Quum omnes in Syria Antiochum Ægypti viribus inſtructum viderunt, paulatim ab eo defecere, licèt Alexander à plurimis amaretur. Erat quippe ingenio leni ac placido & in congreſſu ac ſermonibus mirabili comitate: tandem inter eos prælium eſt initum; in quo Alexander victus Antiochiam profugit, deinde ab illa urbe ob ſacrilegium ibi commiſſum expulſus, poſtea miſerè periit.

Lagid. 202. Everg. 11. 24. Juſtin. l. 39. c. 2. Cleopatra Syriæ, Antiochi filii victoria, quum inferiorem dignitatem ſuam factam doleret, venienti ab exercitatione poculum veneni obtulit, ſed Grypus veluti pietate cum matre certaret, bibere ipſam jubet, abnuenti inſtat. Poſtremùm prolato indice eam arguit, ſolam defenſionem ſceleris ſupereſſe affirmans, ſi bibat quod filio obtulit. Sic victa Regina, ſcelere in ſe verſo, veneno quod alii paraverat, extinguitur.

Lagid. 203. Everg. 11. 25. Athen. l. 14. c. 20. Ptolemæus quieto Ægypti ſuo Regno & parta Syriæ tranquillitate in quam milites & copias ſæpè novas ut Regum pro quibus ſtabat, partes foveret, ut erat doctrina atque optimarum artium ſtudiis eruditus, Libros ſeu Codices ex omni parte colligebat, ipſéque ut antea diximus Libros componebat.

Lagid. 204. Everg. 11. 26. Id. ibid. Commentarii quos ille ſcripſit numero viginti quatuor, paſſim ab Autoribus laudantur, & in duodecimo loquitur ipſe de Regis Palatio, quod eſt Alexandriæ, & animalibus quæ in eo nutriuntur, ubi inquit. Sunt & illic Phaſiani, quos Tetraonas vocant, (ſunt autem hi à vulgaribus diverſi,) non ſolùm è Media petiti, ſed etiam ovis ſubjectis Gallinis cortalibus in tantum numerum aucti, ut quotidie Rex illis veſci poſſit.

Lagid. 205. Everg. 11. 27. Evergetes quum ſeneſcere inciperet, ſexageſimum enim annum ſuperabat, filium natu maximum matrimonio copulare ſtatuit, & quum jam veterum Ægyptiorum Regum apud Ptolemæos Principes mos invaluiſſet ut fratres ducerent pro uxoribus ſorores, Cleopatram filiam, quam frater ejus Ptolemæus junior ſummoperè diligebat, pro conſorte illi conceſſit, & nuptiæ ſummo quidem apparatu Alexandriæ ſunt celebratæ.

Lagid. 206. Everg. 11. 28. Pauſan. l. 1. p. 15. Cleopatra mater, quæ Ptolemæum juniorem filium odio & Alexandrum minorem natorum amore proſequebatur, Evergeti marito perſuaſit, ut novis ſponſis Cyprum concederet, non ut ibi tanquam Dominus regnaret, ſed ut filius in hanc Inſulam quaſi relegaretur, cujus acerbitatis in filium cùm alias cauſas memorant, tum quòd Alexandrum, ſi pater è vivis abiret, faciliùs ad Ægypti Regnum promoveret, qua de cauſa teſtamentum Regi ſuggeſſit.

Lagid. 207. Everg. 11. 29. App. Syr. Juſtin. ib. Antiochus Epiphanes à Cleopatra matre Regina Syriæ non degenerans, ſtruxit Antiocho juniori, quamvis uterino fratri, inſidias quum enim illum veneno tollere vellet, ut maturiùs cum eo de Regno contenderet, excitavit: unde natus eſt illi æmulus Regni.

Ibid. Inter has Regni Syriæ parricidiales diſcordias, moritur Rex Ptolemæus anno imperii ſui poſt Philometoris fratris mortem vigeſimo nono, non enim ſex illos numeramus, quos cum fratre Regis nomine imperavit, eos Philometori tanquam legitimo Regi tribuimus.

Ibid. Reliquit Ægypti Regnum uxori, & alteri ex filiis, quem illa legiſſet quaſi videlicet quietior Ægypti ſtatus quàm Syriæ Regnum eſſet, quum mater altero ex filiis electo, alterum hoſtem eſſet habitura.

Val. Max. l. 9. c. 2. Ptolemæus tres habuit filios, totidémque filias, ex Cleopatra ſorore, Memphitem, quem occidi juſſit in Inſula Cypro. Duos autem filios ex

Cleo-

Cleopatra nepte, Ptolemæum nempe & Alexandrum, ut & tres filias, pri- LAGIDAR. an. 207.
mam Tryphænam Antiocho Syriæ Regi nuptam, ſecundam Cleopatram fratri Ptolemæo nuptam, & poſtea à matre abductam, tertia fuit Selene, quam ei Regi à plebe nominato collocavit.

Filium etiam habuit ſpurium ex Irene concubina cui teſtamento Cyrenarum Regnum legavit, & vocatus eſt Ptolemæus cognomine joculari Apion, quòd erat macilentus.

Princeps erat vultu deformis, ſtatura brevis, ſagina ventris, non homi- Athen. l. 12.
ni ſed belluæ ſimilis, unde joculari cognomine dictus eſt Phyſcon; nam ut c. 12. Diod. exc.
populi gratiam aucuparetur quum illi Alexandrini Regnum, fratre ab Antiocho Deo Epiphane detento, detuliſſent, Evergetis id eſt *benefici* nomen ſibi tribuerat: unde iidem populi, poſtea eum ob ſcelera Cacergetem appellarunt.

Rex fuit crudeliſſimus, pupilli regnum ejus parricidio uſurpavit, ſed quid Val. Max. l.
hoc facto truculentius? filium, quem ex Cleopatra eadem ſorore & uxore 9. c. 2.
ſuſtulerat in conſpectu ſuo occidi juſſit, perinde quaſi ipſe cladis, quam illi inferebat, expers, ac non infelicior, quòd in communi orbitate Cleopatram miſerabilem, cunctis ſe inviſum, redderet. Non contentus ipſi ſorori, duos ex diverſis conjugibus filios occidiſſe, poſt ſtupratam per vim ipſius filiam, repudium illi renuntiat, ut in libidinoſæ amentiæ teterrimum exemplum nepti nubere poſſit.

Non mitior in populos, maximam Alexandrinorum partem armis & igne Juſtin. l. 38.
necavit, nec pepercit popularibus qui eum ex Cyrenis ubi regnabat, Ale- c. 8.
xandriam vocaverant.

Princeps quidem fuit eruditus, quippe commentariorum libros ſcripſit, Athen. l. 4.
literatos omnes ac Philoſophos & cujuslibet ſcientiæ & artis viros fovit; ita c. 25.
ut ſub eo Rege renovatæ ſint omnes diſciplinæ.

Aſſentatorem habuit Hieracem Antiochenum qui arte palpandi plurimùm Id. l. 6. c.
apud eum potuit. 13.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput diadematum ſenile; in altera parte Aquila unguibus fulmen, cum palma inter alam inſerta, & circa ambitum ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. In area à dextris L. 15. anno ib. à ſiniſtris ΠΑ. id eſt Πα φίων, Paphiorum.

Hic nummus ad Ptolemæum Evergetem II. ſine dubio ſpectat, ſolus enim ex Ægypti Regibus qui nobis à Philometore ſuperſunt, ſenex eſt: nam quatuor ad quinque annos natus erat quum pater Epiphanes mortuus eſt, Philometor ejus frater regnavit annos 35. & nummus cum anno Regni 16. ex- Euſeb. Chr.
hibet, itaque 55. tunc, quando percuſſus eſt, agebat; filii autem & nepotes

LAGIDAR an. 207. tes illius, omnes in juvenili ætate imperium occuparunt, unde ex diverſis eorum nummis ſuperſtitibus, illorum vultus & effigies facilè dignoſcitur.

Palmæ ramus alis Aquilæ inſertus, ut in Philometore fratre obſervamus, ad Evergetem II. pertinere nummum haud dubiè confirmat: ille palmam fratris exemplo Aquilæ alæ inſeruit; nam ante Philometorem nemo illam addidit.

Litteræ ΠΑ. ut in ſuperioribus, à Paphiis Cypri Inſulæ nummum fuiſſe cælatum denotat, quando Evergetes in ſe recepit anno Regni 16. ut rectè pag. 351. area denotat his numeralibus literis L. 15. ut refert Diodorus in excerptis.

Theſaur. Si nummus Evergetis illuſtre cognomen non exhibet, ne Phyſconis jocularem cum Goltzio appellationem in eo quærites.

PTOLEMAVS SOTER II.
REX ÆGYPTI VIII.



Ap. D. Vaillant. D. med.
ex num. arg. tetradr.

LAGIDAR. an. 208. Soter. II. 1. Juſtin. l. 39. c. 3. Pauſ. Att. pag. 15. Ptolemæus VIII. Evergetis II. & Cleopatræ ipſius neptis filius primogenitus, cum ſorore Cleopatra uxore in Cypro Inſula tanquam relegatus erat, quum pater mortuus eſt; at ille teſtamento Regnum uxori & alteri ex filiis, quem illa legiſſet, reliquit, mater autem quòd Alexandrum natu minorem ſibi obſequentiorem fore ſperabat: eamobrem, ut illum Ægyptii Regem crearent, ſuadebat, repugnante verò plebe, ab illa compulſa eſt majorem eligere.

Juſtin. l. 39. c. 3. Cleopatra priuſquam Ptolemæo Regnum daret, uxorem ademit & cariſſimam ſibi ſororem Cleopatram juniorem repudiare juſſit: itaque Ptolemæus

mæus è Cypro Alexandriam appulit ut regnum Ægypti ſuſciperet, & Cleopatra poſtquam repudii libellum recepit, in Inſula mœrens remanſit. LAGIDAR. an. 209.

Cleopatra mater Ptolemæo Regi filio antequam Memphi ex Ægyptio more proclamaretur, minorem ſororem ablata majore Cleopatra uxore, ut ſupra diximus, ſponſam ducere jubet, non materno quidem inter filias judicio, quum alteri maritum eriperet, alteri daret. Soter. II. 2. Id. ibid.

Ptolemæus Memphim aſcendit, ubi ſolio decoratus, & ſacris ut mos eſt initiatus, Soteris cognomen accepit: non autem Philometoris, ut rectè notavit Pauſanias. Porphy. Gr. Euſeb. Attic. p. 14.

Cleopatra junior in Cypro relicta, non tam à viro repudiata, quàm à matre divortio viri dimiſſa, ab Antiocho juniore cognomine Philopatore, vulgò Cyzicenos in matrimonium petita, ipſi nubit, eique ne nudum uxoris nomen afferret, exercitum Cypri ſollicitatum, velut dotalem ad maritum deducit, & Antiochiæ illa recipitur. Lagid. 210. Soter. II 3. Id. ibid.

In vacuam Cyprum Cleopatra mater hoc Regni anno 4. minorem filium Imperatoris vel Regis nomine miſit, ut per eum majori filio unà ſecum regnante formidoloſior eſſet ipſa. Lagid. 211. Sot. II. 4. Pauſ. Att. pag. 15.

Antiochus junior par viribus fratris, Cyprio ſcilicet exercitu, prælium committit, ac victus in fugam vertitur. Tunc Antiochus Epiphanes Antiochiam in qua erat Cleopatra fratris uxor obſidere cœpit: Urbe autem capta Gryphina Epiphanis uxor nihil antiquiùs quàm ſororem Cleopatram requiri juſſit, non ut captivæ opem ferret, ſed ne effugere captivitatis mala poſſet, quæ ſui æmulatione in hoc potiſſimùm Regnum invaſerit, hoſtique ſororis nubendo, hoſtem ſe ejus effecerit. Porphy. Gr. Euſeb. Juſtin. l. 39. c. 3.

Tum peregrinos exercitus in certamina fratrum adductos, tum repudiatam à fratre, contra matris voluntatem extra Ægyptum nuptam accuſat. Contra Epiphanes orare uxorem, ne tam fœdum facinus facere cogatur, à nullo unquam majorum ſuorum inter tot domeſticos ſævitum, quas ſexus ipſe, & periculis bellorum & ſævitiæ victorum eximat: in hac verò, præter commune bellantium fas, accedere neceſſitudinem ſanguinis, quippe ipſius, quæ tam cruentè ſæviat, ſororem equidem germanam eſſe, ſuam verò conſobrinam, liberorum deinde communium materteram. His tot neceſſitudinibus ſanguinis, adjicit religionem templi. [illegible] Id. ibid.

Sed quantò Epiphanes abnuit, tantò ſoror muliebri pertinaciâ accenditur, rata non miſericordiæ hæc verba, ſed amoris eſſe. Itaque vocatis ipſa militibus, mittit qui ſororem confoderent: qui ut templum intraverunt, quum eam evellere non poſſent, manus amplexantis Deæ ſimulacrum præciderunt. Tum Cleopatra execratione parricidarum, mandata violatis numinibus ultione ſui, decedit. Id. ibid.

Hoc nuntio in Ægyptum de cæde Cleopatræ in Urbe Antiochia à ſorore tam crudeliter perpetrata, allato, non doluit mater, quòd filia præter voluntatem Antiocho juniori nupſerat, Cypríque exercitum in Syriam tranſtulerat, ſed Ptolemæus frater cariſſimæ ſororis mortem impatienter tulit, & clam auxilium & pecuniam Antiocho miſit, ut ſe de uxoris parricidio ulciſceretur: Syri verò impietatem Gryphinæ in ſororem exoſi, ad Philopatoris partes plurimi tranſiere.

Repetita itaque prælii congreſſione contra Epiphanem, Victor viciſſim Philopator uxorem fratris Gryphinam, quæ ſororem tam perfidè interfecerat, cepit, ejúſque ſupplicio, uxoris manibus parentavit, maritúſque Epiphanes Aſpendum Pamphyliæ Urbem trepidans confugit. Lagid. 213. Soter. II. 5. Juſtin. l. 39. c. 3.

Mox Antiochus Epiphanes ad Cleopatram ſocrum ſuam in Ægyptum mittit, & non tantùm filiam ejus ab Antiocho Philopatore interfectam, ſed à juniore fratre è Syriæ Regno, ut & filios ejectos queritur, ab ea autem auxi-

 liares

LAGIDAR. an. 212. liares copias & pecuniam, ut milites circumſcribere ad Regnum recuperandum, & filiæ ultionem poſtulat.

Lagid. 213. Ptol.:Sot. II. Joſeph. Ant. l. 13. c. 17. Hircanus Judæorum Pontifex Philopatore fratris regionem vaſtante, non diſſimulavit & ipſe quid moliretur, vidénſque Epiphani nihil eſſe ab Ægypto præſidii, ſed tam ipſum, quàm ejus fratrem multas clades accepiſſe ex continuis inter ſe certaminibus utrumque deſpexit.

Cleopatra quidem Epiphani auxilium mittere ſtatuebat, quòd Philopator Tryphænam filiam occidiſſet, & Regnum Nepotibus eriperet; Ptolemæus verò, quòd cariſſima ſoror Cleopatra olim uxor, à Tryphæna crudeliter fuiſſet interfecta, impatienter ferens, Philopatoris partes acriter ſuſtinebat; itaque Ægyptiorum procerum conſilio, ut ad utrumque mitterentur Legati, qui fratrum concordias componerent, effectum eſt; & pax diviſo inter

Porphy. Gr. Euſeb. eos Imperio iniretur, ita ut Epiphanes Syria gauderet, Philopator autem Cœleſyria potiretur. His conditionibus ab utroque acceptis, Epiphanes Olympiadis 157. anno 2. Aſpendo rediens Syriam occupavit.

Lagid. 214. Pto. Sot. II. 7 Joſeph. Ant. l. 13. c. 18. Hircanus exercitum ad Samariam urbem duxerat, illámque obſidione cinxerat, at quum illa Syriæ Regibus eſſet ſubdita, & Philopator Cœleſyriam obtinuiſſet, Samaritæ à Judæis tandem fame preſſi, Philopatoris opem imploraverunt, qui quum veniſſet, properè victus eſt, & ab inſequentibus uſque Scythopolim militibus ægrè evaſit; Judæi verò Samaritas rurſum intra mœnia compellunt, & iterùm ab eodem Philopatore auxilium poſcere cogunt.

Lagid. 215. Sot. II. 8. Joſeph. Ant. l. 13. c. 18. Philopator à fratre milites petere non auſus, ad Ptolemæum quem jam ſibi propitium invenerat recurrit, itaque accitis ab eo circiter ſex armatorum millibus, quos ille invita matre, & ab ea nondum Ægypti Imperio deturbatus miſerat, ſed non audens aperto Marte decernere, quòd eſſet impar viribus, exiſtimans tamen ſe vaſtandis agris effecturum, ut Hircanus obſidionem Samariæ ſolveret. Sed poſtquam multos è ſuis amiſit exceptos hoſtium inſidiis profectus eſt inde Tripolim, Callimandro & Epicrati Ducibus demandato bello Judaïco; nam ad crapulas & luxum, & ad alia à Regibus aliena ſe contulerat.

Lagid. 216. Sot. II. 9. Cleopatra mater quòd Ptolemæus filius militares copias Antiocho Philopatori in Cœleſyriam contra voluntatem ſuam miſiſſet, indignata, illum ex Ægypti Imperio deturbandi, & in ejus locum, Alexandrum in Cypro regnantem, verſus quem propenſiori erat animo, ſubſtituendi tempus non dimittebat.

Lagid. 217. Sot. II. 10. Pauſan. Att. pag. 15. Poſtremò ex omni eunuchorum numero, quos amantiſſimos eſſe ſui putabat Cleopatra, ſaucios in concionem populi produxit, Ptolemæum inſimulans, & inſidias ſibi feciſſe, & eunuchos vulneribus fœdaſſe. Qua re Alexandrini commoti, non multùm abfuit, quin Ptolemæum impetu facto opprimerent, ſed ille navi ſe periculo eripuit, anno Regni 10.

Qui Ptolemæo Soteri II. annos ſeptemdecim tribuunt, annos decem Regni ejus prioris Æpypti miſcent cum ſeptem aliis inchoatis, poſterioribus, quos regnavit, poſtquam è Cypro ab Alexandrinis, expulſo fratre Ptolemæo Alexandro, revocatus eſt Alexandriam, ut infrà obſervatum eſt.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput juvenile Regis diademate cinctum: ex adverſo Aquila ſolita fulmini inſiſtens cum Palmæ ramo ejus alæ inſerto, & epigraphe ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ, à dextris L. A. anno I. & infrà Loti flos, à ſiniſtris ΠΑ. id eſt Παφίων.

Ut hunc nummum Ptolemæo VIII. tribuamus plurima ſuadent. Juvenilis nempe Regis ætas, in qua oris lineamenta patris adhuc obſervantur. Secundùm parentis & filii nummi, ab eodem artifice cælati, nempe eadem ſpecie, forma & literarum ſcriptura occurrunt in eadem urbe Papho ſignati, Denique idem palmæ ramus quam in patris nummo alæ Aquilæ inſertus, qui in aliorum Regum nummis non obſervatur.

ΠΑ literæ initiales, Paphi Inſulæ Cypri ſignatum indicant nummum, & numeralis A. anno primo percuſſum. Ptolemæus autem quum mortuus eſt pater Evergetes, in Cypro tanquam exul morabatur. Paphii quum ad Ægypti Imperium à populis poſtulatus, mox anno primo id eſt ejus Regni principio in obſequii memoriam nummum cælare voluerunt.

Lotus herba non modò Ægypto familiaris eſt, ſed & aliis Provinciis, hìc verò ut in alio nummo Ptolemæi Epiphanis Salamine cuſo etiam in Cypro eſſe communem demonſtrat cælatura. Hæc herba ſimilis eſt fabæ, in cujus capite fructus papaveris inſtar, intus granum ſeu milium, ex quo molæ faciunt panem, quem lotometram appellant.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput idem & eadem Aquila cum ramo palmæ & literis à dextra L. I. anno decimo & ΠΑ. id eſt Παφίων.

 Pto-

LAGIDAR. an. 218. Ptolemæi VIII. nummus iterum prodit, eadem in eo effigies, & oris lineamenta, in neutro tamen eorum, cognominis illius memoria: licèt ab Epiphanio, Ptolemæo, Euſebio, Tertulliano, & Porphyrio Soter appelletur, ſed perpauci Ægyptiorum Principum nummi, illuſtria illorum cognomina exhibent, multò minùs jocularia, ut in hoc Rege ΛΑΘΥΡΟΥ, ob ciceculam quam in facie, ex natura habebat, & ſi quæ occurrunt, manu nova ſunt exarata; unde Goltzii error, niſi dicamus tot horum Regum nummos quos protulit, eum commentatum fuiſſe.

In Theſ. Superior nummus notas exhibet L. A. quæ primùm Ptolemæi octavi Regni annum, ut ſuprà diximus, arguunt; unde juvenilior etiam agnoſcitur in illo hujus Regis imago. Hic verò has L. I. quæ annum ejus imperii decimum declarant, quo ſcilicet adhuc Alexandriæ imperabat, quando à matre expulſus eſt; nollem autem credere Ptolemæum, quum in Cypro refugiſſet illum ſignaſſe; nam id matris verecundia aggredi non auſus eſſet, Juſtin. l. 40. c. 4. dùm Cypro etiam receſſerit, quando bellum ei intulit, ne contra matrem bellum gerere videretur.

Quidam omnes nummos ubi occurrunt literæ ΠΑ. non Paphi in Cypro, ſed Παραιτωνιῷ in urbe Paratonio Alexandriæ proxima, ubi monetarum Ægypti erant officinæ, cuſos eſſe exiſtimant. In re dubia cum iis contendere non ſtatuimus.

PTOLEMÆVS ALEXANDER,
REX ÆGYPTI IX.



Ap. D. Vaillant. D. med.
ex num. arg. tetradr.

LAGIDAR. an. 218 Ptol. Alex. 1. Porphyr. Exc. Euſeb. POſtquam Ptolemæus Soter Alexandria fugiſſet ex Cypro, accerſitus eſt à dilecta matre Cleopatra Alexander ab urbe Peluſio & Rex Ægypti cum ipſa probantibus Alexandrinis conſtituitur, qui tum Regni ſui Cyprii octavum

vum numerabat annum, quum Cleopatra Regni ſui Ægyptii computaret undecimum, fuit & primus Ptolemæi Alexandri in Ægypto. LAGIDAR. an. 218.

Cleopatra in Cyprum Ptolemæum Soterem exulare poſtea cogit, abducta ei Selene uxore, ſua filia, eo indignius, quòd ex Selene jam duos filios haberet. Juſtin. l. 40. c. 4.

Quum in Syria Antiochi fratres bellum inter ſe renovaſſent & mutuis cladibus ſe attererent, Alexander Jannæus poſt Ariſtobuli fratris mortem occupato Judææ Regno, hanc occaſionem arreptus exercitum duxit Ptolemaïdem, quam obſidione cinxit, at Ptolemaïdenſes quum nihil præſidii à Regibus Antiochis expectandum viderent, ſupererat una ſpecies ab Ægypti Regibus & Ptolemæo Sotere, qui à matre Cleopatra ejectus Cyprum obtinebat, ad hunc igitur miſſis Legatis, orabant ut auxilio veniens ex Alexandri manibus periclitantes eriperet. Lagid. 219. Ptol. Alex. 2. Joſeph. Ant. l. 13. c. 20.

Hi Ptolemæo ſpem fecerunt, quod delatus in Syriam habiturus eſſet Gazæos & Ptolemaïdenſes ſimúlque Zoïlum & Sidonios multóſque alios adjuturos, elatus promiſſis navigationem parabat. Quum ecce, ut diſſiparet illius exercitum Cleopatra, copias ingentes in Cyprum mittit quæ exulantem bello appeterent, à quibus ex Inſula pellitur: Ptolémæus quidem potiùs verecundia materni belli, quàm viribus minor, è Cypro receſſit. Id. ibid. Juſtin. l. 40. c. 4.

Interim Demænetus qui plurimùm apud Ptolemaïdenſes ſuos cives autoritate pollebat, perſuaſit eis ut mutarent ſententiam, conducibilius ducens incertam cum Judæis belli aleam ſubire, quàm in certiſſimam ſervitutem accito Domino ſe dedere, & inſuper non præſens ſolùm bellum ſuſtinere, ſed majus etiam ab Ægypto imminens, Cleopatram enim non permiſſuram, Ptolemæum vires ſibi parare è vicinia, ſed contra eos venturam cum valido exercitu, dare enim Reginam operam, ut illum etiam è Cypro ejiciat; futurum autem ut ſi Ptolemæum ſua ſpes fruſtretur, ipſe in Cyprum retrorſum fugiat, miſeri verò cives in extremo deſerantur. Joſeph. Ant. l. 13. c. 20.

Ptolemæus igitur cognita in itinere Ptolemaïdenſium mutatione, nihilominus curſum continuavit, nolens in Cyprum metu matris revertere. Id. ibid.

Cleopatra ubi Soteris filii cum tot militum millibus è Cypro diſceſſum, contra exercitus ſui Ducem irata, reducem interfici juſſit quod vivum Ptolemæum è manibus dimiſiſſet. Igitur Alexander territus hac matris crudelitate, & ipſe eam reliquit, periculo Regno ſecuram ac tutam vitam anteponens, & in Cyprum receſſit. Juſtin. l. 40. c. 4.

Soter quum appuliſſet ad Sycaminum, eo loci copias expoſuit, quæ conſtabant connumeratis peditibus & equitibus circiter xxx. millibus. His adductis ad Ptolemaïdem, & caſtris ibi poſitis, quum neque Legatos ejus admittere, neque verba audire vellent in magnam conjectus eſt ſolicitudinem. Poſtquam verò Zoïlus Tyrannus ad eum & Gazæi venerunt petentes auxilium contra Judæos & Alexandrum agros ipſorum vaſtantem obſidio Ptolemaïdis metu Soteris à Judæis ſoluta eſt. Joſeph. Ant. l. 13. cap. 20.

Reducto domum exercitu Jannæus, cœpit aſtu agere, clam Cleopatram contra filium Ptolemæum vocans, apertè verò amicum ejus ſe ſimulans quin quadringenta argenti talenta ſe daturum pollicitus eſt, ſi ille viciſſim in gratiam ipſius Zoïlum tyrannum tolleret, & agros ejus Judæis attribueret. Tum igitur Soter Alexandri Jannæi libenter amicitiam admittens, Zoïlum capit, deinde comperto quòd ille clam ad matrem Cleopatram nuntios mitteret, fœdus cum eo initum diſſolvit. Lagid. 220. Ptol. Alex. 3. Id. ibid.

Quum Ptolemæus obſidionem Ptolemaïdis optaret, iratus quòd ipſi portas clauſerat, & timeret ne in illa occupatus à Syriæ & Judææ Regibus eodem tempore appeteretur, amicitiam & ſocietatem cum Antiocho Philopatore, ad quem paucis abhinc annis ſed millia hominum contra Hircanum miſerat, renovavit. Juſtin. l. 40. c. 4.

LAGIDAR. Ut Cleopatra Ptolemæi initam cum Antiocho Philopatore ſocietatem ac-
an. 220. cepit, timens ne major filius Ptolemæus ab illo Rege ad recuperandam Ægyptum auxiliis juvaretur, ingentia per Legatos Antiocho Epiphani auxilia & Selenen uxorem nupturam hoſti prioris mariti promittit, Alexandrúmque filium per alios in Regnum revocat; bellúmque inter Reges Syriæ pertina-
Lagid. 221. ciùs quàm antea renovatur. Ptolemæus ad oppugnandam Ptolemaïdem
Ptol. Alex. 4. Joſeph. Ant. profectus erat, ubi relictis ad continuendam oppugnationem Ducibus cum
l. 13. c. 20. parte exercitus, ipſe cum reliquis copiis ad vaſtandam ac domandam Judæam ſe contulit, at Jannæus (poſtquam intellexit ejus propoſitum) & ipſe ex ſua ditione collexit circiter 50. millia velut quidam ſcriptores malunt 80. millia & cum his hoſti ivit obviam. Ptolemæus verò ex improviſo adortus ſabbato Aſochim Galilææ oppidum, vi cepit, & circiter decem captivorum millia, præter aliam multam prædam adduxit.

Id. cap. 21. Deinde aggreſſus & Sepphorim non longè inde diſtantem, multis deſideratis abiit conflicturus cum Jannæo: cui occurrit ad Jordanem fluvium, juxta Aſophon, qui non multùm diſſitus eſt à flumine, & caſtra ex adverſo hoſtium metatus eſt. Habebat autem Jannæus in prima acie pugnare ſolitos octies mille, quos Hecatontamachos appellabat, gerentes æratos clypeos, ſed & Ptolemæi prima acies æque æratis ſcutis utebatur. Et cetera quidem inferiore, ſibi niſi cunctantiores erant ad prælium: confirmabat autem eos non parùm Philoſtephanus aciei ſtruendæ artifex, jubens tranſire fluvium ſupra quem caſtra habebant, nec Jannæo tranſitum eorum impedire placuit, rato faciliorem ſibi fore victoriam, ſi hoſtis à tergo haberet fluvium, & è pugna non poſſet refugere.

Id. ibid. Primùm quidem æquo Marte certabatur, multis utrimque cadentibus: deinde cum jam Jannæi milites ſuperiores fieri inciperent, Philoſtephanus cum parte ſuorum maturè cedentibus opem attulit, cúmque inclinato Judæorum cornu, nullus ferret ſuppetias, deſtituti ope proximorum fecerunt fugæ initium, ceteróſque exemplo ſuo traxerunt. Contra Ptolemæi milites acriter inſtando Judæos fugientes cædebant, & tandem profligatos eo uſque inſecuti ſunt interficiendo, donec laſſatis manibus ferrum quoque hebeſceret. Ferunt XXX. millia cecidiſſe in eo prælio. Timagenes autem L. millia in ſuis ſcriptis reliquit: ceteros partim captos, partim fuga ſervatos incolumes.

Id. ibid. Ptolemæus verò quum poſt victoriam longè latéque excurriſſet, ſerò tandem in quoſdam Judæorum vicos ſe recepit, quos ubi vidit refertos pueris & mulieribus, mandavit militi ut promiſcuè jugulatos & in fruſta conciſos, in lebetes ferventes membratim conjicerent, ut qui effugerant è prælio, hoſtem crederent humanis veſci viſceribus, & eo major terror incuteretur reliquis.

Id. ibid. Interea Ptolemæi Duces ad Ptolemaïdis obſidionem relicti, urbem vi expugnarunt.

Lagid. 222. Cleopatra videns augeri Ptolemæi potentiam, ſubjecta Ptolemaïde &
Ptol. Alex. 5. Gazæorum urbes Judæorúmque Regione impunè vaſtata, non permittenda duxit ejus incrementa, maximè quum circa Ægypti portas obverſaretur & immineret ejus imperio. Quapropter continuò tam navales quàm terreſtres excivit copias, quarum ſupremum regimen penes Chelciam & Ananiam Judæos, Oniæ illius qui templum in Hieropolitana Præfectura ædificaverat filios eſſe voluit: bonam etiam divitiarum ſuarum partem cum nepotibus, & teſtamento apud Coum Inſulam depoſuit.

Juſſo Ptolemæo Alexandro cum magna claſſe Phœnicem appellere, ipſa deficientibus ad ejus Regionis incolis, pervenit Ptolemaïdem: unde excluſa, oppugnationem ejus urbis inſtituit, & quum accepiſſet Soterem verſus Cœle-

Cœleſyriam profectum eſſe, Chelciæ ex Ducibus, alteri imperavit ut pro- LAGIDAR.
tinùs contra eum progrederetur, ſed cùm Ptolemæum perſequitur, illum an. 222.
mori contigit. Tum Soter relicta Cœleſyria properavit in Ægyptum, ſpe-
rans ex improviſo occupaturum ſe præſidiis vacuam, opinione tamen fruſtra-
tus eſt.

Cleopatra auditis filii conatibus, & quòd ei tentanti Ægyptum, non ex Id. ibid.
ſententia ſucceſſerat, miſſa eò parte exercitus, planè eum ex illa Regione
expulit: interim Regina Ptolemaïdem cum præſidiariis expugnat.

Jannæus ad Cleopatram acceſſit cum muneribus, & ita exceptus eſt ut be- Id. ibid.
nè tractaretur, tanquam Princeps afflictus à Ptolemæo, nec aliud habens re-
fugium, & quum quidam amicorum Reginæ ſuaderent, ut illam quoque
Regionem occuparet, nec ſineret tantam Judæorum multitudinem unius
viri parere militibus. Ananias contrarium conſuluit, iniquum facinus di-
ctitans; ſi hominem in ſocietatem receptum, ſuis facultatibus exueret, præ-
ſertim ſuum cognatum. Sic enim fore ut illata huic injuria, omnes ubique
gentium Judæos à ſe alienaret. His rationibus Ananiæ Regina inducta, ab-
ſtinuit à Jannæo injuriam, & fœdus cum eo renovavit apud Cœleſyriæ ur-
bem Scythopolim.

Ptolemæus ex Ægypto quam invadere ſperabat, ejectus Gazam redierat, Lagid. 223
ubi exegit totam hyemem, verè autem in Cyprum, nolens cum matre con- Ptol. Alex. 6. Id. ibid.
tendere trans fretavit. Quo accepto nuntio & ipſa Cleopatra in Ægyptum
relicta Ptolemaïde receſſit.

Jannæus metu periculi liberatus quòd à Ptolemæo hactenus impendere vi- Lagid. 224. Ptol. Alex. 7.
ſum eſt, expeditione ſtatim in Cœleſyriam ſuſcepta, deinde ad maritimum Id. ibid.
tractum reverſus eſt, dum Antiochi fratres Provinciis ſuis & uſurpatoribus
neglectis, ſeſe cladibus mutuis attererent.

Ipſe Gazæis infenſus quòd acciviſſent Ptolemæum contra ſe in auxilium, Lagid. 225.
urbem eorum oppugnavit, & agrum depopulatus eſt, ſed Ptolemaïdem Ptol. Alex. 8. Id. l. 13.
urbem non niſi poſt anni integri obſidionem cepit quàm everſus eſt. c. 21.

Antiochus Epiphanes, non à fratre Antiocho Philopatore Regno exui Lagid. 226.
non potuit cum quo bellum implacabile gerebat, ſed ab Heracleone Ber- Ptol. Alex. 9. Athen. l. 4.
thæo quem ad honores evexerat, poſt plurima ipſi beneficia collata, An-
tiochia pulſus eſt, & poſtea ejus inſidiis occiſus eſt, relictis ex priore con-
juge Tryphœna quinque filiis Seleuco, Antiocho, Philippo, Demetrio,
& Antiocho Juniore.

Ptolemæus cognomine joculari dictus Apion, id eſt, macer, reſpectu Lagid. 227.
Evergetis II. qui erat craſſus & obeſus cujus fuit filius nothus nempe ex Ptol. Alex. 10.
Irene, Cyrenarum Rex mortuus eſt Cn. Domitio & C. Caſſio Coſſ. & te- Liv. l. 70.
ſtamento Heredem P. Romanum reliquit; Senatus tunc urbes juſſit eſſe li-
beras.

Dum pax in Ægypto inter Ptolemæos fratres Cleopatræ matris venera- Lagid. 228.
tione manet, redintegratur in Syria inter Antiochos patruum, & nepotem, Ptol. Alex.
Epiphanis morte, Seleucus enim illius maior filius, collectis undique copiis, 11. Juſtin. l. 40.
patriſque militibus adjutus, patruum Philopatorem adortus eſt, hic verò Porphyr.
victus, jàmque capiendus ſe ipſum interemit, relicto ex Cleopatra majore Gr. Euſeb.
Evergetis II. filia, quæ priùs Ptolemæo Soteri nupſerat.

Antiochus Euſebes Antiochi Philopatoris filius deficientibus ad ſe patris Lagid. 229.
militibus diadema ſibi imponit, patriſque mortem ulturus bellum patrueli Ptol. Alex. 12.
Seleuco intulit, quem uno prælio è tota Syria expulit, & paulò poſt in Ci- Joſeph. l. 13.
licia ipſe periit. cap. 2.

Selene altera ſeu tertia Evergetis etiam filia, à Cleopatra matre Antiocho Lagid. 231.
Epiphani collocata, quum ab ejus filiis qui ex Tryphæna ſorore primo- Ptol. Alex. 14.
genita, ipſius erant nepotes Regio more non tractaretur, & Ægyptum ad App. Syr.

ma-

LAGIDAR. an. 231.

trem ſe recipere, nec in Cyprum ad Ptolemæum fratrem, cujus etiam fuerat uxor confugere non auderet Antiocho Euſebi Philopatoris filio nupſit.

Lagid. 232. Ptol. Al. 15. Joſeph. Ant. l. 13. c. 21.

Ptolemæus Soter audito in Cypro, Selenes ſororis & olim uxoris matrimonio cum Antiocho Euſebe Syriæ Rege, iratus novum ipſius marito, etiamſi cum hujus patre magnam olim iniiſſet ſocietatem, quæſivit hoſtem: nam Demetrius Antiochi Epiphanis quartus filius, ob varios belli motus fratrum cum ipſo, Cnidum Cariæ urbem ſe receperat, illum ergo Ptolemæus Soter validis copiis inſtructum, apud Damaſcum in Cœleſyria Regem conſtituit.

Lagid. 233. Ptol. Alex. 16. Ibid.

Demetrius cum Philippo fratre inita ſocietate, copias contra Antiochum Euſebem conjunxit, qui ab iis prælio ſuperatus, ad Parthos fugere coactus eſt.

Lagid. 235. Ptol. Alex. 1. Juſtin. l. 40. c. 4.

Dum res omnino tranquillæ in Ægypto, perita Cleopatræ adminiſtratione exiſtimantur; repentè propter illius regnandi ſine ſocio pruriginem turbantur: nam quum Alexandro filio occultis inſidiis exitium machinaretur, occupata ab eodem interficitur, ſpiritum non fato, ſed parricidio dedit; digna prorſus hac mortis infamia, quæ etiam toro matrem expulit, & duas filias viduas alterno fratrum matrimonio fecit, & filio alteri in exilium acto bellum intulit, alteri erepto Regno exitium per inſidias quæſiit.

Porphyr. Gr. Euſeb.

Cleopatræ Ptolemæus patruus & maritus Ægypti Regnum teſtamento reliquit, & alteri ex filiis, quem illa legiſſet: at quum decem annos cum Ptolemæo Sotere filio majore regnavit, ſi quidem, quando Alexander ex Regno Cypri ad Ægyptium aſcendit, ipſa undecimum numeravit, & interempta ſit anno Alexandri decimo octavo, Cleopatra tandem viginti annos imperavit.

CLEOPATRA III.

REGINA ÆGYPTI.



Ap. D. Foy Vaillant. D. M.
ex num. æreo, 2. magn.

EX




EX THESAURO REGIO.

Caput Cleopatræ Reginæ Elephantina pelle ornatum cum epigraphe ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ. In averſa parte Aquila fulmini inſiſtens, & literis ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΤ.

Duæ fuerunt ſubſequentes Ægypti Reginæ, nomine Cleopatræ, mater quidem & filia; prior Ptolemæi Philometoris & Ptolemæi Evergetis II. fratrum ſoror, utriuſque viciſſim uxor. Altera ipſius filia ex Ptolemæo Philometore, à patruo Evergete ſtuprata, cui poſt repudium ab eo matri renunciatum, nupſit: ad utram verò pertineat nummus? inquirendum.

Elephanti proboſcis qua caput ornat Cleopatra ad terrorem in bello incutiendum potiùs quàm ad Africæ Imperium denotandum videtur hîc cuſa: ſolebant autem Reges aliquod ſimile præferre, vel cornu, galeam, aut Leonis ſpolium: utraque Regina bellum geſſit, major quidem contra Evergetem, poſtquam in Cyprum ab Alexandrinis è Regno pulſus fugiſſet, deinde Regnum repetens cum exercitu in Ægyptum appulit, ſed ipſa copiis ſuis non præfuit & Marſyas earum Dux erat. Cleopatra autem minor Ptolemæo filio bellum intulit, & quum exercitus ſui Dux filium in Cypro non cepiſſet, illum occidi juſſit, & ipſa in Syriam contra filium, armis eum proſequuta eſt: quibus rationibus facilè adducor ut nummum ad Cleopatram minorem ſpectare exiſtimem.

Cleopatra Elephanti ſpolium pro leonis exuviis geſſiſſe videtur, quod hæ belluæ in Libya Ægypti Regno ſubdita, ſint plurimæ, & ſic amicta ex ſui imperii armis exteris eſſet terror.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput idem pelle Elephanti ornatum ſine literis; in averſa parte eadem Aquila & inſcriptio ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΤ.

Etiamſi Cleopatræ Reginæ nomen circa caput non ſit adſcriptum ut in ſuperiore nummo, eadem tamen mulieris effigies & idem capitis ornamentum cum Elephanti pelle, quin ille ad Cleopatram ſpectet, non dubitare ſinunt Cur verò in priore Cleopatræ nomen ſculptum ſit, & in poſteriore deſit,

Q an

LAGIDAR. an. 235. an Monetarii incuria, non exiſtimo, ſed quòd ejus effigies ſubditis probè nota eſſet.

Pro Monetarii libito id factum putant, quòd multi Reginarum nummi illius nomen exhibent, ut Selenes Reginæ nummus ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΣΗΛΗΝΗΣ profert, ut & ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΒΕΡΕΝΙΚΗΣ, altera Ptolemæi Soteris II. uxor & ſoror, altera ejuſdem Regis filia, ſed Regina.

Quod verò id ratione factum ſit, affirmant alii nummos Cleopatræ nomen ferentes vivente marito Evergete ſignatos eſſe, ut ſunt nummi Selenes cum utraque hinc & inde Regis & Reginæ inſcriptione. Alios verò nummos ſine Cleopatræ nomine, ſub filiis Ptolemæo & Alexandro Regibus, quum ſummum teneret Imperium, nam penès eos ſola Regum eſſet appellatio, & penès eam omnis poteſtas.

Porrò obſervandum eſt, nummos Cleopatræ cum ipſius nominis Epigraphe, raritatis eſſe eximiæ, alios verò ſine literis à capitis parte pro vulgaribus haberi.

Juſtin. l. 39. c. 5. Porphy. Gr. Euſeb. Non Ptolemæo Alexandro tam nefanda cædes inulta fuit. Nam ubi primùm compertum eſt ſcelere filii matrem interfectam, concurſu populi facto, ille civium metu clam aufugit anno Regni ſui Ægypti decimo octavo.

Juſtin. l. 39. c. 5. Poſt Ptolemæi Alexandri ex Ægypto diſceſſum Alexandrini de revocando Ptolemæo Sotere ex Cypri Regno cogitarunt; ſed quum ille cum Cleopatra matre bellum gerere noluiſſet, nec à fratre Alexandro armis repetere quod prior poſſediſſet, aliquamdiu quieſcere viſi ſunt.

Id. l. 40. Mutua Antiochorum fratrum Syriæ Principum odia ad filios & patruum tranſierunt. Antiocho enim Epiphane defuncto, Seleucus ejus natu maximus Philopatori patruo illus inimico bellum grave mox intulit, & prælio paulò pòſt propè Antiochum urbem commiſſo, & per aliquod tempus dubio, Philopator patruus ſæpe victor, tandem victus eſt, & jamjam capiendus ſeipſum interemit.

App. Mith. Legati Mithridatis Ponti Regis Alexandriam venerunt, ut ſocietatem cum Ptolemæo Alexandro Rege contra Romanos cum quibus bellum redintegrare meditabatur; ſed quum Ægypti Reges ſocii & amici eorum eſſent, & res in Regno eſſent turbatæ, Mithridatis Legati urbanè tantùm recepti ſunt, & proretas aliquot & gubernatores arceſſerunt.

Lagid. 236. Ptol. Al 19. Porphy. Gr. Euſeb. Ptolemæus Alexander, repertis in Co Inſula, in quam ſe receperat, theſaùris ab avia Evergetis ſecundi prima conjuge, & à matre Cleopatra ejus ſecunda conſorte mandatis, copias undique è Græcia & Inſulis ad Regnum Ægypti ex quo expulſus fuerat, recuperandum comparavit, claſſémque ſubitò aſcendit, ſed agmini Alexandrino qui ab illo deſciverant, quum in Ægyptum appuliſſet, vehementer iratus eſt, quia ab Alexandrinis, qui illum proſequuti ſunt, coactus eſt ad naves ſuas refugere.

Id. ibid. Tyrrhus Regum cognatus, Alexandrinorum claſſi Præfectus, contra Ptolemæum Alexandrum profectus, ad navale prælium illum compulit, quo acriter utrimque commiſſo, tandem ſuperatus eſt, & ad urbem Lyciæ Myra fugere coactus eſt: ubi quum Ptolemæum fratrem è Cypro in Ægyptum tranſiiſſe accepit, hanc occupare vacuam tentare voluit, ſed à Chærea Navarcho interfectus eſt, cum uxore & filia anno ſui regni Ægyptii decimo nono.

Alexander nupſerat Cleopatræ Nepti, primogenitæ Ptolemæi Soteris fratris, & Selenes ſororis filiæ, ex qua genuit filium nomine etiam Alexandrum, quem in urbe Co reliquerat ad ſui contra populos aliquando ultionem, de qua infrà in ejus vita; reliquerat etiam Alexander filiam, cujus nomen ignoratur, & cujus necem ſuprà cum patre & matre retulimus.

Ita

Ita dilectus fuit à matre Alexander, ut illum præferre in regno Ægypti LAGIDAR.
voluerit Ptolemæo Soteri quem odio pluſquam novercali proſequebatur, & an. 236.
quum à populo majorem filium eligere eſſet compulſa, illum Cypro præfe- Juſtin. l. 39.
cit, nec deſtitit quin elapſis decem annis extorre acto Ptolemæo, ad Ægy- 40.
pti regnum tandem Alexandrum accerſerit: ſed pro tot beneficiis à matre acceptis, illam interfecit, poſtquam cum ea octodecim annos regnaſſet; unde concitato contra ſe populo, pulſus eſt è Regno.

Princeps fuit Evergete patre ſaginâ multâ obeſior, (quod ejus Numiſma- Athen. l.
ta confirmant:) inviſus populo, familiarium aſſentationibus excæcatus, de- 12. c. 12.
liciis exolutus, ne ambulare quidem poterat, niſi ſuffultus incederet, at in ſaltationibus quæ in epulis adhibebantur, nudis ille populis è lectis ſuperioribus deſiliens, concitatius & agilius corpus ſaltando movebat.

Porrò Alexander precariò tantùm & nomine Rex erat, adeò ut illum Autores quidam ex albo Regum Ægyptiorum expungant, licèt verò ſpecie tenùs cum matre Regnum adminiſtraret, ad illius effigiem cudebantur Numiſmata, ut ſequentia manifeſtant.



EX MUSÆO COM. DE VAUX.

Caput Regis juvenile diadematum, in averſa cujus parte Aquila inſiſtit fulmini eum epigraphe ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ, à dextris in area L. A. anno primo à ſiniſtris ΠΑ. id eſt Παφίων Paphiorum.

In Ptolemæi Alexandri nummus, Alexandri nomen non occurrit, ſicut illuſtre Soteris cognomen in fratre Ptolemæo non reperitur, uterque puram Ptolemæi Regis appellationem præfert, ſed inter ſe effigie multùm diſſimili diſtinguuntur; majoris quidem fratris vultus macilentus eſt reſpectu Alexan-
dri, cujus facies lata fuit & obeſa corporis inſtar teſte Athenæo; adhæc Lib. 12. c. 12.
naſus prioris verſus extremum, recurvus paululùm obſervatur, Alexandri verò plenus & rectus.

Numeralis littera A. annum ejus regni primum denotat, ſed amicus noſter quærit, an de Cyprio? an de Ægyptio ſit intelligendus? pro Cyprio nummum in urbe Cypria cuſum cauſatur, ſed Alexander Cyprum occupaſſe Imperatoris tantùm nomine videtur, & mater dominandi nimis avida hanc Inſulam ab Ægypto dividi non tuliſſet, nec populi huic aſſenſiſſent; itaque hic Alexandri nummus primum ejus Ægypti annum deſignat.



EX MUSÆO COM. DE VAUX.

Caput diademate revinctum, in cujus averſa parte Aquila ſupra fulmen, cum epigraphe in circa ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ; à dextris L. Θ. anno 9. à. ſin. ΠΑ. Παφίων.

Nemo eſt in dignoſcendis Ægypti Regum vultibus tam tiro, qui prima fronte non Ptolemæum Alexandrum diſcernat, eadem effigies, eadem oris lineamenta, idem capillorum ordo, & idem latus & obeſus vultus, licèt in ætate paulò provectiore, nam ſuperior nummus eum anno Imperii Ægypti primo exhibet, quum ætatis annum decimum ſeptimum in circa attingeret, & hic illum anno Regni nono repræſentat octo annis nempe integris vetuſtiorem; ſed homines facie obeſa paulisper vel minimè immutantur.

L. Θ. numeralis annum Regni nonum in Ptolemæi Alexandri denotat, ſed quum ſe Ægypti Imperii rebus minimè admiſceret, & mater Cleopatra arbitrio ſuo omnia gereret, qua occaſione nummus fuerit percuſſus affirmari non poteſt, niſi dicamus illum pro moneta ſignatum, & quorannis Monetarios novam cum Regis effigie populis exhibenda percuſſiſſe; unde tam frequens ab iis nota, non indigebat alia illuſtri quàm Regis Ptolemæi ſolita & veneranda epigraphe.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput Regis diademate cinctum; ex adverſa parte Aquila ſuper fulmen cum epigraphe ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. In area à dextris L. I. anno decimo, à ſiniſtris ΠΑ. id eſt Παφίων.

Iterùm prodit Ptolemæi Alexandri nummus, ſola licèt litera numerali I. quæ annum ejus Regni decimum arguit, à ſuperiore diſſimilis, ſed ut ita frequens iſtius Principis effigies Antiquariorum oculis expoſita, iis innoteſcat; quum aliundè nec aliud Regis Illuſtre cognomen, nec ipſa Alexandri appellatio in illis ſit exarata.

Pau-

Digitized by Google

Pauſanias refert Athenis, in theatri, quod Odeum vocant, veſtibulo, Ægyptiorum Regum fuiſſe ſtatuas, quibus erat omnibus idem Ptolemæi nomen, inter eos diſcrimen faciente cognomine, ſed an Alexander fuerit Ptolemæi Evergetis II. filii nomen, Ptolemæo adjunctum? vel tanquam Illuſtre cognomen ab eo acceptum? nam ipſa Anacleteriorum die videbantur ſibi Illuſtria cognomina imponere, aut à ſe vindicata, aut à proceribus indicata, cognomina autem ludibrii erant à populis producta, ſed illa nunquam in actis Regiis prolata, etſi ab autoribus in illorum hiſtoria frequenter uſurpata. Lib. 1. pag. 14.

In nummis Syriæ Regum inſignia eorum cognomina ut plurimùm erant ſignata, in Ægyptiis autem raro ſunt appoſita, in illis Regni Seleucidarum anni ad eorum Principum diſtinctionem, percuſſi, plurimùm conferunt. In Ægyptiis, eorum Imperii tantùm anni, nobis ſuperſunt, unde magna in illis Principibus dignoſcendis, ambiguitas, niſi ex ingenti nummorum illorum collectione, & ex libri noſtri expoſitione.

CLEOPATRA V. SELENE. *dicta*,
REGINA ÆGYPTI.



Ap. D. Foy Vaillant. D. M.
ex num. æreo. 2. moduli.

SElene, tertia eſt Ptolemæi Evergetis ſecundi & Cleopatræ minoris ejus neptis filia, nempe Rex ille duos habuit filios Ptolemæum Soterem II. & Ptolemæum Alexandrum, tres verò filias, Gryphinam, Cleopatram, & Selenen. Gryphina Antiocho Epiphani Syriæ Regi nupſit, Cleopatra fratri Ptolemæo Soteri II. quum nondum Ægypti Rex eſſet, id eſt vivente patre, illo verò mortuo Cleopatra mater antequam ipſi Ægypti Regnum

communicaret, Cleopatram dilectam uxorem & ſororem repudiare coegit, ut Selenen juniorem Sororem in ejus locum uxorem duceret.

Poſt exilium Ptolemæi Soteris mariti apud Cleopatram matrem manſit, nec conjugem in Cypro morantem ſequuta eſt matris juſſu, ſed à parente, Antiocho Epiphani qui priùs Gryphinam ejus ſororem duxerat uxorem, pro ſponſa data eſt, ex quo nullos habuit filios, poſt ejus mortem denique Antiocho Euſebi Antiochi Philopatoris filio nupſit ex quo duos filios Antiochum & Seleucum tulit. Maritus ejus Mithridatis adventu in Ciliciæ angulo latuit, & ipſa quum populos ad defectionem contra hunc Regem ſollicitaſſet, in Seleuciæ Caſtello interempta eſt.

NUMMUS SELENES REGINÆ.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput Reginæ diadematum cum literis, ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΣΗΛΗΝΗΣ: in averſa parte Aquila fulmini inſiſtens cum epigraphe ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ.

Eximiæ raritatis ille eſt æreus ſecundæ formæ nummus, qui Selenen Reginam nobis exhibet diademate inſignem, cum Ptolemæi Regis ejus ſponſi epigraphe in averſa parte ſignata, ut pote cum illo regnantem: nam Cleopatra ejus mater ſic inſcribitur βασίλισσα κλεόπατρα, dum Evergetes II. illius viveret maritus, & nomen ſponſi in averſa parte exaratur: uterque verò nummus ex ære eſt, quaſi feminis Principibus effigiem ſuam in hoc metallo repræſentare tantùm liceret.

Selene nomen eſt Lunæ apud Græcos, ita vocata παρὰ τὸ σέλας νέυ, id eſt à novo lumine, quia Luna dicta eſt, quòd luce luceat aliena hoc eſt Solis, quaſi noſtra Selene eſſet altera Iſis quæ apud Ægyptios Luna exiſtimabatur. ΣΗΛΗΝΗ pro ΣΕΛΗΝΗ Atticè, Ionicè, & Æolicè dicitur, Doricè verò pronunciatur ΣΕΛΑΝΗ.

Pto-

PTOLEMÆVS SOTER, II.
REX ÆGYPTI VIII.



Ap. D. Vaillant. D. med.
ex num. arg. tetradr.

PTolemæus Soter ex Cypro mortua matre Cleopatra & expulſo fratre Alexandro Regni ſui Ægypti uſurpatore, ab Alexandrinis in illud revocatur, & fratre tandem à Navarcho Chærea occiſo quum non ipſi ampliùs eſſet hoſtis timendus, tranquillè Regnum ſuſcepit. LAGIDAR. an. 236. Ptol. red. 1. Porphyr. Gr. Euſeb. Appian. Mithr.

Mithridates Ponti Rex facta in Aſiam ruptione, Coum trajecit ubi exceptus à libentibus Ptolemæi Alexandri filium nomine etiam Alexandrum cum multis pecuniis in Coo relictum à patre aſſumpſit, & educavit, & è theſauris Cleopatræ aviæ magnas divitias, artificum opera egregia, gemmas, mundum muliebrem, magnam vim pecuniæ miſit in Pontum.

Romani audita Mithridatis invaſione bellum contra illum decernunt etſi bello Italico occupati, & quum Provincias ſortiti eſſent Conſules, Aſia Corn. Sullæ obvenit, ſimúlque bellum Mithridaticum ſed domeſticis ſeditionibus retentus, Proconſul tantùm anno ſequente ad illud profectus.

Sulla tranſvectus in Græciam, dum Athenas oppugnat, Lucullum Legatum in Africam & Ægyptum miſit ad claſſem illinc contrahendam, hic hieme ſolvit, tribúſque Græcis myoparonibus & dicrotis totidem Rhodiis in Cretam decurrit, eámque adjunxit, deinde Cyrenen appulit: illa quidem antè decimum à Ptolemæo Apione Romanis teſtamento relicta, ab ipſis verò libertate donata, tunc ſeditione agitabatur. Lucullus Cyrenæos ſedavit, & eorum rempublicam conſtituit. Lagid. 237. Ptol. red. 2. Plut. in Lucul.

Dum illinc curſum in Ægyptum, piratarum incurſu omnia ferè navigia Id. ibid.
amittit

LAGIDAR. amittit: incolumis ipſe tamen Alexandriam magno cum honore eſt delatus,
an. 237. ſi quidem claſſis ei univerſa, ut eo decurrente ſolet Regi exornata, proceſſit obviam, eúmque Ptolemæus mirifica humanitate excepit, & quod Duci extraneo ante eum delatum fuerat nemini diverſorium & cœnationem ei in Regia dedit. Impenſarum verò & ſumptus non quantum ceteris, ſed quadruplum tantùm, illi præbuit.

Lagid. 238. Ptolemæus verò non belli terrore ſocietatem repudiavit, ſed quòd de inien-
Ptol. red. 3. da cum Mithridate per Legatos recuſaſſet, & ſic medius eſſet, naves autem
Id. ibid. quæ proſequerentur Lucullum in Cyprum, attribuit, & conſcenſuro ſalutandi colendíque cauſa pretioſum Smaragdum auro alligatum dedit, primum recuſavit Lucullus donum: ceterùm ubi inſculptam imaginem monſtravit Rex, veritus eſt rejicere, ne ſi diſcedere inimico animo exiſtimaretur, inſidiæ ſibi mari pararentur.

Lagid. 239. Syri interea quum inexplicabili bello, primùm mutuis fratrum odiis, &
Ptol. red. 4. mox filiis inimicitiis parentum ſuccedentibus Reges & Regnum Syriæ con-
Juſtin. l. 40. ſumptum animadverterent, ad externa populus auxilia concurrit, peregrinóſque Reges circumſpicere cœpit. Itaque quum pars Mithridatem Ponticum, pars Ptolemæum ab Ægypto cenſeret, quòd Mithridates implicito bello Romano eſſet, Ptolemæus ſemper hoſtis fuiſſet; omnes in Tigra-
Joſeph. Ant. nem Armeniæ Regem conſenſere.
l. 13. c. 23. Cœleſyri etiam Demetrio à Ptolemæo Sotere Damaſci Rege conſtituto, tune à Parthis capto, Aretam Arabiæ Principem ad Cœleſyriæ Regnum ap-
Lagid. 240 pellarunt.
Ptol. red. 5. Bellum à Romanis contra Mithridatem ſuſceptum, ne integro quidem
App. de bel. triennio confectum eſt, Rex enim Sullam convenit pro pace inienda ad op-
civ. lib. 1. pidum Troadis Dardanum; ubi Alexander Alexandri Regis Ægypti F. ex comitatu Mithridatis ad Sullæ tutelam confugit, & hic illum in familiarita-
Lagid. 241. tem receptum Romam ſecum deduxit.
Ptol. red. 6. Ptolemæus Thebæis ad Nilum ab ipſo Rege deficientibus bellum intulit,
Pauſan. Att. pag. 15. Thebaïdíſque nomum & Metropolim eorum urbem obſidione cinxit.
Lagid. 242. Antiochus Euſebes & Selene ejus uxor quæ prius Ptolemæo Soteri nupſe-
Ptol. red. 7. Juſtin. l. 40. rat in angulo Ciliciæ cum duobus filiis Antiocho & Seleuco latebant, quum
c. 2. Magadatis, qui Mithridatis nomine Syriam adminiſtrabat, violentiam ſu-
Lagid. 243. Ptol. red. 8. ſtinere non poſſet.
Pauſan. l. 1. Ptolemæus Thebæos tertio à defectione anno in poteſtatem ſuam reda-
pag. 15. ctos, tam graviter multavit, ut qui antè Ægypti ditiſſimas quaſque civita-
Id. ibid. tes opibus ſuperarent, nullum priſtinæ fortunæ veſtigium retinuerint.

Ipſe quidem Ptolemæus non ita multò pòſt ſuo fato defunctus eſt, poſtquam regnaſſet ſeptem annos & ſex menſes, poſt ſuum è Cypro reditum, in qua Inſula manſerat per novemdecim annos tanquam exul ex Ægypto in qua priùs regnaverat decem annos: Itaque à primo ejus Imperii anno uſ-
Juſtin. l. 39. que ad ultimum effluxere 36. anni & ſex menſes.
c. 3. Primò nupſit Cleopatræ ſorori vivente patre Evergete ſecundo, quam repudiare coegit mater, quum Ægypti Regnum ipſi communicavit ex qua Cleopatra duos filios non ſuperſtites. Secundam habuit uxorem, Selenen alteram ſororem, quam etiam ei amovit mater dum ei Regnum Ægypti ab-
Porphyr. ſtulit collocato in ejus locum Ptolemæo Alexandro fratre ex qua videtur ge-
Gr. Euſeb. Pauſan. Att. nuiſſe duas filias Cleopatram nempe quæ ab avia patruo Alexandro collocata
pag. 15. eſt, & alteram juniorem ſcilicet Berenicen, quæ ipſi ſuperſtes in Regno ſucceſſit.
Trog. Ptol. Ptolemæus habuit etiam Nothos filios Ptolemæum poſteà cognominatum
lib. 4. Dionyſum, & Ptolemæum Cypri Regem, & filiam nomine Cleopatram, quam ſuſpicamur Ptolemæi Dionyſi uxorem fuiſſe.
Pauſ. l. 1. Athenienſes Ptolemæo Soteri pro multis erga ſe beneficiis decreverunt
pag. 15. æneam

æneam ſtatuam cum Berenice filia quæ illi tunc ex filiis ſola ſupererat.

Ptolemæus Hieracem Antiochenum Ptolemæi Evergetis ſui Patris aſſenta- Athen. l. 6. c. 13.
torem, tandem poſt ejus mortem interfecit.

Eudoxus ut Ptolemæi Soteris iram fugeret, in Arabiæ ſinu navem con- Plin. l. 2.
ſcendit & portum Caliz appulit.

Ante hunc Regem ignotus fuit quibuſdam Æthiopiæ populis uſus ignium. Id. lib. 6.

Alexandrini Ptolemæo VIII. joculare Lathyri cognomen, ob ciceroulam in ejus facie enatam, impoſuerunt: Λαθυρος enim Græcis cicercula eſt.

BERENICE.
REGINA ÆGYPTI.



Ap. D. Foy Vaillant. D. M.
ex num. arg. didrac.

Berenice Ptolemæi Soteris II. & Selenes ejus ſororis & uxoris filia, pa- Lagid. 243.
tre ſine prole maſcula defuncto nempe ex legitimo matrimonio, ad Beren. 1. Pauſ. l. 1.
Ægygti Regnum ut ipſius heres aſcendit, comprobantibus Alexandrinis.

Sylla Romæ Dictator & rerum ſumma potitus, deficiente in Ægypto vi- App. civ.
rili ſtirpe Regia, & mulieribus Regiis viro cognato opus habentibus, ſpe- bel. l. 1.
rans multùm auri ſe collecturum ex auro opulentiſſimo Alexandrum Ptolemæi Alexandri filium in Coo Inſula educatum, & à Cois Mithridati Ponti Regis deditum, indéque ad ſe profugum, & in familiaritatem receptum Alexandrinis miſit pro Rege.

Alexander Româ profectus, Regio apparatu à Sylla ipſi comparato, in Ægyptum Alexandrinorum votis appulit, ibíque honorificè exceptus eſt, & paulò pòſt nuptiæ cum Berenice cognata ſunt ſummo cum gaudio popu-

lorum celebratæ, ſed amore Alexandri in odium verſo, ille Reginam per quam paternum receperat Regnum, poſtquam ſimul novem dccim dies regnaſſent, interemit, illa autem per ſex menſes à patris morte ſola Ægypti Imperium tenuerat.

l. civ. bel. 1. pag. 414. Appianus Regem hunc Alexandrum, inſolentiùs imperantem Syllæ fiducia, decimo nono Regni die protractum in Gymnaſium ex Regia Alexandrinos peremiſſe narrat. Sed mendum eſſe videtur de decimo nono die quo Alexandrum interfectum ſcribit, cùm decimo nono die quo Berenice fuit Gr. Euſeb. occiſa juſſu Alexandri, Porphyrius qui Appianum ſequitur Alexandrum à militibus occiſum in Gymnaſio, quo ſe receperat, refert; ſed de Berenice Hiſt. de Ptol. Auletes. id intelligendum in horum verborum interpretatione nuper V. C. Baudelotius annotavit.

Ex ſupradicto Appiani loco Hiſtorici & Chronologi ab hoc tempore Ptolemæi vulgò Auletis Regnum inchoarunt, annos hujus Regis cum annis Alexandri qui poſt uxorem occiſam plurimos regnavit, commiſcentes: nam Manucius, & Aldus, Petavius & Aldus, ceteríque recentiores Chronologi ex Ciceronis, Suetonii, & aliorum teſtimoniis vitam prorogaſſe in Ægypti Regno obſervarunt. At quum illi omnes de annorum Regni Alexandri numero non conveniunt, noſtram ea de re ex ipſorum veterum locis ſententiam proferre in aſſignando ejus Regni tempore nobis etiam licebit.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput Reginæ obductum velo cum diademate ſine literis in averſa parte ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΒΕΡΕΝΙΚΗΣ, *Reginæ* Berenices circa cornucopiæ, in area hinc & inde aſtrum & litera E. id eſt Ερμοπολιτῶν.

In Ptolemæorum hiſtoria tres fuere Berenices nomine Reginæ; Prima illa fuit Prolemæi Imperii Ægypti fundatoris uxor dicta Berenice magna, altera Ptolemæi Soteris ſecundi filia quæ per ſex menſes ſola Regnum tenuit, tertia Ptolemæi vulgò Auletis filia quæ poſtquam pater ab Alexandrinis expulſus eſt è Regno, cum Tryphena ſeu Cleopatra majore ſorore per annum integrum & duos illa mortua ſeu ſola, ſeu cum Seleuco & Archelao maritis regnavit.

Ut nummus ad priorem Berenicem non revocetur, duo nos impellunt, primum, quòd primis his imperii temporibus, Reginæ in nummis non ſignarentur, præſertim cum epigraphe ſolius vocis ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΒΕΡΕΝΙΚΗΣ ſine inſcriptione ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ex altera parte, alterum quod ex comparatione vultus prioris illius Berenices in duobus nummis aureis cum capite mariti ſociatæ, nulla oris & faciei lineamenta cum hac quæ in hoc nummo depingitur, agnoſcantur.

Præcipua ergo poſſet eſſe controverſia de Berenice Ptolemæi Soteris ſecundi filia cum Berenice Auletis vulgò dicti filia ad hanc nummum ſpectare non exiſtimamus, quum ille vivente ſorore Tryphæna cudi non potuit, ſi ſimul regnabant, nec cum Seleuco & Archelao, ſi Reginæ nummi ex altera parte nomen

Regis

Regis ut ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ, ſemper exhibebant, nec tandem tanta poteſtate rerum potita eſt, quum abſens tantùm pater eſſet, & à Romanis in Regnum reductionem enixè & tanto ſumptu ille poſtulabat, & tandem obtinuit poſt tres annos.

Igitur ad Berenicem Ptolemæi Soteris ſecundi filiam haud dubiè pertinet, quum illa per ſex menſes ſola regnaverit ſine ſocio; unde potuit meritò inſcribere unicam ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΒΕΡΕΝΙΚΗΣ inſcriptionem: etſi filiæ ut plurimùm patris exhibeant faciem, collatis ſimul nummis patris effigies in filia agnoſcitur.

Berenice velo obtegitur ut Regio ornamento; ſic enim Arſinoe Philadelphi depingitur, ſic Cleopatra ex ipſa Ptolemæorum gente oriunda, Syriæ Regina prodit. Hiſt. reg. Syr.

Cornucopiæ fertilitatis Regni ſymbolum eſt, in his Regibus & feminis Principibus ſolenne, quod tantùm cum Aquila eorum ſtemmate, in ipſorum nummis occurrit.

Litera Ε. initialis eſt nominis populorum apud quos percuſſus eſt nummus, putà Ερμοπολιτῶν, id eſt Hermopolitarum, ut Δ in altero pariter tetrachmali nummo, quem vidimus, Διοσπολιτῶν Dioſpolitas denotat.

Duo aſtra, an ſint urbis inſignia affirmare nollem.

PTOLEMÆVS ALEXANDER,
REX · ÆGYPTI, X.



Ap. D. Baudelot I. C. Paris.
Ex num. Arg. dragm.

PTolemæus Alexander II. Ptolemæi Alexandri ex Selene nepte patrui Ptolemæi Soteris II. filia genitus poſt Berenicis uxoris cædem ſolus paternum Ægypti Regnum adminiſtravit, Alexander ejus pater per octodecim Lagid. 140. Alex. II. 1.

LAGIDAR. an. 246. Alex. II. 1. cum matre Cleopatra, & poſt illius necem, per annum alterum qui novemdecim conficiunt, tenuerat: ille in Coo urbe ſervatus tandem in Ægyptum reverſus eſt: at licet obſcuriſſima ſint illius Imperii tempora, & mors tantùm ejus in urbe Phoeniciæ Tyro noſcatur, nihilominus ad ſeriem Ægyptiorum Regum texendam, quidquid in illius Regni intervallo, ad Ægypti ſtatum dignoſcendum evenerit, hic referre ſtatuimus.

Lagid. 246. Alex. II. 3. App. civ. bel. l. 1. Sylla poſt biennium quo Alexandrum Ægyptiis Regem dederat, & P. Romani ſocium atque amicum à Senatu appellari procuraverat, poſt Dictaturam nemine interpellente depoſitam, omnique ſatellitum præſidio relicto, Puteolis in ſeceſſu ruſtico, Phthiriaſi morbo interiit: Alexander autem tanta Romani Imperatoris benevolentia ſpoliatus, ab Alexandrinis ſperni cœpit.

Lagid. 247. Alex II. 4. Plut. de Iſ. & Oſir. Iſia Feſta ob Oſiridis mortem ab Ægyptiis inſtituta, ſolito modo celebrata ſunt, Alexandriæ nempe die decima ſeptima menſis Athyr uſque vigeſimam primam, quæ in Eudoxi ſolſtitium brumale ſive Decembris decima octava.

Lagid. 248. Alex. II. 5. Cleopatra Selene Ptolemæi Soteris II. ſoror & olim uxor, Syriæ Regina, Ptolemæi Alexandri II. amita, Antiochum Euſebem maritum in aliquo Regni ſui latentem, ex morbo amiſit, qui duos illi reliquit filios Antiochum vulgò Aſiaticum, & Seleucum quem Ægyptii poſtea Cybioſactem jocularitér appellarunt: ad illos Syriæ Regnum à Tigrane uſurpatum pertinebat; ſed hi etiam Regni Ægyptii hæredes legitimi Regia ſtirpe in Ptolemæo Alexandro deficiente exiſtimabantur.

Lagid. 249. Alex. II. 6. App. Mith. Nicomedes Bithyniæ Rex hoc anno mortuus eſt & P. Romanum Regni ſui heredem teſtamento reliquit; quod ægrè ferens Mithridates Ponti Rex tertium contra Romanos bellum gerere decrevit.

Liv. l. 70. Cyrenarum Regnum ante 20. annos ab Apione Evergetis II. filio notho, etiam P. Romano datum illius teſtamento fuerat, qui tunc urbes illius Regni liberas Cn. Domitio & C. Caſſio Coſſ. eſſe juſſit Senatus, eas verò ſeditionibus inter ſe agitatas compeſcuit, poſtea Lucullus, ſed quum novis & continuis turbari non deſinerent, Cyrene tandem facta eſt Provincia Romana & Prætori tradita.

Inde forſan aut aliunde occaſio ab Alexandrinis quæſita, Romanis quum jam eſſent ob Alexandrum Ægyptiis Regem datum irati, & ille ob Reginæ cædem odioſus, ſeditione facta illum è Regno expulerunt. Ipſe navim quæ Tyrum verſus, vela faciebat, protinùs conſcendit: ubi dubius an ipſe Romam proficiſceretur, quum bellum jam contra Mithridatem decretum eſſet, vel Legatos ad Senatum mitteret, ut tanquam ſocius & amicus P. Romani in Regnum reſtitueretur, ſtatim in morbum lethalem incidit, quo ingraveſcente, ut ſe de injuria ab Ægyptia illata vindicaret, P. Romanum Regni ſui heredem ſcripſit & mortuus eſt.

NUM-



EX MUSÆO D. BAUDELOT. J. C. PAR.

Caput pelle leonina amictum ſine literis, in averſa parte Aquila ſolita inſiſtens fulmini & epigraphe ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ in cujus vocis fine monogramma.

Drachmalem ecce argenteum ex Ægypti Regum ſerie, parvum quidem mole, ſed raritate inſignem nempe Ptolemæi Alexandrini II. Reclamant verè Antiquarii, in hoc ΒΑΣΙΛΕΩΣ epigraphe deeſt, quid tum? Alexandri nomen nonne Regis appellationem ſupponit, ut in Alexandri Magni nummis frequenter, imo & in ejus patre Philippo, nudum ΦΙΛΙΠΠΟΥ nomen occurrit, ſed ne extra Ægyptiorum Principum ſeriem exempla quæram, Imperii fundator ille ΒΑΣΙΛΕΩΣ & Arſinoe Regina ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ appellationem reticent.

Inſtat amicus, in nummis Alexandri primi ejus patris, nulla Alexandri, ſed Ptolemæi tantùm epigraphe, & in hoc nulla Ptolemæi, ſola autem Alexandri appellatio exhibetur; ſciat Alexandri cognomen Ptolemæo Juniori tanquam illuſtre datum eſſe, quod in nummis rarò apponebant Ægytii Reges: in filio Alexandro, hoc cognomen pro nomine tandem eſſe uſurpatum, ſeu quòd ut avia Cleopatra Pelle Elephantina in nummis ſe induerat, ille leoninis exuviis in Alexandri Magni memoriam ſeu nominis conformationem caput ſuum ornare voluit.

Eadem Aquila fulmini inſiſtit, ut ſolenne Regum Ægypti ſtemma, ſed annorum numerales in eo deſunt, ſed has in drachmalibus rarò inſcribere ſolebant, nec in ſequentibus Principibus ferè ullo modo occurrunt.

Nec initiales urbem ſeu populos indicantes in quibus ſignatus eſt nummus, reperiuntur. Sat eſt Monotarii ad probandam monetam monogramma.

LAGIDAR. an. 250.

PTOLEMÆUS vulgo AULETES, REX ÆGYPTI XI.



In Cimel. ill. Colberti, ex num. aureo tetradr.

Lagid. 250. Ptol. novi Dion. 1. lib. 40.

PTolemæus Ptolemæi Soteris II. filius nothus, Rex Ægypti ab Alexandrinis, & alter Ptolemæus, illius frater junior Cypri Rex ab Alexandrinis conſtituuntur, ſicut ex prologo Trogi manifeſtum fit, iis verbis. *Ut Alexandri*, poſt interitum, *Ptolemæi Lathyri*, *ſubſtituti ſunt filii*, *alteri data Cyprus.* Nec junior ille Cyprum obtinuit, priùs quam frater ejus major Ægyptum adeptus fuerit: audierant autem Alexandrini Alexandrum Tyri mortuum teſtamento Romanis Ægypti Regnum reliquiſſe, eos his Regnis ita præfecerunt, ut illa ſpuriorum, tanquam legitima ſucceſſione, Romanis Regnorum iſtorum contendendorum mentem averterent.

Porphyr. in Euſeb. Scab.

Rex ab Ægyptiis recens proclamatus, ut tunc moris erat illuſtri nomine NOVUS DIONYSIUS appellatus eſt, non inſolitum quidem his temporibus Regibus nomen, ſi quidem Syriæ Antiochus Rex in ſuis nummis inſcribitur ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΔΙΟΝΥΣΟΥ. Hæc ipſi appellatio forſan ab iis indita quòd juvenis, & facie eximius eſſet, ut alter Bacchus.

Ptolemæi uxor ab Hiſtoricis præterita eſt, liceat mihi huic Regi ex Chronico Alexandrino Cleopatram ſororem collocare. *Auletes Ptolemæi Soteris F. Cleopatræ frater*, non autem hæc Cleopatra de legitima Soteris filia, intelligenda eſt, ſi quidem Berenice ſola erat, & Cleopatra notha fuit, quam Ptolemæus novus Dionyſius matrimonio ſibi copulaſſe videtur ſuperiorum Regum exemplo & ut ipſe filiis ſuis teſtamento deinde præcepit.

Teſtamentum Alexandri in urbe Tyro defuncti Romam allatum eſt, & quum

quum de illo in Senatu ageretur, variæ quidem fuerunt ſententiæ, ſed quia LAGIDAR.
Bithynia anno ſuperiore teſtamento Nicomedis Regis P. Romano acceſſerat & 10. 250.
Cyrene Regnum quod illis Ptolemæus Apion Cn. Domitio & C. Caſſio Coſſ. teſtamento reliquerat, & tunc Senatus, liberas Regni urbes pronunciaverat, & hoc pariter anno, iſtud Regnum de Ptolemæorum olim dominio ſub ſpeciem Tyrannorum ex iis urbibus expellendorum in Provin- Plutarch.
ciam redegerat, Optimates cenſuerunt non oportere P. Romanum Regnorum appetentem videri; præſertim quum bellum grave jam contra Mithridatem gererent, & novum Ægyptiis qui Regem ex Ptolemæorum proſapia appellarant, denunciandum eſſet: porrò non Senatuſconſulto, ſed Senatus autoritate Legati Tyrum miſſi ſunt, qui pecuniam Regis depoſitam, propter belli neceſſitatem, Romam tantùm deportarent.

Selene Ptolemæi Lathuri ſoror, Alexandri nuper defuncti amita, Syriæ Lagid. 251.
Regina, quum Regno illius à Tigrane privata, Ægypti Regni heres le- Ptol. 11. Dion. 2.
gitima eſſet, ut nothum fratris filium, illud occupare accepit, filios Antio- Cicer. orat.
chum & Seleucum quos ex Antiocho pio ſuſceperat, Romam miſit, Ægy- in Verrem.
pti Regnum quod ad ſe & ad eos pertinere arbitrabatur, petituros. Ipſi comitatu Regio atque ornatu venerunt & munera Jovi Capitolino offerenda attulere.

Ptolemæus, ut Selenes filios Romæ à Senatu Ægypti Regnum poſtulare cognovit, Procuratores clam in urbem miſit qui ſibi amicos muneribus in Senatu conciliarent, & Syriorum Principum petitionem honeſto aliquo prætextu eluderent ſperans aliquando Regnum largitionibus Senatum ſibi confirmaturum.

Quum ferè biennium Romæ Antiochus cum fratre Seleuco commoratus Lagid. 252.
eſſet & per Senatum, quæ de Regno Ægypti poſtulaverat, obtinere non Ptol. 11. Dion. 3.
poſſet, in Syriam redire cogitavit, Senatus autem belli Mithridatici prætex- Id. orat. 6.
tu, Antiocho non conceſſit, quod aliquando in commodum ſuum vertere in Verrem.
meditabatur, niſi Ptolemæus continuata largitione ſecuram Regni poſſeſſionem ſibi efficeret.

Antiochus Roma egreſſus, iter per Siciliam, Syracuſas venit: ibíque in Ibid.
domo Q. Minucii Rufi diverſatus eſt: Candelabrum ille ſecum attulerat è gemmis clariſſimis opere mirabili confectum, in Capitolio ponendum; ſed quia nondum erat perfectum, ſtatuit id ſecum in Syriam reportare, & quum Jovis ſimulacrum dedicaretur, cum ceteris rebus illud quoque donarium per Legatos in Capitolium remittere; ſed & hoc candelabrum, & non pauca etiam pecula aurea gemmis diſtincta, & trullam vinariam ex una gemma prægrandi excavatam Verres Siciliæ Prætor per fraudem illi abſtulit, & ſua repoſcentem, de Provincia ante noctem diſcedere juſſit, comperiſſe ſe dicens, ex ejus Regno piratas eſſe venturos.

Selene ubi filios Roma reduces, nec Regnum Syriæ paternum poſſidere, Lagid. 253.
nec Ægyptium ad ſe ſpectans per Senatum occupare vidit, in Phœnicia res Ptol. 11.
novas contra Tigranem in eorum gratiam molita eſt; incoliſque autor fuit, Dion. 4.
ut illum excluderent: qua defectione audita, Tigranes cum quinquaginta Joſ. Antiquit
militum millibus in Syriam deſcendit, urbémque Ptolemaïdem obſedit & l. 13. c. 29.
expugnavit: tandémque Selenen Seleuciæ in Meſopotamia caſtello incluſit, quam poſt aliquod tempus captam interemit, & ſic Antiochus & Seleucus Syriacum & Ægyptiacum Regnum ſperare in aliud tempus diſtulerunt; Syriacum porrò Antiochus & Ægyptiacum Seleucus aliquando, ut infra videbimus, obtinuere, in quibus paulùm regnarunt. Si quidem Syriacum quod Lucullus Antiocho dedit illi Pompeius abſtulit, & Ægyptiacum, ad quod Seleucus ab Alexandrinis appellatus eſt, cæde amiſit.

Mithridates à Romanis bello laceſſitus, poſtquam Cabiris expulſus eſt à

Lucullo

LAGIDAR. an. 254. Ptol. 11. Lucullo ad Tigranem generum Armeniæ Regem confugit, & ut Arſacem Par-
thorum Regem in ſocietatem belli attrahat, bellandi cauſam contra omnes
Dion. 5. Principes, cupidinem eorum profundam Imperii & divitiarum inſimulat, &
Sall. Hiſt. lib. 4. Ptolemæum Regem pretio tantùm belli diem prolatare ſcribit: quòd omni-
Lagid 255 bus notum erat.

Ptol. 11. Dion. 6. Cleopatra è Lagidarum ſtirpe Regina ultima, Ptolemæi filia naſcitur, ſi
in Anton. quidem ex Plutarcho triginta novem annos vixit, & poſt ejus mortem Ægy-
Strab. l. 17. pag. 796. ptus in Provinciam Romanam redacta, ut infrà videbimus.

Interea Ptolemæus dum Romani bello Mithridatico intenti ſunt, ſeſe in
luxu diffluebat, ut alii peſſimi Ægypti Reges, & Choraulam ita exerce-
bat, ut non pigeret eum certamina illius in Regia celebrare, & ipſe cum aliis
concertaturus prodibat: unde ab Alexandrinis qui jocularia nomina ſupe-
rioribus ſuis Regibus dicaces indiderant, AULETES cognominatus eſt.

Antiochus qui Regnum Ægypti à Senatu poſtulaverat ut ad ſe tanquam
proximum Alexandri Regis heredem pertinens, poſtquam Tigranes qui
Syriæ Regnum occupaverat, Præfectum Magadatem cum copiis ex hoc re-
vocaſſet Syris non invitis in paternum Regnum ſe inſinuavit, nec ei Lucul-
lus avitam poſſeſſionem invidit: imò ab eo Syriæ Rex eſt appellatus.

Lagid. 256. Ptol. 11. Ptolemæus junior Cypri Rex in eadem cauſa cum Ptolemæo fratre Ægy-
Dion. 7. pti Rege, parum erat Romanorum ſollicitus, & pro luxu, quo ærarium
ſuum effundebat Auletes, parcimoniæ vel potiùs avaritiæ in Inſula fertiliſſima
ſtudebat Cyprius, cujus notam dedit, quum P. Clodius à Lucullo co-
gnato in Syria deficiens ad Marcium Ciliciæ Proconſulem ſe recepiſſet, ille
ab hoc rei navali Præfectus, in piratas incidit, & ad Cypri Regem miſit,
qui pecuniam pro redemptione ſolvere vellet, hic verò duo talenta, exi-
guum ſanè pro Romano cive opulento pretium protulit: quòd prædones ac-
cipere renuentes, Clodium ſine clarigatione remittere maluerunt. Cujus rei
memor Publius, factus tandem Tribunus plebis, legem de ejus Regno, quod
Alexandri Ægypti Regis teſtamento Romanis relicto illi contendebant, in
Provinciam redigendo promulgavit.

Lagid. 257. Ptol. 11. Cùm bellum Piraticum lege Gabinia Pompeio demandatum fuiſſet, ille per
Dion. 8. Lgatos & Præfectos utraque ora Ponti & Oceani complexus eſt, & ut Ægy-
ptium mare Marcellinus teneret, curavit.

Lagid. 258. Ptol. 11. Hoc anno Creta à Q. Metello occupata, cum Cyrene Regno quod de Pto-
Dion. 9. lemæorum dominio nuper erat, una ſimul provincia ſub eodem Prætore Ro-
mano facta eſt.

Lagid. 259. Ptol. 11. Ex intervallo quum de Ægypti Regno apud Senatores ſermo eſſet, &
Dion. 10. Ptolomæus per amicos & Optimates ſemper rem eluderet, Cenſores M. Craſ-
Plut. in vita Craſſi. ſus & Lutatius Catullus facti Aurelio Cotta & Manlio Torquato Coſſ. acer-
bam actionem & violentam de illo ſuſceperunt, ille ut efficeret P. Romano
vectigale contendebat, Catullus enixè reſtitit: hinc diſſenſione exorta, ul-
trò Magiſtratum depoſuere.

Sueton. in Jul. c. 11. Julius Cæſar Ædilitatem adeptus, rem Senatuſconſulto difficilem ob Sena-
tores quos largitionibus ſibi amicos reddiderat Ptolemæus, conciliato popu-
li favore, tentavit per partem Tribunorum ut ſibi Ægyptus Provincia Ple-
biſcito daretur quod Alexandrini Regem ſuum, ſocium atque amicum à
Senatu appellatum expulerant, quod de Alexandro intelligit, nam Ptolemæus
nec ſocius P. Romani tunc erat appellatus, nec à ſuis expulſus fuerat, ut om-
nibus Hiſtoricis notum eſt; ſed res vulgò improbabatur, nec obtinuit, adver-
ſante Optimatum factione.

Lagid. 260. Ptol. 11. Ægypti Regnum quod ſibi jure acquiſitum exiſtimabant Romani, de
Dion. 11. ipſo tandem occupando Tribuni plebis anno præterito Julii Cæſaris petitione
cogitabant: itaque P. Servilius Rullus ex iis unu extremos anni menſe legem
pro-

promulgavit Agrariam, ut Decemviri agros omnes quicumque extra Italiam, LAGIDAR.
L. Sulla, Q. Pompeio Coſſ. aut poſtea facti eſſent, venderent. Hæc tacitè an. 260.
Regnum Ægypti comprehendebat.

Cicero primo die Conſulatus ſui Kal. Januariis legem iſtam Agrariam in
Senatu reprehendit eleganti oratione; & altera ad Populum habita, præſente
ipſo Rullo aliiſque Tribunis Plebis diſſuaſit in dubio teſtamentum Regis
Alexandri pro Ægypti Regno revocans. *Video*, inquit, *qui teſtamentum factum
eſſe confirmet : auctoritatem Senatus extare hereditatis aditæ ſentio, tùm
quando Alexandro mortuo, Legatos Tyrum miſimus qui ab illo pecuniam depo-
ſitam noſtris recuperarent.* Quod ſi Alexandria petebatur, cur non eoſdem
curſus hoc tempore Decemviri tenuerunt. Poſtea addit *hæc L. Philippum*
Conſulem & Cenſorem, *in Senatu confirmaſſe memoria teneo.* Tempus
longinquum planè hoc denotat. Deinde ſubjungit. *Dicitur contra nullum
eſſe teſtamentum, non oportere P. Romanum* omnium Regnorum appeten-
tem videri.

Pompeium qui in bello Mithridatico ſucceſſerat Lucullo, illo devicto & Appian.
Tigrane genero, tenebat cupiditas Syriæ recipiendæ quam Lucullus Antio- Mith.
cho Aſiatico qui Romam pro Ægypti Regno venerat, permiſit, itaque Juſt. l. 4.
nulla illius Regis ratione habita, Regno Syriæ cum numquam de P. Romano
malè meritum privavit.

Hoc anno Cleopatra Ptolemæi ſoror & uxor defuncta videtur ex qua App. ibid.
tres habuerat filias Tryphænam, Berenicen & Cleopatram ſi ipſi Mi-
thridatis, & fratri Cypri Regi Nyſſa Regis Mithridatis filiæ deſponſæ
ſunt.

Cum verò Pompeius Cœleſyriam obiret præſtò fuerunt ei Legati ex univerſa Joſeph. Ant.
Syria & Judæa, venit & ex Ægypto Legatio cum corona facta ex aureorum lib. 14. c. 5.
quatuor millibus; Deinde vocatus à Rege contra ſeditioſos & donatus muneri-
bus & pecuniis & veſtimentis in uſum totius exercitus, Ægyptum tamen Appian.
non adiit. pag. 251.

Pompeio nuntius è Ponto venit Mithridatem à Pharnace filio ad mortem
eſſe coactum ſignificans : Duæ autem ejus Regis filiæ quæ apud eum educa-
bantur Mithridatis & Nyſſa Ægypti Cypríque deſponſæ, ut mox dictum
eſt, Regibus enixè patrem rogarunt, ut ante illum potionem venenatam ſu-
merent, vetabántque bibere, donec ipſæ hauſiſſent, & has quidem veneni
vis penetravit continuò, veneni autem vis in Rege nihil agens ad gladium con-
fugere coactus ille fuit.

Pompeius contra Ariſtobulum bellum nunc gerebat, Ptolemæus octona Plin. lib. 33.
millia ejus equitum ſua pecunia toleravit & mille convivas totidem aureis cap. 10.
potoriis, mutantem vaſa cum ferculis ſaginavit & veſtimenta in uſum totius
exercitus cum muneribus & pecuniis donavit : hócque pacto ſibi Pompeium
devinxit qui ipſi poſtea in rebus ſuis omninò favit.

Accepto de Mithridatis morte nuntio, Rex enim ille Mithridatim & Nyſſam Lagid. 261.
filias deſponderat priorem Ptolemæo Ægypti Regi, alteram verò Ptolemæo Ptol. 11.
Principi Cypri mortuis etiam illis, Ptolemæus uxorem cujus nomen ignora- Dion. 12.
tur ſibi copulavit, cùm ex priore nullos haberet filios, ex qua poſt novem ma- App. Mithr.
trimonii menſes Ptolemæum habuit qui cum ſorore Cleopatra Rex appella- pag. 248.
tus eſt.

Inter præclara Mithridatis ſupellectilia in Pompeii triumphi Pompa Romæ Lagid. 262.
tranſvecta, pretioſa illa de Ptolemæorum Regum Gaza, quæ Cleopatra Ale- Ptol. 11.
xandri Regis uxor apud Coos fugiendo exportarat, obſervata ſunt, quæ Mi- Dion 13.
thridates quum Inſulam Con ceperat, abſtulerat. Hiſtor. part. 1.

Diodorus Siculus Olympiade centeſima octogeſima anno decimo quarto Lagid. 263.
Ptolemæi novi Dionyſi Ægyptum inviſit.

LAGIDAR. Ptolemæus Pompeii amicus factus, per eum Julii Cæſaris qui Ægyptum an. 263. nuper adminiſtrandam enixè poſtulabat, amicitiam ſibi comparavit: nam Ptol. 11. Dion. 14. Lucullus cujus acta reſciderat Pompeius, cùm multa quæ Regibus, dynaſtis, & civitatibus ipſe conceſſerat, ne in Senatu rata eſſent, ſe opponebat cum amicis, inter quos Craſſus erat; Pompeius autem ſocium ſibi adjunxit Cæſarem qui ex Hiſpania reverſus Conſulatum petebat: mox per Cæſarem Craſſus Pompeio reconciliatus eſt, & hæc unio Tricipitum Pompeio admodùm utilis fuit.

Dio lib. 42. Ptolemæo natus eſt filius primus quippe qui erat tredecim annorum quando in Nilo ſubmerſus eſt.

Lagid. 264. Ptol. 11. Dion. 15. Julius Cæſar Pompeii, Craſſi & amicorum prenſatione Conſul deſignatus hoc anno Magiſtratum Kal. Januariis cum Bibulo init, qua de re Pompeius Ptolemæum monuit qui Dioſcoridem & Serapionem Legatos Romam miſit ut à Plutarch. in Antoo. Senatu Regnum illi confirmaretur & ſocius & amicus P. Romani diceretur, ſed ut id obtineret magnam in Romanos pecuniæ copiam impendit, interquos Julius Cæſar Pompeiique nomine Ptolemæo propè ſex millia talentorum abCap. 15. ſtulit; ita ut Rex 1750. Myriadas Cæſari debuerit, & Suetonius jure Cæſareo in Conſulatu ſuo ſocietates & Regno pretio dediſſe dixerit.

Cæſ. Commen. lib. 3. Ptolemæus itaque ex lege & S. conſulto in Regno confirmatus amicus & ſocius appellatus eſt & fœdus in Capitolio initum fuit; ſic Ægypti Regnum Julius Cæſar confirmavit Conſul, de quo Ædilis cogitarat, ſed debiti partem Ptolemæi liberis poſt ejus mortem condonavit.

Lagid. 265. Ptol. 11. Dion. 16. Ægypti Regno à Senatu Ptolemæo conſignato, cùm Rex magnam pecuniæ ſummam, quam mutuo à quibuſdam Romanis acceperat, inter quos Rabirius ex equeſtri ordine in Albano multùm ei conſtituerat, & ſuam recuperare vellet, gravia Ægyptiis tributa impoſuit, qua de cauſa in eorum odium incidit.

Lagid. 266. Ptol. 11. Dion. 17. Plut. in Caton. Dio lib. 39. P. Clodius Tribunus Plebis factus cùm animadvertiſſet Ptolemæum Cypri Regem poſt confirmatum à Senatu fratri ſuo Ægypti Regnum parùm de Cypri Regni confirmatione ſollicitum eſſe, quod ab Alexandro Rege P. Romano datum teſtamento contendebat, memor paucæ pecuniæ quam pro ipſius à Piratis redemptione miſerat, legem tulit, uti Cyprus Inſula in Provinciæ formam redigeret, bonáque Regis Ptolemæi publicarentur, & M. Catoni ea Provincia cum titulo Quæſtoris & poteſtate Prætoria mandaretur.

Ab eo tempore quo Ptolemæus Lagi F. Ægyptum obtinuit, Cyprus etiam in ejus ſucceſſorum quoque poteſtatem fuerat adjuvantibus ſæpè Romanis, Cicer. pro Sextio & pro domo ſua. cui Reges ſuos fratres natu minores præficiebant. At Ptolemæus ille qui quum Auletis frater eſſet, in eadem cauſa verſabatur, jam erat à Senatu honorem iſtum conſecuturus, eodem genere, iiſdem majoribus, eadem vetuſtate, ſocietatis denique erat Rex. Si nondum ſocius at non hoſtis, pacatus, quietus, fretus Imperio P. Romani, Regno paterno atque avito, regali otio perfruebatur, de hoc nihil cogitante, nihil ſuſpicante, Regnum ſuum cum bonis omnibus publicatum à Romanis audit, contra ipſos arma ſumere, inutile judicans, ad Ægyptios mittit.

Dio lib. 39. Cùm Alexandrini legem P. Clodii, quæ Cypri Regnum in Romanam Provinciam redigeret, accepiſſent, Regem ſuum ſollicitarunt, ut Cyprum à Romanis poſceret aut eorum amicitiæ renuntiaret, & ab iis Romam mittere juſſus eſt, itaque nec parebat nec Legatos mittebat; nam id conſenſiſſe credebatur, ſed quum iis perſuadere ut quieſcerent, neque vi eos adigere, non Plutar. in Pompeio. poſſet conductitios enim milites nullos habebat, ex Ægypto aufugit. Timagenes verò Alexandrinus, qui à Gabinio bello captus in urbem deductus, & à Fauſto redemptus eſt, Hiſtoriam Romæ ſcripſit & Ptolemæum non à Populo ejectum, ſed ſine cauſa & nulla compulſum neceſſitate diſceſſiſſe affir-

affirmat, ac Theophanis Leſbii Pompeii familiaris ſuaſu, qui ad Regem ſcripſit quæſtus occaſionem, & novorum bellorum materiam parantis, Ægyptum reliquiſſe. LAGIDAR. an. 266.

Cato per Canidium amicum quem præmiſit in Cyprum, egit cum Ptolemæo ejus Inſulæ Rege, ut ſine certamine cederet: oſtenſa ſpe neque inopem, neque abjectum ipſum victurum, Sacerdotium enim Veneris Paphiæ Populum R. ei daturum: Interim Rhodi Cato ſubſtitit ſimul & apparatui intentus & reſponſum opperiens. Id. in Catone Min.

Auletes interea Rhodum appulit; ibique cùm Catonem convenire vellet, miſit ad eum, ſperans illum ad ſe venturum, is verò Ptolemæum juſſit, ſi ei viſum eſſet, ad ſe accedere: poſtquam Rex venit, neque obviam ei Cato proceſſit, neque aſſurrexit, ſed quaſi unum de vulgo ſalutavit & aſſidere juſſit: id primum commovit illum qui miratus eſt tantùm in populari & exiguo ornatu ſupercilium & ſeveritatem. Ubi ſermonem deinde de rebus ſuis exorſus eſt, incuſavit eum Cato quòd tanta relicta felicitate, tantis ſeſe ſubjeciſſet indigntiatibus, laboribus, largitionibus, & avaritiæ Principum Romanorum; quos redacta in argentum Ægyptus vix eſſet expletura: conſulebátque ut cum claſſe reciperet ſe, & cum civibus rediret in gratiam quòd non ejectum ex Regno Regem ſuadere videtur, comitem ſe ipſum offerens Cato & in reconciliando adjutorem. Rex quaſi ex inſania & amentia, ab ea oratione ad mentem reductus, veritate perſpecta & Catonis prudentia, inſtituit illius uti conſiliis. Ceterùm averſus iterùm ab amicis, Romam ire ſuſcepit. Ibid.

Rex Cypri cùm Ægyptios & fratrem pro ſe arma ſumere non animadverteret, neque Regno exutus vitam ſibi ferendam duceret, omni pecunia impoſita navibus, in altum maris proceſſit, ut Claſſe perforata ſuo arbitrio periret, & ut hoſtes præda carerent, non ſubſtituit mergere aurum & argentum, ſed futurum ſuæ necis præmium, domum revexit, hauſtóque veneno vitam finiit. Val. Max. l. 9. c. 4.

Alexandrini profectionem Regis ſui in Italiam ignorantes, mortem oppetiiſſe arbitrati, Regno Cleopatram, dictam etiam Tryphænam & Berenicen ejus filias majores, ſimul præfecerunt, Menelaúmque & Lamponem & Callimandrum ad Antiochum Aſiaticum, quem ſuprà diximus à Senatu Ægypti Regnum ut legitimum heredem petiiſſe, & Syriæ Regno mox à Pompeio privatum miſerunt, ut ille ſimul cùm feminis regnaret, ſed ille morbo correptus interierat; deinde Seleucum fratrem ejus qui cum illo Romam profectus erat, pro Berenice accerſerunt. Porphyr. Gr. Euſeb.

Cato Cyprum venit, quem haud gravatim Cyprii receperunt, pro ſervis ſe jam deinceps amicos ſociósque P. Romani futuros ſperantes, ſed Cyprus facta eſt Provincia Prætoria cum Cilicia juncta, Cato autem amplum & Regium in poculis, menſis, gemmis purpura invenit in Regia apparatum, quem cùm diſtrahendum & redigendum in argentum curaviſſet, paulò minus ſeptem millia argenti talentum inde coegit: unde Ammianus magis avidè quàm juſtè hanc Inſulam P. Romanum invaſiſſe & Regem ob ærarii anguſtias ſine ulla culpa proſcriptum fatetur. lib. 14.

Ptolemæus Auletes Romam profectus à Pompeio domi receptus eſt, qui eum Senatui commendavit ac de reductione ejus egit Rex ſe à ſuis ejectum quæſtus eſt, petiitque ut à P. Lentulo Spinthere tunc Conſule, cui Provincia Cilicia mandata erat, reſtitueretur; itaque ut ad fores unius acceſſit in Magiſtratu poſiti, deflevit inconſulta ſua cœpta, quod divina Catonis faſtidiviſſet Oracula: porrò referente Lentulo, ut ab eo reduceretur, Senatuſconſultum factum eſt. Lagid. 267. Ptol. 11. Dion. 18. Strab. l. 17. Dio. l. 39. Plut. in Cat. min. Cicer. Ep. lib. 1.

Cùm accepiſſent Alexandrini per Legatos Antiochum Aſiaticum quem

LAGIDAR an. 267. Porphyr. in Græc. Euſeb. pag. 227. ad regnandum cum Ptolemæi filiabus vocaverunt, Philippum Evergetem Antiochi Grypi & Tryphænæ alterius ſororis Ptolemæi Lathyri filium qui etiam per matrem Ægypti Regni heres erat legitimus, ad habenas illius capeſſendas arceſſerunt, ſed à Gabinio Syriæ Præſide eſt cohibitus.

Strab. l. 17. Dio. l. 39. Interea Alexandrini Ptolemæum eos Romæ accuſare compererant, & centumviros in eam ablegarant, cujus Princeps erat Dio Academicus qui & contra ejus accuſationes ipſos defenderent, & viciſſim ipſum de illatis injuriis accuſarent, ſed Ptolemæus emiſſis in omnes partes certis hominibus, Legatis inſidias poſuit ac pleroſque in ipſo itinere interfecit; ceteros partim in ipſa urbe occidit, partim injecto terrore, aut pecuniis corruptos, eo perduxit, ne cauſam cujus gratia miſſi erant, apud Magiſtratus agerent, ullámre interemptorum mentionem facerent.

Ibid. Cæterùm ea res in tantum rumoribus vulgo jactabatur, ut Senatus vehementer indignaretur præſertim movente eos M. Favonio, quòd multi ſociorum Legati Romam miſſi, perrim vita ſpoliati eſſent: & quòd magnus eo tempore Romanorum numerus qui muneribus corrupti fuiſſent. Igitur Principem Legationis Dionem ad ſe vocaverant, ut ab eo de veritate rei certiores fierent; ſed adhuc tantùm pecunia poterat Ptolemæus, ut neque Dio in Senatum venerit; neque ulla de cæde interemptorum mentio, quandiu ipſe Romæ fuerit, fieret.

Cicer. pro Cælio. Dio ut ſup. Ipſe verò Dio quoque, qui tum apud L. Luceium, à quo Alexandriæ fuerat cognitus, habitabat, per inſidias necatus eſt, cujus cædis neque P. Aſcitius, qui ejus conſcius accuſabatur, neque Rex ullas pœnas dedit. Judicio enim liberatus eſt Aſcitius: Regem vero Pompeius enixè juvabat, qui eum domi ſuæ acceperat.

Cleopatra alio nomine Tryphæna cum ſorore Berenice Ægypti Regno præfecta, poſt alterum à diſceſſu patris annum, obiit, & Berenice ſola regnavit, etſi Cleopatra Antonii altera ei eſſet ſoror, fortè multò junior, aut vellent Alexandrini Berenice Maritum & Regem dare, interea illi homines, & ejus parentes pro rerum adminiſtratione collocarunt, dum Seleucum Antiochi Syriæ Regis fratrem, nuper mortuum qui cum eo ut diximus de Ægypti Regno à Senatu poſtulando Romam iverat, arceſſerent.

Lagid. 268. Ptol. 11. Dion. 19. Ptolemæus qui S. C. per Lentulum Spincterem Ciliciæ & Cypri Proconſulem, in Regnum reduci debebat, ex urbe profectus erat, eúmque ſequutus erat Rabirius eques ejus creditor inſignis; Spincter verò parabat iter cum ſtatua Jovis in Albano anni initio cœlitus tacta eſt, quæ Regi reſtitutioni aliquantùm moræ injecit; cum Sibyllini libri conſulerentur ita ſcriptum in iis invenerunt. *Si Rex Ægypti auxilii alicujus indigens venerit, amicitiam ei ne denegaveritis, nullis autem copiis eum adjuveritis: ſin ſecus feceritis, labores & pericula habebitis.* Admirati ita ad rem præſentem congruerè omnia quæ de eo decreta fuerant facta, antiquarunt, C. Catonem ſequuti, atque id ipſum Oraculum in populum evulgatum eſt.

Ibid. Non licebat Sibyllinum ullum carmen populo enuntiare, niſi id Senatus decreviſſet; nam ut primùm Oraculi ſententia (quod fieri aſſolet) vulgò innotuit, veritus Cato ne id ſupprimeretur, XV. viros ad plebem produxit: ac priuſquam Senatus quicquam ſtatueret, eos coegit Oraculum exponere. Quantò enim minus id ei licere videbatur, tantò magis, id plebs urgebat. Igitur ea ſententia fuit Oraculi, redditúmque latinè, enunciatum eſt.

ad Fam. 1. Cicer. ep. 4. Hæc tamen opinio P. Romani fuit ut à Lentuli Spincteris obtrectatoribus nomen fictæ Religionis fuiſſe, neque tam ut illum impedirent, nequis propter exercitus cupiditatem (quam inter alios Pompeius maximè ambiebat,) Alexandriam vellet ire.

Alexandrini tandem Seleucum è Syria ad Berenicem adduxerunt pro matrimo-

trimonio contrahendo, cùm jam ex Ptolemæorum ſtirpe per matrem Selenem eſſet, ſed omninò ſordidus & avarus populis viſus eſt, ut Alexandrini eum Cybioſactem (ut poſtea Veſpaſianum) appellarint: ille autem aureum alveum in quo Alexandri M. corpus à Ptolemæo Lagi F. ſepultum eſt, rapuit, & vitreum ſubſtituit; ſed nulla è præda utilitatem percepit: nam eum Berenice intra paucos dies ſtrangulavit, cùm illius ſordes, illiberalitatémque pati non poſſet. LAGIDAR. an. 168. Strab. l. 17. p. 795. & 796.

Romæ Ammonius Ptolemæi Legatus, reductionem Regis per Spincterem apertè pecunia oppugnabat. Pauci illi qui Regis cauſæ benè volebant, omnes rem ad Pompeium deferri volebant, Senatus Religionis calumniam, non Religione, ſed malevolentia, & illius Regiæ largitionis invidia, comprobabat, & quaſi rei Religionis obſiſti jam non poſſet, factum eſt Senatuſconſultum, cum multitudine Regem reduci, periculoſum Reipublicæ videri. Cicer. ep. 1. & 2. ad Fam.

* Ptolemæus Oraculo intellecto litteras A. Plautio Plebis Tribuno mandavit, quas publicè ille recitavit, his autem petebat Rex, ut pro Lentulo Pompeius cum duobus lictoribus ad ſe reducendum mitteretur: inventi ſunt etiam libelli per forum & in curia diſſeminati, quibus idem ſignificabatur. Tulit ideò Caninius Plebis alter Tribunus legem, ut ſine exercitu Pompeius duobus lictoribus comitatus Regem eum Alexandrinis in gratiam reduceret. Quæ lex non videbatur diſplicere Pompeio: verùm eam Senatus honeſta ſpecie exploſit, nam veriti Senatores ne ipſa res eum adhuc majorem efficeret, ſub prætextu mandatæ annonæ, ei obſtiterunt. Dio. l. 39. Plut. in Pomp. Dio. l. 39.

In Senatu autem hac de re ſæpè actum eſt, & variæ fuerunt ſententiæ, Hortenſius Cicero & Lucullus cenſuerunt ut Lentulus Spincter Ciliciæ Præfectus Ptolemæum ſine exercitu reduceret, Servilius verò reduci eum omninò negavit oportere. Bibulus, ut à tribus Legatis, ex iis qui privati eſſent; Craſſus, ut à tribus Legatis, ſive primatis, ſive in imperio conſtitutis: aſſenſiſunt Bibulo reliqui Conſulares Volcatius, Lupo Plebis Tribuno referente, Pompeio decrevit, Volcatio Affranius aſſenſus eſt. Libo & Hypſæus, & Pompeii familiares concurrerunt. Cic. Fam. l. 1. ep. 1. 2.

Iterum coactus eſt propterea Senatus, & cum ſententia prima Bibuli eſſet pronunciata, ut tres Legati Ptolemæum reducerent, ſecunda Hortenſii ut Spincter ſine exercitu Regem reduceret, tertia Volcatii ut Pompeius illum comitaretur Alexandriam, poſtulatum eſt ut Bibuli ſententia divideretur, quatenus de Religione dicebat, cui quidem rei quia jam obſiſti non poterat, Bibulo aſſenſum eſt de tribus Legatis frequentes ierunt in alia omnia. Proxima erat Hortenſii ſententia, cùm Lupus, quod ipſe de Pompeio retuliſſet, contendere cœpit antè diſceſſionem facere, quàm Conſules. Ejus orationi vehementer ab omnibus reclamatum eſt, erat enim iniqua & nova. Conſules neque concedebant, neque valdè repugnabant, diem conſumi volebant: id quod factum eſt, hácque controverſia uſque ad noctem ducta, Senatus eſt dimiſſus.

Pompeius apud Populum in cauſa Milonis clamore convitióque jactatus, & in Senatu à Catone acerbè & aſperè, omnium magno ſilentio accuſatus; vehementer perturbatus eſt, unde Ptolemæi cauſa videbatur ab illo eſſe depoſita; & Regem multi ipſum deſeruiſſe credebant: interea Ptolemæus cum intellexit, ſeſe quod cogitabat, ut à Pompeio reduceretur, aſſequi non poſſe, & niſi per Lentulum Spincterem eſſet reſtitutus, deſertum ſe atque abjectum exiſtimans, ex Epheſo, unde commorabatur, ad illum proficiſci deſtinabat. Id. ep. 5.

Berenice poſt occiſum Seleucum ejus maritum, alius quærebatur Regio ſanguine natus, cùm Archelaus qui è Cappadocia in Syriam miſſus & Ga- Strab. l. 15. & 17.

LAGIDAR an. 268.

binio ejus Provinciæ Præſidi amicus factus, in ſpem venerat ſe ei ſocium in bello Parthico quod ille parabat, futurum; ſed ſpe ſua, Senatu Romano non permittente, decidit: aliam verò potiorem reperit, per amicos enim quoſdam, eo neſciente ad Ægypti Reginam deductus eſt: ſimulavit autem ſe filium eſſe Mithridatis Eupatoris; Rex itaque declaratus eſt: vir quidem rebus gerendis aptus, acris & magni nominis, mox ad Ægyptum contra Romanos tuendam, ingentem claſſem comparavit.

Cicer. ad lib. 1. ep. 7.

Interea Senatuſconſultum nullum extabat, quo Ptolemæi reductio Lentulo Spincteri adempta eſſet, & ille perſpicere poterat, qui Ciliciam Cyprúmque tenebat quid efficere & quidconſequi poſſet, & ſi res facultatem habitura videretur, ut Alexandriam atque Ægyptum tenere poſſet, eſſe & ſuæ & Romani Imperii dignitatis, Ptolemaide, aut aliquo propinquo loco, Rege collocato, illum cùm claſſe atque exercitu proficiſci Alexandriam, ut cùm eam pace præſidiiſque firmaret, Ptolemæus redeat in Regnum & ſine eo, ut & per illum reſtituatur, quemadmodum Senatus initio cenſuit, & ſine multitudine reducatur, ſicut homines religioſi Sibyllæ placere dixerant.

Id. Fam. l. 1. ep. 8.

Cato Tribunus legem interea promulgavit de imperio Lentuli abrogando, veſtimentum filius mutavit; quam verò promulgationem tulit ille, ob pactionem fortè ſecretam cum Ptolemæo nitam: unde timor Lentuli amicis,

Id. l. 1. ep. 5.

ne aut eriperetur à Senatu Regia cauſa, aut deſereretur: Quod ſi res ita foret, iis quiddam tertium videbatur, ut neque jacere Regem paterentur, nec ipſis repugnantibus ad Lentulum deferri, ad quem probè jam delatum eſſe exiſtimarent: ſed cùm Lentulus nihil pro Rege moliretur, & Ptolemæus Pompeium ſollicitaret, ab ipſo literas ad Gabinium Syriæ Præſidem commendatitias accepit.

Lagid. 269. Ptol. 11. Dion. 20. Joſeph. Ant. l. 14. c. 11. Dio. l. 39. Plut. in Anton.

Ptolemæus ad Gabinium expeditionem in Parthos parantem & jam Euphratem fluvium trajicientem cum literis Pompeii advenit, mutatáque ſententia, ipſum in Ægyptum reducere viſum eſt. Rex tum Gabinio, tum exercitui, poſtquam reſtitutus eſſet, daturum ſe magnam pecuniæ copiam promiſit, plerique Duces refragati ſunt, & Gabinius bellum hoc dubitavit ſuſcipere, ſed vehementer decem millibus talentum mancipatus erat, cùm Antonius rerum avidus magnificarum, Ptolemæo cupiens roganti gratificari, præſtò fuit ad inducendum atque incendendum Gabinium ut hoc bellum ſuſciperet.

Dio. lib. 39.

Lege cautum erat primùm, ne quis Præfectus extra Provinciæ fines proficiſceretur, deinde ne quod ſuo arbitrio bellum ſuſciperet: ad hæc & Populus & Sibylla interdixerant, ne Ptolemæus reduceretur: ſed Gabinius quantò magis id vetitum ſciebat, tantò majorem inde quæſtum faciebat: itaque relicto in Syria filio Siſenna, admodum parvo natu, cum perpaucis militibus in Ægyptum profectus eſt.

Plut. in Anton.

Hircanus & Antipater Gabinium frumento, pecuniis & auxiliis adjuverunt cùm iter per altum & ſitiens ſabulum eſſet faciendum cura eluviem & Sirbonidis paludes quas Typhonis exhalationes vocant Ægyptii, miſſus cum equitatu

Joſeph. Antiq. lib. 14. c. 11.

M. Antonius, non modò anguſtias occupavit, ſed Peluſium profectus, amplam urbem cepit, Judæis eam accolentibus in ſocietatem pertractis Antipatri conſilio.

Dio. lib. 39.

Redacto itaque in poteſtatem Peluſii præſidio, Antonius ſimul iter præſtitit exercitui ſecurum & ſpem Gabinio victoriæ firmavit. Cùm autem Ptolemæus ſimul atque Peluſium iniit; ira & odio inflammatus inſtituiſſet trucidare, interceſſit, & id prohibuit Antonius; rumor inde Puteolos venit circa

Cicer lib. Ep. 4. ad Attic. 9.

IV. Kal. Maias Ptolemæum eſſe in Regno.

Dio. lib. 39.

Gabinius Peluſio, duplici acie inſtructa progreſſus, eadem die Ægyptios occurrentes fudit, poterat ſtatim initio naſcens malum opprimere: nam Arche-

Digitized by Google

chelaum opinione citiùs occurrentem cepit, ut tum ab eo nihil negotii reſtaret, ſed veritus, ne quaſi nulla magna re geſta, minùs pecuniæ, quàm convenerat, acciperet; adhæc ſperans, propterea quod acris ac magni nominis Archelaus haberetur, majorem ſibi pecuniæ ſummam futuram: inſuper ab ipſo Archelæo magna vi nummorum accepta hominem quaſi is aufugiſſet, dimiſit. LAGIDAR. an. 269.

Antonius in præliis & certaminibus quæ poſtea magna & crebra commiſſa fuerunt inter Romanos & Ægyptios, multa virtutis & conſilii Imperatorii facta edidit: liquidiſſimè autem cùm circumdedit & circumvenir à tergo hoſtes, quare victoriam in frontem incurrentibus paravit: Gabinius tandem & flumen claſſe & armis obtinuit: nam Alexandrinis quidem ad audienda omnia ſatis eſt animorum, naturâque ſunt ad temerè verbis exequenda, quæcumque ſibi propoſuerint, promptiſſimi iidem ad bellum, ejúſque labores omnium ineptiſſimi: quanquam in ſeditionibus (quæ apud eos & frequentiſſimæ & maximæ eveniunt) ad cædes ſubinde declinant, contendendique (de re propoſita) ſtudio vitam maximè contemnant, in iiſque perire, bonum quoddam in primis expetendum exiſtiment. Plutarch. in Antonio. Dio ut ſuprà.

Alexandriæ tandem Populum Archelaus contra Gabinium obſidionem urbis parantem ex mœnibus eduxit: at cùm caſtra vallo atque foſſa cingere juberet, univerſus ſucclamavit, ut id opus pecunia publica faciendum locaretur: quapropter deliciis tam enerves animi ſpiritum exercitus Romani ſuſtinere non potuerunt: iis igitur victis Gabinius occiſóque præter alios Archelao, cepit Alexandriam, & è veſtigio omni Ægypto potitus eſt. Val. Max. l. 9. c. 1.

Non obſcura ad vulgus humanitas M. Antonii adverſus Archelaum defunctum extitit; nam cùm familiaritas ei cum illo, & jus hoſpitii interceſſiſſet, bellum cum vivente geſſit neceſſariò, corpus interfecti requiſitum cultu Regio funeravit. Hinc magnam ſui nominis memoriam Alexandrinis reliquit, & apud milites Romanos habitus eſt fortiſſimus: Archelaus autem Ægypti Regno per ſex menſes potitus eſt. Plut. in Anton.

Gabinius Alexandriam Ptolemæo reddidit, eóque in hunc modum redueto, Gallos milites præſidii cauſa in urbe apud Regem reliquit & in Syriam protinùs reverſus eſt, nihil de his actis Romam per litteras nuntiavit. Dio lib. 39.

Ptolemæus Regno reſtitutus paterni amoris immemor Berenicen filiam quod Regnum uſurpaſſet ipſo vivente, interemit, primum ac locupletiſſimum quemquam, ut qui plurima pecunia opus haberet, quod eam Reginam ut & ſororem Tryphænam appellaſſent pariter occidit: ab urbis profectione uſque ad ipſius reditum effluxere tres anni, unum Tryphæna & Berenice ſimul regnantibus, & duobus hac ſola vel cum maritis imperante.

Rabirius Poſtumus eques Romanus, Ptolemæo Regi pecuniam crediderat antequam Romam veniſſet, tum ipſi egenti quando Romæ morabatur, nec temerè credere putabat, quod erat nemini dubium, quin is in Regnum reſtitueretur à Senatu, quod quum non obtinuiſſet Rex, Rabirius Ptolemæum ſequutus eſt, & ne quod crediderat, perderet, factus eſt Diocætes Regis, & Pallium ſumpſit. Cicero pro Rabirio.

Dies quidem Gabinio dicta eſt, quod ille invita Republica & Oraculo neglecto Ptolemæum reduxiſſet.

Hircanus Judæorum Pontifex Ptolemæi amicus qui Gabinii exercitum propter Regem adjuverat in Regno reducem Alexandriæ remiſit, eum magnificè excepit & cum Ptolemæo cœnaret à Tryphone Regis ſcurra dicterio laceſſitus eſt, cujus ſapiens reſponſum Rex admiratus eſt, ejúſque urbanitatem approbans, omnes applaudere juſſit. Lagid. 170. Ptol. 11. Dion. 21. Id. ut ſup. Suidas nomen ΠΤΟΑ.

Domi-

LAGIDAR. an. 270. Ptol. 11. Dion. 21.

Domitio tandem & Appio Coſſ. in Italiam reverſus eſt Gabinius, tres eum factiones poſtularunt, ac primùm de Ptolemæi reductionis crimine cognitum eſt: in ea actione univerſus ferè populus ad tribunal confluxit, ſæpiúſque illi eum diſcerpere animus fuit quòd ob reſtitutum Ptolemæum Deos ſibi iratos arbitrarentur: Gabinius autem ſe Regem reduxiſſe dixiſſe Republicæ causâ, quòd claſſem Archelai timeret, cùm mare refertum fore prædonum putaret: Lege etiam id ſibi licuiſſe protulit.

Iidem. ibid.

Socii Pompeii & Cæſaris Gabinio promptiſſimè opitulabantur: aliud tempus, aliúmque Regem à Sibylla indicatum dicentes: eóque maximè nitebantur quòd nulla in eo carmine rei perpetratæ pœna erat aſſignata: à 70. Judicibus lis acta, Gabinium 32. condemnarunt, & 38. abſolverunt. Parùm abſuit quin ipſos judices interfecerit.

Lagid. 271. Ptol. 11. Dion. 22. Suet. in Claudio.

Rabirius familiares ſuos in vincula à Ptolemæo conjectos ubi vidit, mors ei ob oculos ſæpè verſata eſt, itaque nudus atque egens ad extremum fugit è Regno, ſed quum Romam venit à C. Memmio accuſatus eſt, quòd Gabinium Alexandriam proficiſci impulerit, quòd Diocætes Regis factus pallium geſſerit, & pecuniam Gabinio ſibique ex imperatis tributis coegerit. Defendit eum Cicero.

Lagid. 272. Ptol. 11. Dion. 23. Cic. Fam. 1. 6. ep. 4. Cæſ. Civ. bel. lib. 3.

Ptolemæi mors Romæ nuntiata eſt Kal. Sextil. Sulpitio & Marcello Coſſ. Tabulæ teſtamenti, Regis per Legatos Romam allatæ ſunt, ut in ærario ponerentur (eæ quum propter publicas occupationes poni non potuiſſent, apud Pompeium depoſitæ) alteræ eodem exemplo relictæ, atque obſignatæ, Alexandriæ ſervatæ ſunt. In hoc teſtamento heredes erant ſcripti ex duobus filiis, major & ex duabus puellis, ea quæ ætate antecedebat. Hæc uti fierent, per omnes Deos, pérque fœdera quæ Romæ feciſſet, eodem teſtamento Ptolemæus P. Romanum obteſtabatur. In eo pariter præcipiebatur, ut more majorum apud Ægyptios, inter ſe quidem illi matrimonio jungerentur Regnúmque tenerent, ſed ita tamen ut ſub tutela P. Romani eſſent.

Chron. Alex. Porphyr. Gr. Euſeb.

Ptolemæus novus Dionyſius duas habuiſſe videtur uxores priorem nempe Cleopatram ſororem ex qua tres filias ſuſcepit, Tryphænam, Berenicen, & ut opinamur Cleopatram, ſi quidem hæc nata erat, antequam Mithridatis filia Mithridatis Regis Ptolemæo parti deſponſa veneno ſibi vitam cum patre eripuiſſet, ex altera anonyma duos filios & Arſinoen.

App. Mithrid.

Lucian. de non temerè cred.

Forſan quòd Dionyſus fuerit appellatus, Dionyſiorum mollitiem muliebriter ſectatus eſt, & inſtita muliebri amictus, ad numeros dithyrambicos Cymbalorúmque modo ſaliit. In arte quoque Choraulica ſe exercuit, ideò Auletes, per ludibrium vocatus eſt, in ea adeò ſe jactavit, ut non pigeret eum certamina in Regia celebrare, ad quæ ipſe cum aliis concertaturus prodierit: unde Cicero cum ratione de illo dixit, non animo Regio eſſe qui neque genere erat Regio.

Strabon. lib. 17.

Orat. 2. de leg. Agraria.

Princeps fuit populis odioſus, quum plurima tributa illis impoſuerit, & ita eos vexavit, ut ſeditiones contra illum excitarint, & tandem è Regno expulerint. Crudeliſſimus fuit quippe, Berenicen filiam occidit, & primum ac locupletiſſimum quemque civem, ob eorum divitias corripiendas.

Hujus Ptolemæi Hiſtoriam ſcripſit Gallicè V. Cl. Baudelotius Pariſinus anno 1698.

EX



EX MUSÆO NOSTRO.


Caput Regis diademate inſignitum & Chlamide ornatum ; in averſa parte Aquila fulmini inſiſtens cum epigraphe ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ , ſine aliis literis in area.

Satis frequens hic æneus ex modulo minimo nummus Regis Ptolemæi , in Antiquariorum cimeliis occurrit, quem Illuſtres illius veteris ſupellectilis ſtudioſi Fr. Gottifredus & Leon. Agoſtini olim Romani, Ptolemæo Cleopatræ illius celebris patri adjudicabant, hanc etiam ſententiam ſequutus eſt noſter Seguinus, & nuper V. Cl. Baudelotius, ſed in hoc Principe ne ΑΥΛΗΤΟΥΣ id eſt Tibicinis cognomen cum Goltzio quæras illud eſt ludibrii , & non in publicis monumentis apponi minimè ſolitum ut & ſuperiora Regum ΦΥΣΚΩΝΟΣ & ΛΑΘΥΡΟΥ.

Ego verò ab illis celebribus Romanis ſtatuam ejus Ptolemæi Romæ in villa quadam eſſe repertum accepi , cum illius cognominis ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΝΕΟΥ ΔΙΟΝΥΣΟΥ appellatione, quæ ſimilem ut in nummo viſitur, imaginem exhibebat.

Obſervandum in hujus Ptolemæi nummis literam L. , quæ λυκάβαντος ſonat, id eſt anno, non reperiri, & ideò non alias literas pro numeralibus illius Regni accipiendas eſſe, ſi quidem anni pro certis ſine hac antiqua Græcorum litera L. pro Λ vulgari haberi non debent, ut nummorum Ægyptiorum uſus nos edocuit; ſed aliquam urbem in qua percuſſus eſt nummus forſan exhibet, ſed potiùs, ſi affirmare audeam , ſola Monetarii nota eſt , ut in noſtris officinis ſolet, præſertim quum ſola ſignatur.

Nec admittat pariter Lector, lauream pro diademate, in nummis hujus Ptolemæi, licèt radiis inſignem in ſequente nummo tulerit.



EX CIM. ILL. D. COLBERTI.

Caput Regis Corona radiata cum diademate ornatum ſupra humerum ſiniſtra tridens , in averſa parte cornucopiæ cum pendulis & Corona radiata cum literis ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ; in area verò ΔΙ. id eſt Διοπλιτῶν.

Inſignis eſt ille nummus non modò quùm ſit aureus & quidem tetradrachmalis, ſed qui exhibeat Auletem corona radiata illuſtrem cum tridente ſupra humerum. Ptolemæus Philometor ſe Deum in nummis Syriæ Regum exemplo, appellavit; hic non Dei nomenclationem, ſed illorum inſignia coronam nempe radiatam cum tridente ſub Neptuni effigie tanquam altero maris numine accepit, poſtquam Archelæi Berenices ſuæ filiæ mariti Claſſem (Cicer. pro Rabir.) profligaſſet, ſuperbum hoc victoriæ monumentum in nummis exhibere voluit.

Cornucopiæ, alterum Ægypti Regum ſtemma eſt, ut in nummis magnæ Berenices, & Arſinoes Philadelphi obſervavimus: Ægyptus autem adeò erat fertilis, ut inde opes & populis abundantia, cujus cornucopiæ eſt Symbolum.

Literas initiales in nummis ſignatas, præſertim quum duæ obſervantur, ad urbium nomina in quibus percuſſi ſunt nummi, hactenus revocavimus; has igitur interpretati ſumus Διοπολιτῶν. Duæ erant adhuc Adriani Principis ævo, hujus nominis urbes, teſtibus ipſius nummis ΔΙΟΠ. ΜΕ. L. ΙΑ. Διοπολιτῶν μεγάλων λυκάβαντος ιά, *Diopolitarum Magnorum anno* undecimo. Hæc quidem in Thabaïde celebris erat, inter quatuor quas enumerat Stephanus de Urbibus in Ægypto.

PTOLEMÆVS DIONYSVS,

REX ÆGYPTI. XII.



Ap. D. Foy Vaillant. D. M.
ex num. arg. dracm.

(Lagid 173. Ptol. Dion. 1.) PTolemæus Ptolemæi novi Dionyſi filius natu major ex teſtamento patris annos tredecem in circa, Ægypti Regnum ſuſcipit cum Cleopatra ſorore 17. annum attingente, quam ducere in matrimonium debebat, at

quum eſſet puer adhuc, in ejus procuratione erant, Pothinus ejus nutricius, Achillas militum Præfectus, & Theodotus Chius ejus præceptor in eam aſcitus; ob verò teſtamentum, quo illos ſub tutela P Romani pater poſuerat, Senatus Ptolemæum & Cleopatram ſocios declaravit. LAGIDAR. an. 273.

Quum M. Bibulus Syriam Proconſul obtineret, & ipſa Provincia Parthorum irruptione gravaretur, duos egregiæ indolis filios, quos in Ægyptum mandaverat, revocavit, ſed illos à Gabinianis militibus occiſos cognovit; quorum interſectores, ad eum vinctos Regina Cleopatra miſit, ut graviſſimæ cladis ultionem, arbitrio ſuo exigeret, at ille oblato beneficio, quo nullum majus tribui lugenti potuerat, dolorem moderationi cedere coegit, carnificéſque ſanguinis ſui, intactos è veſtigio ad Cleopatram reduci juſſit: dicendo, poteſtatem ejus vindictæ, non ſuam, ſed Senatus eſſe debere. Lagid. 274. Ptol. Dion. 2. Val. Max. l. 4 c. 1.

Ptolemæus quum decimum quartum ætatis annum attigiſſet, Memphi inauguratus eſt, & in memoriam patris qui novi Dionyſi cognomen habuerat, ſibi appellationem Dionyſi conſervavit, & ſic à patre ſublata *novi* nomenclatione, diſtinctus eſt in actis Regiis. Porphyr. Gr. Euſeb.

Orto civili bello inter Pompeium & Cæſarem, Pompeius Brunduſium profectus Corn. Scipionem ſocerum in Syriam & Cn. Pompeium majorem filium in Ægyptum ad comparandas copias miſit. Cleopatra beneficiorum à Pompeio erga patrem collatorum memor frumenti vim maximam illi miſit, & filio dum Alexandriæ claſſem ingentem comparati jubet, ejus amore capta, cum illo formæ commercium habuit: Pompeius itaque 500. Gallos Germanóſque, quos Gabinius in urbe præſidii cauſa apud Auletem reliquerat, adduxit, & naves 60. quibus præfuit. Lagid. 275. Ptol. Dion. 3. Plut. in Anton.

Propinqui & amici Ptolemæi rem indignam exiſtimantes ſub imperio eſſe feminæ & quòd illa omnia fratre contempto adminiſtraret, & ipſum Regno fraudare voluiſſet, mota ſeditione illam Alexandria ejecerunt. Cleopatra cùm Arſinoe juniore ſorore in Syriam ſeceſſit, exercitum ibi paratura. Iſidor. in Chron.

Claſſis Ægyptia quæ otioſa cum cetera Pompeiana ſtabat in Inſula Corcyra, ubi audivit prælium in Pharſalicis campis eſſe commiſſum Alexandriam reverſa eſt, & Ptolemæus, adverſus copias quæ Cleopatra ſoror collegerat obviam ivit, jámque Rex à Caſtris Reginæ non longo ſpatio diſtabat, quum ecce Pompeius qui à Cæſare victus in Ægyptum navi contendebat.

Ille de loco ad quem ſe reciperet poſt pugnam Pharſalicam conſilio capto; in Ægyptum navigare ſtatuerat ad Ptolemæum, cujus patrem per Gabinium Regno reſtituerat, & cujus nunc amicitiam in mittenda ad ſe re frumentaria & claſſe expertus erat. Sol erat ſub ſigno Libræ quum pervenit Peluſium verſus, ubi ventus illum detulerat, ar ubi in littore conſpecto Regis exercitu navigare deſiit, conjectánſque Regem adeſſe, ad eum miſit, ut pro hoſpitio, atque amicitia patris, Alexandria reciperetur, atque illius opibus in calamitate tegeretur.

Qui à Pompeio miſſi ſunt, confecto Legationis officio, liberiùs cum militibus Regis colloqui cœperunt, eóſque hortari, ùt ſuum officium Pompeio præſtarent, néve ejus fortunam deſpicerent. In hoc numero erant complures Pompeii milites quos ex ejus exercitu acceptos in Syria Gabinius Alexandriam, ut diximus, tranſduxerat, bellóque confecto ibi reliquerat. Cæſ. lib. 3. comm. Appian civ. bel. Dio lib. 42.

His tum cognitis rebus, Rex nihil reſpondit & amici illius qui in procuratione erant Regni, ſive timore adducti, ut poſtea prædicabant, ne ſollicito exercitu Regio, Pompeius Alexandriam Ægyptúmque occuparet: Id. ibid.

LAGIDAR an. 275. Plutarch. in Pomp. ſive deſpecta ejus fortuna, iisqui erant ab eo miſſi palam libenter reſponderunt, cúmque ad Regem venire juſſerunt: ipſi clam conſilium inierunt, quorum diſcrepaverunt ſententiæ, quatenus hi rejiciendum alii vocandum & recipiendum ſentiebant.

Id. ibid. At Theodotus facundiam & declamandi oſtentans facultatem, neutrum eſſe oſtendit explicatum, ſed ſi recepiſſent eum, hoſtem Cæſarem ipſos habituros & Pompeium Dominum ſin abegiſſent, in culpa futuros apud Pompeium, quòd ipſum repulerint: apud Cæſarem quòd non ſint perſecuti. Optimum ergo factum eſſe, ut accitum interficiant. Si quidem & illi rem gratam facturos, neque hunc formidaturos, adjecítque arridens, ***mortuum non mordere.***

Id. ibid. Poſtquam in eam ſententiam itum eſt, rem exequendam delegaverunt Achillæ. Hic Septimium quemdam, qui ordinem quondam duxerat ſub Pompeio, Salviúmque alterum Centurionem, præterea tres vel quatuor

Dio l. 42. miniſtros aſſumpſit. Ii verò, quo Pompeium deceptum minori labore interficerent, libenter ſe eum recipere dixerunt, Legatóſque ejus, bono animo ut eſſent, monitos deduxerunt: atque ita lembis exiguis conſcenſis, ad Pompeium provecti ſunt.

App. de bel. civ. lib. 2. Plut. in Pomp. Interim exercitus tanquam in hoſpitis honorem, ſecundùm littus, totus inſtructus in aciem, Ptolemæo in mediis verſante, conſpicuo veſte purpurea. Fortè omnes primò res eorum qui Pompeium comitabantur, conſcenderant ad eum, ut quid ageretur, conſpicerent. Ut videre non Regium nec ſplendidum, nec Theophanis congruentem ſpei receptum, ſed navi una piſcatoria, paucos homines venire, non Regem obvium, non purpuratorum aliquem, ſuſpectum eum contemptum habuerunt, monuerúntque Pompeium, dùm extra telorum jactum eſſent, retrorſum ut in ſalum ageret navem.

Id. ibid. Interea appropinquante navicula, prior aſſurrexit Septimius, ac latinè Pompeium Imperatorem appellavit, Achillas verbis Græcis ſalute data, hortatus eſt eum, ut in naviculam ſuam tranſiret, vadoſum prædicans mare eſſe, nec triremis patiens, quòd brevia ſabuloſa haberet, ſimul naves aliquot Regiæ compleri conſpiciebantur, & littus tenebant armati, ut nec elabi ſe, ſi mutarent conſilium, viderent poſſe: Accedebat, quòd percuſſoribus diffidentiam ipſam præbituri eſſent injuriæ colorem.

Id. ibid. Salutata ergo Cornelia, quæ exitum ejus jam antè deplorabat, duos Centuriones, ex libertis unum Philippum, & ſervum Scynem nomine, præ ſe in naviculam juſſit deſcendere. Porrigente dextram ei ex navicula Achilla, ad uxorem & filium converſus Sophoclis Iambica pronuntiavit.

Quiſquis domum elatam Tyranni acceſſerit,
Fit illius ſervus, licèt liber venerit.

Id. ibid. His poſtremùm quum ſuos eſſet affatus, ingreſſus eſt.

Satis amplo intervallo inter terram & triremem, ubi nemo eorum, qui in navicula erant, hilariter eſt Pompeium allocutus. Intuitus Septimium. Ecquid te, inquit, ego commilitonem quondam meum agnoſco. Ille tantùm capite annuit, non eſt affatus, nec benignitatem ei oſtendit ullam. Quum iterum jam immobiles ſilerent, tenens Pompeius in parvo libello conſcriptam ab ſe Græcam orationem, qua uti apud Pompeium ſtatuerat, eam cœpit legere.

Poſtquam terræ appropinquaverunt, Cornelia cum amicis ex navi anxia ſpeculabatur eventum, cœpítque ſuſtollere animos, quod ad deſcenſionem multos ex Regiis cerneret honoris & recipiendi ejus gratia concurrentes: ſed dum Philippum manu apprehendit Pompeius ut commodiùs ſurgeret, Septimius

Vell. Pater c. l. 2. c. 53.

ptimius primus à tergo trajecit; inde ſecundum eum Salvius, mox Achillas enſes ſtrinxerunt. Ille ambabus manibus faciem toga intexit, nec quicquam indignum ſe loquutus eſt, nec fecit, tantùm ſuſpirio edito patienter ictus excepit duodeſexageſimo ætatis anno completo pridiè natalem.

Plutarch. in Pomp. Dio. lib. 42.

Illi qui in navibus erant, ubi cædem ſpectaverunt, gemitum ediderunt ex littore inauditum, ancoriſque properè ſolutis fugæ ſe mandavere. Benignus autem ventorum ex mari afflatus fugam eorum adjuvit. Unde molientes perſequi, eos Ægyptii deſtitere & tantùm partem cœperunt.

Lucan. l. 9. Plutarc. in Pomp.

Pompeii caput reſecuit Septimius, & ſervatum eſt ad Cæſaris adventum, truncus verò è navicula nudus projectus, ſpectare cupientibus eſt relictus, Philippus dùm ſatiarunt oculos apud eum remanſit, deinde funeravit.

App. civ. bel. l. 2.

Poſtero die L. Lentulus hujus rei ignarus ex Cypro advectus & littus legens, ut funeris pyram vidit, atque aſſiſtentem Philippum, nec dum ſatis eum agnitum. Quis hic, inquit, fato functus jacet? Ac aliquantulo interpoſito ſpatio ſuſpirans, fortaſſis tu, inquit, Magne Pompeie. Paulò poſt egreſſum ex navi comprehenderunt Ægyptii, necaverúntque in cuſtodia.

Cæſ. de bel. civ. lib. 3. Dio lib. 42.

Cæſar quum audiiſſet Pompeium Cypri viſum, conjectans eum in Ægyptum iter habere propter neceſſitudines Regni reliquáſque ejus loci opportunitates, cum Legionibus, una quam ex Theſſalia ſe ſequi juſſerat, & altera quam ex Achaia à Fuſio Legato evocaverat, equitibúſque 800. & navibus longis Rhodiis x. & Aſiaticis paucis poſt tertium diem Alexandriam pervenit Rege Ptolemæo circa montem Peluſium adhuc hærente, & antequam Peluſio rediret, de Pompeii morte ibi cognovit.

Iid. ibid.

At quum tumultuantes Alexandrinos ob Pompeii cædem reperiſſet, non auſus eſt in terram ingredi, in ancoris ſubſtitit aliquandiù: atque primùm è navi egrediens clamorem militum audit, quos Rex in urbe, præſidii cauſa reliquerat, & curſum ad ſe fieri videt, quod faſces ante ferrentur. In hoc omnis multitudo majeſtatem Regiam nimium prædicabat. Cæſarem non pœnituit in Regiam confugiſſe, militibus autem ejus aliquibus arma adempta ſunt; reliqui, dum omnes naves ad littus perveniunt retrò avecti ſunt.

Liv. l. 112. Plut. in Cæſ. App. bel. civ.

Hoc ſedato tumultu, Theodotus caput Pompeii attulit & annulum obtulit, quem accipiens illachrymavit. Alii aiunt caput ab Achilla velamine involutum narrant ablatum. Cæſar illud in ſuburbio ſepeliri juſſit, ſed percuſſoribus tantùm abfuit ut ſe gratiam debere fateretur, ut & facinus culpaverit, amicos & familiares Pompeii à Rege captos benignè accepit omnes.

Iid. ibid.

Cæſar priuſquam ad ipſum appuliſſet exercitus, propter infrequentiam ſuorum, dabat ſe otio, comiter excipiens obvios & viſendi cauſa urbem deambulando, mirabatur ejus pulchritudinem, & ſapientiæ Profeſſores pleróſque ſtans audiebat, quod otium ei gratiam, & bonam exiſtimationem paravit apud Alexandrinum populum.

Cæſ. bel. civ. Plut. in Cæſ. Dio l. 42. Oroſ. l. 6. c. 15.

Eteſiis ventis Alexandriæ detentus, cogendis pecuniis, dijudicandáque lite inter Ptolemæum & Cleopatram ſororem trahebat, has enim controverſias ad Pop. Romanum, & ad ſe, quòd eſſet Conſul, pertinere exiſtimans, atque magis officio ſuo convenire quòd ſuperiore Conſulatu cùm patre Ptolemæo, & lege, & S. C. ſocietas erat facta, oſtendit ſibi placere Regem & ſororem ejus exercitus quos haberent, dimittere & de controverſiis jure apud ſe potiùs, quàm armis diſceptare.

Iid. ibid.

Pothinus Ptolemæi nutricius & in ejus procuratione, primùm inter Aulicos quæri atque indignari cœpit, Regem ad dicendam cauſam evocari, & clam Cæſari ſtruebat inſidias, quapropter ferunt eum exinde cœpiſſe corporis tuendi cauſſa in conviviis pernoctare. Ac propalam Pothinus multa ad Cæſaris intolerabilem invidiam & contumeliam loquebatur faciebátque.

LAGIDAR. Nam vitioſiſſimum & vetuſtiſſimum militibus metiebatur frumentum, addens, ferrent & acquieſcerent, quòd veſcerentur alienis. Ad cœnas vaſis ligneis & figulinis juſſit miniſtrari aurea & argentea Cæſarem ferens omnia accepiſſe in ſolutum. Quippe patri Regis Cæſar, ſeptingenties expenſum ferebat, ex quibus cetera liberis ejus Cæſar antè condonaverat. Quadringenties tunc repetebat, ad ſuſtinendum exercitum. Quum Pothinus diceret ei, in præſentia ut abiret, & magnis negotiis inſiſteret, poſt eum gratia creditum ablaturum, ad quod Cæſar, minimè ſe Ægyptiorum conſilium requirere reſpondit.

an. 175. Id. ibid.

Dio lib. 42. Cleopatra quum hactenus per alios cauſam ſuam contra Ptolemæum fratrem apud Cæſarem egiſſet, ſimul atque naturam Cæſaris cognovit: erat autem ille amoribus quàm maximè obnoxius, per inter nuntios Cæſari quæſta erat ſe proditam ab amicis, cuperéque ipſam per ſe apud eum proſequi, at quum impetraſſet à Cæſare ut ſub aſpectum ejus veniret, ita ſe ſe exornavit & compoſuit, ut ſimul quàm maximam dignitatem præ ſe ferret, ſimul miſericordiam Cæſari moveret.

Id. ibid. Ipſa ex agro, ubi tunc erat, unum ſecum trahens ex amicis Siculum Apollodorum, exiguo acatio conſcenſa, primis jam tenebris applicuit ad Regiam. Quum nulla alia ratione poſſet latere, culcitra involuta protendit ſe in longum. Apollodorus conſtrictam loro culcitram per portam ad Cæſarem intulit.

Id. ibid. Cleopatra affuſa genibus Cæſaris, partem Regni poſcebat: ipſa verò inter alias omnibus mulieribus formæ elegantia præſtabat, tunc flore ætatis admodum erat conſpicua, interérátque ei in voce ſummus lepos, ita ut cum quocumque colloqueretur, gratia eum demulceret: denique tanta ejus aſpectum orationémque vis comitabatur, ut allicere etiam ab amore vel natura vel ætate alieniſſimum quemque hominem ad ſui amorem valeret. Quibus rebus inſtructa in rem ſuam exiſtimabat fore, ſi ad Cæſaris colloquium admitteretur, ínque ſua venuſtate præſidium cauſæ reponebat.

Id. ibid. Cæſar ubi vidit Cleopatram, loquentem nonnihil audivit, ita confertim mancipium ejus factus, ut ſtatim ſub auroram Ptolemæum accerſiverit, & pacificationem tentaverit, at quòd improviſo ſuam ſororem intus eſſe viderit, ita Regis animum ita inflammavit, ut proſiliens ad populum, proditum ſe clamaret, ac denique diadema capite detractum abjiceret. Magno inde tumultu coorto, Ptolemæum Cæſariani milites intrò abripuerunt, Ægyptii autem commoti ſunt: ac niſi Cæſar metu perculſus ad eos prodiiſſet, déque loco tuto omnia ſe, quæ vellent, facturum ſe promiſiſſet: ipſo primo impetu Regiam, quam terra maríque invadebant, occupaſſent: neque enim Romanis, qui ſe apud amicos verſari credebant, ullæ ad reſiſtendum aderant vires.

Cæſ. lib. 3. Dio. l. 42. Poſt hæc Cæſar in concionem cum Ptolemæo ac Cleopatra progreſſus, patris eorum teſtamentum de ſcripto recitavit, quo præcipiebatur, ut more Majorum apud Ægyptios inter ſe quidem illi matrimonio jungerentur, Regnúmque tenerent, ſed ita tamen ut ſub tutela P. Romani eſſent. His addens Cæſar, ſuum, qui Dictaturam gereret, omnémque Populi R. poteſtatem obtineret, eſſe ut liberos curaret, & patris voluntatem exequeretur. Ptolemæo & Cleopatræ Ægypti Regnum dedit, Arſinoe autem alteri filiæ, Ptolemæóque juniori Germanis horum, Cyprum largitus eſt: atque in hunc modum is tumultus tunc ſedatus eſt.

Cæſ. ibid. Plut. i. Cæſ. Dio l. 42. Sed non multò pòſt novus motus coortus eſt, adeò ut ad bellum quoque res deveniret: Pothinus enim Eunuchus cui Ptolemæi pecuniarum procuratio commiſſa fuerat, veritus ne ejus rei cauſa ad ſupplicium depoſceretur, clam ad Achillam, qui etiamnum apud Peluſium morabatur, miſit, eúmque terroribus ac ſpe propoſitis, in ſocietatem ſuorum conſiliorum pertraxit:

xit: deinde reliquos quoque qui in armis erant, ſibi conciliavit, injecta ſuſpicione Cæſarem quidem componendæ turbæ cauſa Regnum utriſque ſimul dediſſe, ſed progreſſu temporis ſoli Cleopatræ id attributurum. Videbatur autem res indigna, ſub imperio eſſe feminæ. Erant tum ipſis eæ copiæ, quibus ſe Cæſarianis pares eſſe confidebant: cum his rectà Alexandriam contendentes, ad defenſionem ſe comparabant. LAGIDAR. an. 275.

Subitò exercitus Regius, equitatúſque omnis venire in urbem nunciatur. Cæſaris copiæ nequaquam erant tantæ ut eis extra oppidum, ſi eſſet dimicandum, confideret; relinquebatur, ut ſe ſuis locis oppidò teneret, conſiliúmque Achillæ cognoſceret. Milites tamen in armis eſſe juſſit, regémque hortatus eſt, ut ex ſuis neceſſariis, quos haberet maximè autoritatis, Legatos ad Achillam mitteret, & quid eſſet ſuæ voluntatis oſtenderet. Cæſ. bel. civ. l. 3.

Miſſi ſunt à Ptolemæo Dioſcorides & Serapion qui ambo Legati Romam iverant, magnámque apud patrem Ptolemæum autoritatem haberent, ad Achillam ipſi pervenerunt. Quos ille quum in conſpectu ejus veniſſent, priuſquam audiret, aut cujus rei cauſa miſſi eſſent, cognoſceret, corripi ac interfici juſſit. Quorum alter accepto vulnere occupatus per ſuos pro occiſo ſublatus, alter interfectus eſt. Id. ibid.

Quo facto Regem ut in ſua poteſtate haberet, Cæſar effecit, magnámque, Regium nomen apud ſuos, autoritatem habere exiſtimans & ut potiùs privato paucorum & latronum conſilio, quàm Regio ſuſceptum videretur.

Erant cum Achilla copiæ, ut neque numero, neque genere hominum, neque uſu rei militaris contemnendæ viderentur millia enim 20. in armis habebat. Hæ conſtabant è Gabinianis militibus, qui jam in conſuetudinem Alexandrinæ vitæ atque licentiæ venerant, & nomen diſciplinámque P. Romani dedidicerant, uxoréſque duxerant, ex quibus plerique liberos habebant. Id. ibid.

His accedebant collecti ex prædonibus latronibúſque Syriæ, Ciliciæque Provinciæ finitimarúmque regionum. Multi præterea capitis damnati, exuléſque convenerant: fugitiviſque omnibus Romanis certus erat Alexandriæ receptus, certáque vitæ conditio, ut dato nomine, militum eſſent numero: quorum ſi quis à Domino comprehenderetur, concurſu militum eripiebatur, ipſi pro ſuo periculo defendebant. Hi bona locupletum diripere ſtipendii augendi cauſa, Regis domum obſidere, Regno expellere alios, alios accerſere, vetere quodam Alexandrini exercitus inſtituto conſueverant. Id. ibid.

Erant præterea equitum millia duo, qui inveteraverant compluribus Alexandriæ bellis, hi Ptolemæum patrem in Regnum reduxerant, hi Bibuli filios duos interfecerant, bella cum Ægyptiis geſſerant, hunc uſum rei militaris habebant His copiis fidens Achillas, paucitatémque militum Cæſaris deſpiciens occupat Alexandriam, præterea urbis partem, quam Cæſar cum militibus tenebat, primo impetu domum ejus irrumpere conatus eſt. Cæſar diſpoſitis per vias cohortibus impetum ejus ſuſtinuit. Id. ibid.

Eodémque tempore pugnatum eſt ad portum, ac longè maximam ea res attulit dimicationem, ſimul enim diductis copiis, pluribus viis pugnabatur, & magna multitudine naves longas occupare Ægyptii conabantur: quarum erant auxilio 50. miſſæ ad Pompeium; quæ prælia in Theſſalia facto, domum redierant. Illæ triremes omnes, & quinqueremes erant aptæ inſtructæque omnibus rebus ad navigandum. Præter has 22. erant, quæ præſidii cauſa Alexandriæ eſſe conſueverant, conſtratæ omnes, quas ſi occupaſſent, claſſe Cæſari erepta, portum ac mare totum in ſua poteſtate haberent, commeatu auxiliiſque Cæſarem prohiberent. Id. ibid.

Itaque tanta eſt contentione actum, quanta agi debuit, quum Cæſar celerem Id. ibid.

LAGIDAR. an. 275. lerem in ea re victoriam, Ægyptii ſalutem ſuam conſiſtere viderent; ſed rem obtinuit ille, omneſque eas naves & reliquas quæ erant in navalibus, quod tam latè tueri tam parva manu non poterat, incendit; flamma partem

Oroſ. l. 6. c. 15. urbis & bibliohecam in qua quadringenta erant millia librorum invaſit.

Id. ibid. Deinde Cæſar ad Pharum navibus milites expoſuit, quam occupavit, atque ibi præſidium poſuit. Quipus rebus eſt effectum uti tutò frumentum, auxiliáque navibus ad eam ſupportari poſſent, dimiſit enim circum omnes propinquas regiones, atque inde auxilia evocavit, reliquis oppidi partibus ſic eſt pugnatum, ut æquo prælio diſcederetur, & neutri pellerentur, id efficiebant anguſtiæ loci, paucíſque utrimque interfectis, Cæſar loca maximè neceſſaria complexus, nocte præmunivit: hoc tractu oppidi pars erat Regiæ exigua, in quam ipſe habitandi cauſa initio erat inductus, & theatrum conjunctum domui, quod arcis tenebat locum, aditúſque habebat ad portum, & ad reliqua navalia. Has munitiones inſequentibus auxit diebus, ut pro muro objectas haberet, neu pugnare invitus cogeretur.

Cæſ. l. 3. Hirt. de bel. Alex. Continentem omnem terram, iis locis demptis quæ Cæſar munitionibus clauſerat, Achillas tenebat.

Dio lib. 42. Lagid. 276. Dion. 4. Interea miſit Cæſar circum omnes propinquas regiones, atque inde auxilia evocavit, Rhodo atque ex Syria Ciliciáque omnem claſſem arceſſit, ex Cretas ſagittarios, equites ab Rege Nabatæorum Malco accepit, tormenta undique conquiri, & frumentum mitti, auxiliáque adduci juſſit. Domitium Calvinum per litteras de magno ſuo periculo edocuit, flagitavítque ab eo ut quàm primùm ſibi ſubſidia mitteret, propiúſque ipſe Alexandriam per Syriam accederet. Mithridates verò Pergamenus magnæ nobilitatis domi ſcientiæque in bello & virtutis, fidei dignitatíſque in amicitia Cæſaris, in Syriam Ciliciámque eſt miſſus ad auxilia arceſſenda.

Id. ibid. Dum hæc geruntur Ganymedes quidam Eunuchus, Arſinoen negligentiùs cuſtoditam furtim ad Ægyptios traduxit, eáque illi Regina conſtituta, jam eo majori ſtudio bello incubuerunt, quòd Ducem ex Ptolemæorum proſapia nacti eſſent. Ea propter Cæſar Pothinum veritus ne is quoque Ptolemæum furtim auferret, interfecit. Alii alteram mortis cauſam afferunt. Quum Pothinus in parte Cæſaris eſſe videretur, ad Achillam nuncio mitteret, hortaretúrque ne negotio deſiſteret, néve animo deficeret, indicatis deprehenſíſque internuntiis, à Cæſare necatus eſt.

Id. ibid. Cæſar palam deinceps Regem diligenti cuſtodia aſſervavit. Quo facto magis etiam exaſperatis Ægyptiorum animis, quum eorum numerus ſubinde creſceret, munitiones quotidie augebantur, atque omnes oppidi partes, quæ minùs firmæ eſſe viderentur, teſtudinibus atque muſculis aptantur: ex ædificiis per foramina in proxima ædificia arietes immittuntur, quantúmque aut ruinis dejicitur, aut per vim recipitur loci, in tantùm mutationes proferuntur.

Id. ibid. Studebat Cæſar maximè ut quam anguſtiſſimam partem oppidi palus à meridie interjecta efficiebat, hanc operibus vineíſque agendis, à reliqua parte urbis excluderet, illud ſperans, primùm, ut quum eſſet in duas partes urbs diviſa, acies uno conſilio atque imperio adminiſtraretur, deinde ut laborantibus ſuccurri, atque ex altera oppidi parte auxilium ferri poſſet; imprimis verò, ut aqua pabulóque abundaret, quarum alterius rei copiam exiguam, alterius nullam omninò facultatem habebat, quod utrumque palus largè præbere poterat.

Hirt. de bel. Alex. Neque verò Alexandrinis ingerendis negotiis cunctatio ulla aut mora inferebatur: nam in omnes partes, per quas fines Ægypti, regnúmque pertinet, Legatos, conquiſitoréſque delectus habendi cauſâ miſerant; manúmque numerum telorum, atque tormentorum convexerant, & innumerabi-

lem

lem multitudinem adduxerant; nec minùs in urbe maximæ armorum erant inſtitutæ officinæ: ſervos præterea puberes armaverant: quibus domini locupletiores victum quotidianum, ſtipendium dabant. LAGIDAR. an. 276.

Hac multitudine diſpoſita, munitiones ſemotarum partium tuebantur, veteranas cohortes vacuas in celeberrimis urbis locis habebant, ut quacumque regione pugnaretur, integris viribus ad auxilium ferendum opportunæ eſſent. Omnibus viis atque angiportis triplicem vallum obduxerant, erat autem quadrato extructus ſaxo nec minus 40. pedes altitudinis habebat, quæque partes urbis inferiores erant, has altiſſimis turribus denorum tabulatorum munierant. Præterea alias ambulatorias totidem tabulatorum confixerant; ſubjectiſque eis rotis, funibus, jumentiſque objectis directis, plateis in quamcumque erat viſum, partem movebant. Ibid.

Urbs fertiliſſima & copioſiſſima omnium rerum apparatus ſuggerebat. Ipſi homines ingenioſiſſimi atque acutiſſimi, quæ à Romanis fieri viderant, ea ſolertia efficiebant, ut Romam illorum opera imitari viderentur, & ſua ſponte multa reperiebant: unóque tempore & Romanas munitiones infeſtabant & ſuas defendebant: atque hæc Principes in conſiliis concionibuſque agitabant, P. Romanum paulatim in conſuetudinem ejus Regni venire occupandi: paucis annis antè Gabinium, cum exercitu fuiſſe in Ægypto: Pompeium ſe ex fuga eodem recepiſſe? ac Cæſarem veniſſe cum copiis: neque morte Pompeii quidquam profectum, quo minus Cæſar apud ſe commoraretur: quem ſi non expuliſſent, futuram ex Regno Provinciam: idque agendum maturè, namque eum, interclusum tempeſtatibus propter anni tempus, recipere tranſmarina auxilia non poſſe. Ibid.

Quum Romani milites ex Syria nondum adveniſſent, Cæſar ad amicitiam hoſtes perducendi, conſilium cepit, Ptolemæúmque eo in loco, unde ab illis exaudiri poſſet conſtitutum, Ægyptiis dicere juſſit, ne ſe quidquam adverſi pati, neque bello opus eſſe, proinde pacem componerent, ſe curaturum ut conditiones convenirent. Quæ ſi ipſe ſua ſponte ita pronuntiaſſet, utique ut bellum pace mutaretur, effeciſſet, nunc ſuſpicati ad hoc eum à Cæſare ſubornatum eſſe, nihil à propoſito deflexerunt. Dio l. 42.

Interim diſſenſione orta inter Achillam qui veterano exercitui præerat, & Arſinoen Regis Ptolemæi juniorem filiam; quum uterque utrique inſidiaretur, & ſummam Imperii, ipſe obtinere vellet, præoccupat Arſinoe per Ganymedem Enunuchum nutricium ſuum atque Achillam interficit, hoc occiſo ipſa ſine ullo ſocio & cuſtode, omne Imperium obtinebat, & Dux exercitus Ganymedes conſtituitur. Is ſuſcepto officio largitionem in milites auget, reliqua pari diligentia miniſtrat. Hirt. de bel. Alex.

Alexandria eſt ferè tota ſuffoſa, ſpecúſque habet ad Nilum pertinentes, quibus aqua in privatas domos inducitur, quæ paulatim ſpatio temporis liqueſcit ac ſubſidit, hac uti Domini ædificiorum, atque eorum familia conſueverunt; nam quæ flumine Nilo fertur adeo limoſa atque turbida, ut multos varióſque morbos efficiat; ſed ea plebs ac multitudo contenta eſt neceſſariò, quòd fons urbe tota nullus eſt, hoc tamen flumen in ea parte urbis erat, quæ ab Alexandrinis tenebatur, quo facto eſt admonitus Ganymedes poſſe Romanos aqua intercludi: qui diſtributi munitionum tuendarum cauſa, vicatim ex privatis ædificiis, ſpecubus, & puteis extracta aqua utebantur. Id. ibid.

Hoc probato conſilio magnum ac difficile opus aggreditur, interſeptis enim ſpeculus, atque omnibus urbis partibus excluſis, quæ ab ipſo tenebantur, aquæ magnam vim ex mari totis ac machinationibus exprimere contendit, hanc locis ſuperioribus fundere in partem Cæſaris non intermittebat, quam ob rem ſalſior paulò præter conſuetudinem aqua trahebatur ex proximis ædificiis magnámque hominibus admirationem præbebat, quam ob cauſam Id. ibid.

LAGIDAR. an. 276. ſam accidiſſet, nec ſatis ſibi ipſi credebant, quum ſe inferiores ejuſdem generis, ac ſaporis, aqua dicerent uti, atque ita conſueſcent, vulgóque inter ſe conferebant & deguſtando, quantùm inter ſe differrent aquæ, cognoſcebant; parvo verò temporis ſpatio, hæc propior bibi non poterat omnino, illa inferior, corruptior jam, ſalſiórque reperiebatur.

Id. ibid. Quo facto dubitatione ſublata, tantùm inceſſit tumor, ut ad extremum caſum omnes deducti viderentur, atque alii morari Cæſarem dicerent quin naves exſcendere juberet: alii multò graviorem extimeſcerent caſum, neque celari Alexandrinos poſſent in apparanda fuga, quum hi tam parvo ſpatio diſtarent ab ipſis, neque illis imminentibus atque inſequentibus, ullus in naves receptus daretur. Erat autem magna multitudo oppidanorum in parte Cæſaris, quam domiciliis non moverat, quòd ea ſe fidelem palam Romanis eſſe ſimulabat & deſciviſſe à ſuis videbatur.

Id. ibid. Cæſar ſuorum timorem conſolatione & ratione minuebat; nam puteis foſſis aquam dulcem poſſe reperiri affirmabat, omnia quum littora naturaliter aquæ dulcis venas haberent, quòd ſi alia eſſet littoris Ægyptii natura, atque omnium reliquorum; tamen quia mare liberum tenerent, neque hoſtes claſſem haberent, prohiberi ſe non poſſe, quominus quotidie aquam navibus peterent, vel à ſiniſtra parte, à Paratonio, vel à dextra ab Inſula, quæ diverſæ navigationes nunquam uno tempore à diverſis ventis præcluderentur.

His addit fugæ nullum eſſe conſilium non ſolùm iis, qui primam dignitatem haberent, ſed ne iis quidem, qui nihil, præterquam de vita cogitarent, magno negotio impetus hoſtium adverſis ex munitionibus ſuſtineri: quibus relictis, nec loco, nec numero pares eſſe: magnam autem moram & difficultatem adſcenſum in naves habere, præſertim ex ſcaphis: ſummam eſſe contra in Alexandrinis velocitatem, locorúmque & ædificiorum notitiam, hos præcipuè in victoria inſolentes, præcurſuros & loca excelſiora, atque ædificia occupaturos: ita fuga navibúſque Romanos prohibituros: proinde ejus conſilii obliviſcerentur, atque omni ratione eſſe vincendum cogitarent.

Hac ratione apud ſuos habita, atque omnium mentibus excitatis, dat Centurionibus negotium, ut reliquis operibus intermiſſit ad fodiendos puteos animum conferunt, néve quam partem nocturni temporis intermittant. Quo ſuſcepto negotio, atque omnium animis ad laborem incitatis, magna una nocte vis aquæ dulcis inventa eſt: ita operoſis Alexandrinorum machinationibus, maximiſque conatibus, non longi temporis labore occurſum eſt.

Id. ibid. Eo biduo Legio XXXVII. ex deditiis Pompeianis militibus cum frumento armis, telis, tormentis, impoſita in naves à Domitio Calvino ad littora Africæ paulò ſupra Alexandriam delata eſt: hæ naves Euro qui multos dies continenter flabat, portum capere prohibebantur, ſed loca ſunt egregia ad tenendas ancoras; hi quum diù retinerentur, atque aquæ inopiâ premerentur, navigio auctuario Cæſarem faciunt certiorem. Cæſar ut per ſe conſilium caperet, quid faciendum videretur, navim conſcendit, atque omnem claſſem juſſit, nullis ſuis militibus impoſitis; quum longiùs paulò diſcederet, munitiones nudare nolebat, quúmque ad eum locum acceſſiſſet, qui appellatus Cherroneſus; aquandíque cauſa remiges in terram expoſuiſſet, nonnulli ex numero, quum longiùs à navibus prædatum proceſſiſſent, ab equitibus hoſtium ſunt excepti: ex iis cognoverunt, Cæſarem ipſum in claſſem veniſſe, nec ullos milites in navibus habere.

Id. ibid. Qua re comperta, magnam ſibi facultatem, fortunam obtuliſſe benè gerendæ rei crediderunt: itaque naves omnes quas paratas habuerant, ad navigandum, propugnatoribus inſtruxerunt, Cæſarique redeunti cum claſſe occur-

occurrerunt: qui duabus de cauſis eo die dimicare nolebat: quòd & nullos LAGIDAR. milites in navibus haberet, & poſt horam decimam diei res agebatur, nox AD. 276. autem allatura videbatur majorem fiduciam illis, qui locorum notitia confidebant: ſibi etiam hortandi ſuos auxilium defuturum; quòd nulla ſatis idonea eſſet hortatio, qua neque virtutem poſſet notare, neque inertiam.

Quibus de cauſis, naves, quas potuit Cæſar ad terram detrahit, quem Id. ibid. in locum illos ſucceſſuros non exiſtimabat, erat una navis Rhodia in dextro Cæſaris cornu longè ab reliquis collocata, hanc conſpicati hoſtes, non tenuerunt ſeſe, magno impetu quatuor ad eam conſtratæ naves & complures apertè contenderunt, cui coactus Cæſar ferre ſubſidium: ne turpiter in conſpectu contumeliam acciperet, quamquam, ſi quid gravius accidiſſet, meritò caſurum judicabat.

Prælium commiſſum eſt magna contentione Rhodiorum, qui quum in omnibus dimicationibus & ſcientia & virtute præſtitiſſent, tum maximè illo tempore totum onus ſuſtinere non recuſabant, ne quòd ſuorum culpa detrimentum acceptum videretur, ita prælium ſecundiſſimum eſt factum, capta eſt una hoſtium quadriremis, depreſſa eſt altera, deinde omnes epibatis nudatæ: magna præterea multitudo in reliquis navibus propugnatorum eſt interfecta, quod niſi nox prælium diremiſſet, tota claſſe hoſtium Cæſar potitus eſſet. Hac calamitate perterritis hoſtibus, adverſo vento leniter flante, naves onerarias Cæſar remulco victricibus ſuis Alexandriam deducit. Id. ibid.

Eo detrimento adeò ſunt fracti Alexandrini, quum non jam virtute propugnatorum, ſed ſcientia Claſſiariorum viderent. Poſtquam Ganymedes in conſilio confirmavit ſeſe & eas, quæ eſſent amiſſæ, reſtiturum, & numerum adaucturum magna ſpe & fiducia veteres reficere naves, accuratiúſque huic rei ſtudere atque inſervire inſtituerunt: ac tametſi ampliùs ex navibus longis in portu navalibúſque amiſerant, non tamen reparandæ claſſis cogitationem depoſuerunt; videbant enim non auxilia Cæſari, non commeatus ſupportari poſſe, ſi claſſe ipſi valerent. Id. ibid.

Præterea nautici homines & urbis & regionis maritimæ, quotidianóque uſu à pueris excitati ad naturale ac domeſticum bonum refugere cupiebant, & quantùm parvulis navigiis profeciſſent, ſentiebant: itaque omni ſtudio ad parandam claſſem incubuerunt. Erant oſtiis Nili cuſtodiæ exigendi portorii cauſa diſpoſitæ. Naves veteres erant in occultis Regiæ navalibus, quibus multis annis ad navigandum non erant uſi, has reficiebant: illas Alexandriam revocabant, deerant remi, porticus, gymnaſia, ædificia publica detegebant, aſſeres remorum uſum obtinebant, aliud naturalis ſolertia, aliud urbis copia ſubminiſtrabat. Poſtremò non longam navigationem parabant, ſed præſentis temporis neceſſitati ſerviebant, & in ipſo portu confligendum videbant: itaque paucis diebus contra omnium opinionem quadriremes 22. quinqueremes 5. confecerunt; ad has minores apertáſque complures adjecerunt, & in portu periclitati remigio quid quæque earum efficere poſſet idoneos milites impoſuerunt, ſéque ad confligendum omnibus rebus paraverunt. Id. ibid.

Cæſar Rhodias naves 9. habebat, Ponticas 12. Lycias 5. ex Aſia 12. ex his quinqueremes 5. erant, & quadriremes 10. reliquæ infrà hanc magnitudinem, & pleræque apertæ, tamen virtute militum confiſus, cognitis hoſtium copiis, ſe ad dimicandum parabat. Poſtquam eò ventum eſt, ut ſibi uterque eorum confideret. Cæſar pharum claſſe circumvehitur, adverſáſque naves hoſtibus conſtituit, in dextro cornu Rhodias collocat, in ſiniſtro ponticas, inter has ſpatium 600. paſſuum relinquit, quod ſatis eſſe ad explicandas naves videbatur; poſt hunc ordinem reliquas naves ſubſidio diſtribuit Id. ibid.

LAGIDAR an. 276. ſtribuit quæ quamque earum ſequatur, & cui ſubveniat, conſtituit, atque imperat.

Id. ibid. Non dubitanter Alexandrini claſſem producunt, atque inſtruunt, in fronte collocant 23. reliquas ſubſidiarias in ſecundo ordine conſtituunt, magnum præterea numerum minorum navigiorum & Scapharum producunt cum malleolis, ignibúſque, ſi quid ipſa multitudo, & clamor & flamma Romanis terroris afferre poſſent. Erant inter duas claſſes vada tranſitu anguſto, quæ pertinent ad regionem Africæ, ſatíſque diù inter ipſas eſt expectatum, ab utris tranſeundi fieret initium: propterea quòd, eò qui intraſſent, & ad explicandam claſſem & ad receptum, ſi durior accidiſſet caſus, impeditiones ferè videbantur.

Id. ibid. Rhodiis navibus præerat Euphranor animi magnitudine ac virtute magis cum Romanis, quàm cum Græcis, comparandus, hic ob notiſſimam ſcientiam delectus eſt à Rhodiis, qui imperium claſſis obtineret, qui ubi Cæſaris animum advertit. Videris mihi, inquit, Cæſar vereri, ſi hæc vada primus navibus intraveris, ne priùs dimicare cogaris, quam claſſem poſſis explicare, nobis rem committere, nos prælium ſuſtinebimus, neque tuum judicium fallemus, dum reliqui ſubſequantur, hos diutiùs in noſtro conſpectu nobis & dedecori & dolori eſt.

Id. ibid. Cæſar illum adhortatus, atque omnibus laudibus proſequutus, dat ſignum pugnæ, progreſſas ultra vadum 4. Rhodias naves circumſiſtunt Alexandrini, atque in eas impetum faciunt, ſuſtinent illi, atque arte ſollertiáque ſe explicant: ac tantùm doctrina potuit, ut in diſpari numero, nulla tranſverſa hoſti objiceretur, nullius remi detergerentur, ſed ſemper venientibus adverſæ occurrerent interim ſunt reliquæ ſubſequutæ, nam neceſſariò diſceſſum ab arte eſt propter anguſtias loci, atque omne certamen in virtute conſiſtit.

Id. ibid. Neque verò Alexandriæ aut Romanorum aut oppidanorum, qui au in opere, aut in oppugnatione occupatum animum haberet, quà altiſſima tecta peteret, precibúſque ac votis victoriam ſuis à Diis immortalibus expoſceret. Minimè autem erat par prælii certamen, Romanis prorſus neque terra neque mari effugium dabatur victis, omniáque victoribus erant; futura in incerto, Alexandrini, ſi ſuperaſſent navibus, omnia tenerent, ſi inferiores fuiſſent, reliquam tamen fortunam periclitarentur, ſimul illud grave ac miſerum videbatur, per paucos dies de ſumma rerum, ac de ſalute omnium decertare, quorum ſi quis aut animo aut virtute ceſſiſſet, reliquis etiam eſſet cavendum quibus pro ſe pugnandi facultas non fuiſſet.

Hæc ſuperioribus diebus ſuis expoſuerat Cæſar, ut hoc majori animo contenderent, quòd omnium ſalutem ſibi commendatam viderent, eadem ſuum quiſque contubernalem, amicum, votum proſequens erat obteſtatus, ne ſuam atque omnium falleret opinionem, quorum judicio delectus ad pugnam proficiſceretur: itaque hoc animo eſt decertatum, ut neque maritimis nauticiſque ſolertia, atque ars præſidium ferret, neque numero navium præſtantibus multitudo prodeſſet, neque fidei ad virtutem ex tanta multitudine viri Romanorum virtuti poſſent adæquari.

Id. ibid. Capitur hoc prælio quinqueremis una, & biremis cum defenſoribus remigibúſque, & deprimuntur tres, Romanis incolumibus omnibus, reliquæ propinquam fugam ad oppidum capiunt; quas protexere ex molibus atque ædificiis imminentibus, & Romanos adire propiùs prohibuerunt. Hoc ne ſibi ſæpiùs accidere poſſet, omni ratione Cæſar contendendum exiſtimavit ut Inſulam, molémque ad Inſulam pertinentem in ſuam redigeret poteſtatem: perfectis enim magna ex parte munitionibus in oppido & illam & urbem uno tempore tentari poſſe confidebat.

Id. ibid. Quo capto conſilio cohortes 10. & levis armaturæ electos, quos idoneos

ex

ex equitatibus Gallis arbitrabatur, in navigia minora, ſcaphâſque imponit, alteram Inſulæ partem diſtinendæ manus cauſa cum conſtratis navibus aggreditur, præmiis magnis propoſitis, qui primus Inſulam cepiſſet; at primo impetum Romanorum pariter ſuſtinuerunt; uno enim tempore & ex tectis ædificiorum pugnabant, & littora armati defendebant, quo propter aſperitatem loci non facilis Romanis aditus dabatur & ſcaphas navibúſque longis 5. mobiliter & ſcienter anguſtias loci tuebantur. LAGIDAR. an. 276.

Sed ubi locis primùm cognitis, vadíſque pertentatis, pauci Romani in locis conſtiterunt, atque hos ſunt alii ſubſecuti, conſtantérque in eos qui in littore æquo inſtiterant, impetum fecerunt. Omnes Pharitæ tergo verterunt, his pulſis cuſtodia portus relicta, ad littora & vicum applicuere ſéque ex navibus ad tuenda ædificia ejecere; neque verò diutiùs ipſi, ex munitione ſe continere potuere, etſi erat non diſſimile atque Alexandriæ, genus ædificiorum (ut minora majoribus conferantur.) turréſque editæ & conjunctæ muri locum obtinebant, neque Romani aut ſcalis, aut cratibus, aut reliquis rebus parati venerant ad oppugnandum. Id. ibid.

Ut terror hominibus mentem, conſiliúmque eripit & membra debilitat, ſic tunc accidit. Qui ſe in æquo loco ac plano pares eſſe confidebant, iidem perterriti fuga ſuorum, & cæde paucorum 30. pedum altitudine in ædificiis conſiſtere auſi non ſunt, ſéque per molem, in mare præcipitaverunt, & 800. paſſuum intervallum ad oppidum enataverunt. Multi tamen ex iis capti interfectíque ſunt, ſed numerus captivorum omninò fuit 600. Id. ibid.

Cæſar præda militibus conceſſa, ædificia diripi juſſit, caſtellúmque ad pontem, qui propior erat Pharo communivit, atque ibi præſidium poſuit, hunc fuga Pharitæ reliquerant, fortiorem illum, propinquiorémque oppido Alexandrini tuebantur, ſed cùm poſtero die ſimili ratione aggreditur, quòd his obtentis duobus omnem navigiorum excurſum & repentina latrocinia ſublatum iri videbatur, jámque eos, qui præſidio eum locum tenebant, tormentis è navibus ſagittariiſque depulerat, atque in oppidum redegerat, & cohortium trium inſtar in terram expoſuerat; non enim plures conſiſtere anguſtiæ loci patiebantur, reliquæ copiæ in navibus ſtationem obtinebant. Id. ibid.

Quo facto imperat pontem adverſus hoſtem prævallari, & qua exitus navibus erat, fornice extructo, quo pons ſuſtinebatur, lapidibus oppleri atque obſtrui, quorum altero opere effecto nulla omninò ſcapha egredi poſſet; altero inſtituto, omnes Alexandrinorum copiæ ex oppido ſe ejecere, & contra munitiones pontis latiore loco conſtiterunt: eodémque tempore, quæ conſueverant navigia per pontes ad incendia onerariarum emittere; ad molem conſtituerunt. Pugnabatur à noſtris ex ponte, ex mole & ab illis ex area, quæ erat adverſus pontem, & ex navibus contra molem. Id. ibid.

In his rebus occupato Cæſare, militéſque hortante remigum magnus numerus & Claſſiariorum ex longis navibus Romanis ſe ejecit. Pars eorum ſtudio ſpectandi ferebatur; pars jam cupiditate pugnandi. Hi primùm navigia hoſtium lapidibus ac fundis à mole repellebant; ac multùm proficere multitudine telorum videbantur, ſed poſtquam eum locum ab latere eorum aperto auſi ſunt egredi ex navibus Alexandrini pauci, ut ſine ſignis certíſque ordinibus, ſine ratione prodierant, ſic temerè in naves refugere cœperunt, quorum fuga incitati Alexandrini ex navibus egrediebantur, Romanóſque acriùs inſequebantur, ſimul qui in navibus longis remanſerant ſcalas rapere navéſque à terra repellere properabant ne Alexandrini navibus potirentur. Id. ibid.

His omnibus rebus perturbati milites Romani cohortium trium quæ in ponte ac prima mole conſtiterant, quum poſt ſe clamorem exaudirent, fugam Id. ibid.

LAGIDAR. an. 276. gam ſuorum viderent, magnam vim telorum adverſi ſuſtinerent, veriti ne à tergo circumvenirentur, & diſceſſu navium omninò reditu intercluderentur, munitionem in ponte inſtitutam reliquerunt & magno curſu incitati ad naves contenderunt, quorum pars maxima navis multitudine hominum atque onere depreſſa eſt, pars reſiſtens & dubitans quid eſſet capiendum conſilii ab Alexandrinis interfecta eſt: nonnulli feliciores expeditas ad ancoram naves conſecuti incolumes diſceſſerunt, pauci allevari ſcutis & animo ad conandum nixi, ad proxima navigia adnatarunt.

Id. ibid. App. l. 4. c. 2. Cæſar quoad potuit cohortando ſuos ad pontem & munitiones contendere, eodem in periculo verſatus eſt, poſtquam univerſos cedere animadvertit, ſolus in ponte intercluſus premente hoſte abjecit purpuram & in mare deſiliit, inſectantibúſque diù ſub aquis natavit, per intervalla tantùm reſpirans prolato capite. Suet. in Jul. Alii nando per 200. paſſus elata læva ne libelli, quos tenebat, madefierent. Flor. l. 4. c. 2. Alii paludamentum mordicus traxiſſe ne ſpolio potiretur hoſtis. Alii relictum ab eo in fluctibus fuiſſe paludamentum dicunt, ſeu fato, ſeu conſilio, ut illud ingruentibus hoſtium telis ſaxiſque peteretur, tandem ad navem unicam adnatans, porrectis manibus, agnitus eſt & ſervatus, indéque ſuis laborantibus ſubſidio ſcaphas mittens, nonnullos conſervavit.

Hirt. de bel. Alex. Navi quidem ejus multitudine depreſſa militum una cum hominibus interiit, hoc prælio deſiderati ſunt ex numero legionariorum militum circiter 400. & paulò ultra eum numerum Claſſiarii & remiges. Alexandrini eo loco caſtellum magnis munitionibus, multíſque tormentis confirmarunt, atque egeſtis ex mari lapidibus liberè ſunt uſi poſtea ad mittenda navigia.

Id. ibid. Hoc detrimento milites Romani tantùm abfuerunt ut perturbarentur, quin incenſi potiùs atque incitati magnas acceſſiones fecerint in operibus Alexandrinorum expugnandis, in præliis quotidianis, quandoque ſors obtulerat procurrentibus & erumpentibus haſtis manum comprehendi multùm operibus & ardentibus ſtudiis militum, nec divulgata Cæſaris cohortatio ſubſequi legionum aut laborem, aut pugnandi poterat cupiditatem, ut magis deterrendi & continendi à periculoſiſſimis eſſent dimicationibus, quàm incitandi ad pugnandum.

Id. ibid. Alexandrini quum Romanos & ſecundis rebus confirmari & adverſis incitari viderent, neque ullum belli tertium caſum noſſent, quo poſſent eſſe firmiores, admoniti forſan ab amicis Regis qui in Cæſaris erant præſidiis, aut ſuo priori conſilio, per occultos nuncios Regi probato, Legatos ad Cæſarem miſerunt, ut dimitteret Regem, tranſiréque ad ſuos pateretur: paratam enim omnem multitudinem, eſſe confectam tædio puellæ, fiduciario Regno, dominatione crudeliſſima Ganymedis facere id quod Rex imperaſſet: quòd ſi autore in Cæſaris fidem amicitiámque venturi eſſent, nullius periculi timorem multitudini fore impedimento, quo minùs ſe dederent.

Id. ibid. Cæſar & ſi fallacem gentem, ſempérque alia cogitantem, alia ſimulantem, benè cognitam habebat, tamen petentibus dare veniam utile eſſe ſtatuit: quod ſi quo pacto ſentirent ea, quæ poſtularent, manſurum in fide dimiſſum Regem credebat, ſin id quod magis illorum naturæ conveniebat, ducem ad bellum gerendum Regem habere vellent ſplendidiùs atque honeſtiùs ſeſe contra Regem, quàm contra convenarum, ac fugitivorum manum, bellum eſſe geſturum: atque ita Regem cohortatus ut conſuleret Regno paterno, parceret præclariſſimæ patriæ, quæ turpiſſimis incendiis & ruinis eſſet deformata, cives ſuos primùm ad ſanitatem revocaret, deinde conſervaret fidem P. Romano ſibique præſtaret: quum ipſe tantùm ei crederet, ut ad hoſtes armatos eum mitteret, dextera dexteram tenens dimittere

cœpit

cœpit adulta jam ætate puerum, at Regius animus diſciplinis fallaciſſimis eruditus, ne à gentis ſuæ moribus degeneraret, flens orare contra Cæſarem cœpit, ne ſe dimitteret: non enim Regnum ipſum ſibi conſpectu Cæſaris eſſe jucundius. LAGIDAR. an. 276.

Compreſſis pueri lacrymis Cæſar ipſe commotus, celeriter, ſi illa ſentiret, fore enim ſecum affirmans, ad ſuos dimiſit. Ille ut ex carceribus in liberum curſum emiſſus, adeò contra Cæſarem, acriter bellum gerere cœpit, ut lacrymas quas in colloquio projecerat, gaudio videretur profudiſſe; Accidiſſe hoc complures Cæſaris Legati, amici, Centuriones militéſque lætabantur, quòd nimia bonitas ejus fallaciis pueri eluſa eſſet: quaſi verò id Cæſar bonitate tantùm adductus, ac non prudentiſſimo conſilio feciſſet. Id. ibid.

Quum duce aſſumpto Alexandrini nihilo ſe firmiores factos, aut languidiores Romanos animadverterent, eludentibúſque militibus Regis ætatem, atque infirmitatem, magnum dolorem acciperent, neque ſe quidquam proficere viderant, rumoréſque exiſterent, magna Cæſari præſidia terreſtri itinere, Syria Ciliciaque adduci, quod nondum Cæſari auditum erat, interea commeatum, qui Romanis mari ſupportabatur, intercipere ſtatuerunt: itaque expeditis navigiis, locis idoneis ad Canopum in ſtatione diſpoſitis navibus inſidiabantur Romanorum commeatibus, quod ubi Cæſari nunciatum eſt, claſſem jubet expediri, atque inſtitui, præficitur Ti. Nero. Proficiſcuntur in ea claſſe Rhodiæ naves. Atque in his Euphranor, ſine quo nulla unquam dimicatio maritima, nulla etiam parùm feliciter confecta erat. Id. ibid.

At fortuna quæ plerumque eos, quos plurimis beneficiis ornavit ad duriorem caſum reſervat, ſuperiorum temporum diſſimilis, Euphranorem proſequebatur. Nam quum ad Canopum ventum eſſet, inſtructáque utrinque claſſis conflixiſſet & ſua conſuetudine Euphranor primus prælium commiſiſſet, & illic triremem hoſtium perforaſſet ac demerſiſſet, proximam longiùs inſecutus, parùm celeriter inſequentibus reliquis, circumventus ab Alexandrinis eſt, cui ſubſidium nemo tulit, ſive quòd ſatis præſidii pro virtute ac felicitate ejus putarent eſſe, ſive quòd ipſi ſibi timebant: itaque unus ex omnibus eo prælio benè rem geſſit, ſolus cum ſua trireme victrici periit: hoſtibus tamen prælio victis, ut ſui tutò terræ adnavigare poſſent Tiberius effecit. Id. ibid.

Sub idem tempus Mithridates Pergamenus magnæ nobilitatis domi ſcientiæque in bello & virtutis, fidei, dignitatíſque in amicitia Cæſaris, miſſus in Syriam Ciliciámque initio belli ad auxilia arceſſenda cum magnis copiis quas celeriter & propenſiſſima civitatum voluntate, & ſua diligentia confecerat, itinere pedeſtri, quo conjungitur Ægyptus Syriæ, Peluſium adduxit. Mithridati ſe conjunxerat Antipater Judææ Gubernator. Id. ibid. Joſeph. Ant. 14. c. 14.

Conatus verò per exitus Nili urbem illam pervenire, quum navigiis introitum Ægyptii obſtruxiſſent noctu, ad foſſam advectus eſt: in eámque navibus tranſportatus, neque enim pertingit ad mare, in Nilum navibus ſucceſſit, deinde eos qui oſtia Nili cuſtodiebant, ſubitò è mari fluvióque ſimul adortus, oſtia ipſa liberavit, Peluſiúmque claſſe, terreſtribúſque copiis aggreſſus, ídque oppidum firmo præſidio occupatum ab Achilla propter opportunitatem loci; namque tota Ægyptus maritimo acceſſu Pharo, pedeſtri Peluſio, velut clauſtris munita exiſtimatur, repentè magnis circumdatum copiis, multiplici præſidio pertinaciter propugnantibus, & copiarum magnitudine, quas integras vulneratis defeſſiſque ſubjiciebat, & perſeverantia, conſtantiáque oppugnandi, quo die eſt aggreſſus, in ſuam redegit poteſtatem, præſidiúmque ibi ſuum collocavit: ibique præcipuam operam navavit Antipater, primúſque dejecta quadam muri parte, aditum ceteris irrumpentibus in urbem aperuit. Dio lib. 42. Joſeph. ibid.

In;

LAGIDAR. an 276 Hirt. de bel. Alex. Inde re bene geſta Alexandriam ad Cæſarem Mithridates contendit, omneſque eas regiones, per quas iter faciebat, autoritate ea quæ plerumque adeſt victori, pacarat, atque in amicitiam Cæſaris redegerat. Locus eſt ferè regionum illarum nobiliſſimus, non ita longè ab Alexandria qui nominatur Delta, quod nomen à ſimilitudine literæ cepit, nampars quædam fluminis Nili, (mirè) derivata inter ſe, duobus itineribus paulatim, medium inter ſe ſpatium relinquens, diverſiſſimo ad littus intervallo à mari conjungitur, cui loco quum appropinquare Mithridatem Rex cognoviſſet, & tranſeundum ei flumen ſciret; magnas adverſus eum copias miſit, quibus vel ſuperari delerique Mithridatem, vel ſine dubio retineri poſſe credebat. Quemadmodum autem optabat eum vinci, ſic ſatis habebat intercluſum à Cæſare ſe retineri.

Id. ibid. Quæ primæ copiæ flumen à Delta tranſire & Mithridati occurrere potuerunt, prælium commiſerunt, feſtinantes præcipere ſubſequentibus victoriæ ſocietatem, quorum impetum Mithridates magna cum prudentia, conſuetudine Romana caſtris vallatis, ſuſtinuit; quum verò incautè atque inſolenter eos ſuccedere videret; eruptione undique facta, magnum eorum numerum interfecit, quod niſi locorum notitia ſe texiſſent, partimque in naves, quibus flumen tranſierant, recepiſſent, funditus deleti eſſent; qui ut plurimùm ab illo timore ſe recrearunt, adjunctis iis qui ſubſequebantur, rurſus Mithridatem oppugnare cœperunt.

Id. ibid. Commiſſa pugna eſt circa locum, qui caſtra Judæorum dicitur. Curabat dextrum cornu Mithridates, ſiniſtrum Antipater. In pugna Mithridatis cornu inclinatum eſt, videbatúrque cladem paſſurus, niſi maturè præter fluminis ripam accurrens cum ſuis Antipater, qui jam adverſarios profligaverat, exemptis ſociis periculo, jam vincentes Ægyptios coegiſſet tergò vertere. Qui adeò fugientibus inſtitit, ut caſtra hoſtium quoque caperet: advocato etiam in prædæ partem Mithridate, quem inſectando hoſtem longè à tergò reliquerat.

Joseph. Ant. l. 14. c. 14. Ex his Mithridates 800. amiſit, Antipater verò 80.

Hirt. de bel. Alex. Mittitur à Mithridate nuntius Cæſari, qui rem geſtam perferret, cognoſcit ex ſuis eadem hæc accidiſſe Rex. Ita pænè ſub idem tempus & Rex ad opprimendum Mithridatem proficiſcitur, & Cæſar ad recipiendum; Rex celeriore fluminis Nili navigatione eſt uſus, in qua magnam & paratam claſſem habebat. Cæſar eodem itinere uti noluit, ne navibus in flumine dimicaret. Noctu igitur navibus ſolutis, tanquam ad oſtium quoddam Nili properaret, accenſiſque per omnes naves plurimis facibus, quo magis eò contendere videretur, initio navibus eſt provectus. Pòſt luminibus extinctis retrò navigavit: circumvectúſque urbem, ad peninſulam Africæ adhærentem appulit: & expoſitis militibus paludem circumivit, priúſque Regis copiis occurrit, quam is Mithridatem aggredi poſſet, eúmque ad ſe victorem incolumi exercitu recepit.

Id. ibid. Conſederat cum copiis Rex loco naturâ munito, quod erat ipſe excelſior planities ex omnibus partibus ſubjecta, tribus autem ex lateribus variis genere munitionibus tegebatur. Unum latus erat ſubjectum flumini Nilo; alterum editiſſimo loco ductum, ut partem caſtrorum obtineret: tertium palude cingebatur. Inter caſtra Regis & Cæſaris iter, flumen intercedebat anguſtum, altiſſimis ripis, quod in Nilum influebat, aberat autem ab Regis caſtris millia paſſuum circiter ſeptem, Rex quum hoc itinere venire Cæſarem comperiſſet, equitatum omnem, expeditóſque delectos pedites ad id flumen miſit, qui tranſitu Cæſarem prohiberent, & eminus è ripis prælium impar inirent.

Id. ibid. Nullum enim proceſſum victus habebat, aut periculum ignavia ſubibat, quæ res incendit dolore milites & equites Romanos: itaque eodem tempore equites Germani diſperſi vada fluminis quærentes paſſim demiſſioribus ripis flu-

flumen tranſnarunt; & legionarii magniſque arboribus exciſis, quæ longitudine utramque ripam contigerant, projectis, repentinóque aggere injecto flumen tranſierunt, quorum impetum adeò pertimuerunt Alexandrini, ut in fuga ſpem ſalutis collocarent, ſed id fruſtrà, namque ex ea fuga pauci ad Regem refugerunt, penè omni reliqua multitudine interfecta. LAGIDAR. an 276.

Cæſar re præclariſſimè geſta; quum ſubitum adventum ſuum judicaret magnum terrorem hoſtibus injecturum, protinus victor ad Regis caſtra pertendit, hæc quum & opere magno vallata & loci natura munita adverteret; confertámque armatorum multitudinem collocatam in vallo videret, laſſos itinere, ac præliando milites ad oppugnanda caſtra ſuccedere voluit; itaque non magno intervallo relicto ab hoſte caſtra poſuit. Id. ibid.

Poſtero die caſtellum quod Rex in primo vico non longè à ſuis caſtris munierat, brachiiſque cum opere caſtrorum conjunxerat vici obtinendi cauſa. Cæſar aggreſſus, omnibus copiis expugnat: non quòd id minori numero militum conſequi difficile factu putaret, ſed ut ab ea victoria perterritis Alexandrinis, protinus caſtra Regis oppugnaret; itaque eo concurſu quo refugientes Alexandrinos ex caſtello in caſtra ſunt milites inſecuti, munitionibus ſucceſſerunt, acerriméque eminus præliari cœperunt, duabus ex partibus aditus oppugnationis Romanis dabatur: una quam liberum acceſſum habere demonſtr..tum eſt; altera, quæ mediocre intervallum inter caſtra & flumen Nilum habebat; maxima & lectiſſima Alexandrinorum multitudo defendebat eam partem, quæ facillimum aditum habebat: plurimùm autem proficiebant Alexandrini in repellendis vulnerandiſque Romanis, qui in regione fluminis Nili propugnabant, diverſis enim telis Romani figebantur, adverſi ex vallo caſtrorum, averſi ex flumine, in quo multæ naves inſtructæ funditoribus & ſagittariis Romanos impugnabant. Id. ibid.

Cæſar quum videret milites acriùs præliari non poſſe, nec tamen multùm proficí propter locorum difficultatem, quumque animum adverteret excelſiſſimum locum caſtrorum relictum eſſe ab Alexandrinis; quòd per ſe munitus eſſet, & ſtudio partim pugnandi, partim ſpectandi, decurriſſent in eum locum, in quo pugnabatur; cohortes illo circuire caſtra & ſummum locum aggredi, juſſit, hiſque Carſulenum præfecit & animi magnitudine & rei militaris ſcientia virum præſtantem. Quò ut ventum eſt, paucis defendentibus munitionem, Romanis contra militibus acerrimè pugnantibus diverſo clamore & prælio perterriti Alexandrini, trepidantes in omnes partes diſcurrere cœperunt. Id. ibid.

Horum perturbatione, Romanorum animi adeo ſunt incitati, ut penè eodem tempore ex omnibus partibus, primi tamen editiſſimum locum caperent: ex quo decurrentes magnam multitudinem Alexandrinorum in caſtris interfecerunt; quod periculum plerique Alexandrini fugientes acervatim de vallo ſe præcipitavere in eam partem quæ flumini erat adjuncta, horum primis in ipſa foſſa munitionis magna vi oppreſſis. Ceteri faciliorem fugam habuerunt.

Ptolemæus ipſe ex caſtris fugiens, in navem receptus eſt, ſed multitudme eorum, qui ad proximas naves adnatabant, demerſo navigio periit. Hirt. bel. Alex. Liv. lib. 112.

Re feliciſſimè celeberriméque geſta Cæſar, magnæ victoriæ fiducia proximo terreſtri itinere Alexandriam cum equitibus contendit, atque ea parte oppidi victor introivit, quæ præſidio hoſtium tenebatur, omnis multitudo oppidanorum, armis projectis munitionibúſque ſuis relictis, veſte ea ſumpta qua ſupplices dominantes deprecari conſueverunt, ſacriſque omnibus prolatis, quorum religione precari offenſos iratóſque animos Regum erant ſoliti, advenienti Cæſari occurrerunt. Dio l 41. Hirt. ibid. Id. ibid.

 Cæ-

LAGIDAR. an. 276. Floris. l. 4. c. 4. Eutrop. l. 6. Oroſ. l. 6. c. 15.

Cæſar in fidem receptos conſolatus, per hoſtium munitiones in ſuam partem oppidi magna gratulatione venit ſuorum: qui non tam bellum ipſum ac dimicationem; ſed etiam talem adventum ejus felicem lætabantur.

Corpus Ptolemæi obrutum limo ad Nili ripam devolutum, loricæ aureæ indicio cognitum, repertum eſt.

Porphyr. Gr. Euſeb.

Ptolemæus annos natus 17. deceſſit, ſi quidem erat 13 quum Ægypti Regnum ſuſcepit & illud tenuerit 3. cum menſibus 8. unde Regnum illius quadriennium ſcilicet incœptum perhibetur.

Licèt Cleopatra Regnum Ægypti cum Ptolemæo fratre ex patris teſtamento haberet, ea lege nempe ut ei nuberet, non viſum eſt Cæſari ut ſola regnaret; quandoquidem alterum juniorem fratrem habebat, & Mares feminis in Regnorum ſucceſſione præponuntur. Ei data eſt in uxorem, & ob ætatem pueri, ipſa ſola rerum adminiſtrationem præferebat, ſed Ptolemæus erat Rex & ideo ante Cleopatram numerandus, quamvis Regni annos à Patris morte numeraverit.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput juvenile Regis diademate & corona hederacea ornatum, cum chlamyde & ſupra humerum lævum thyrſo: in averſa parte ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. & in area Aquila inſiſtens fulmini.

Juvenilis illa Regis effigies Ptolemæo XII. Ptolemæi, Auletæ vulgò dicti filio ab Antiquariis primæ notæ tribuitur, ſi verò Tyrones ad patrem pertinere poſſe nummum protulerint, haud dubiè collatis utriuſque nummis protinùs ab opinione recedent, nam patris effigies plenior ac latior, naſôque paulò eminentiore & acutiore eſt; ille etiam ætate filium quando factus eſt ab Alexandrinis Rex & ſorori Cleopatræ jam nupſerat, filius autem vix tredecim annos natus erat quando Regnum ſuſcepit.

Porphyr. Gr. Euſeb.

Pater ab auctoribus vocatus eſt novus Dionyſus, ὁ ἐπικληθεὶς νέος Διόνυσος. Filius verò in memoriam parentis ſe Dionyſum ad utriuſque diſtinctionem appellavit; Neuter ſe hoc Bacchi nomine in nummis inſignivit, patrem quidem in ſuis ſub Neptuni effigie cum corona radiata Diis familiari protulimus, filium verò ſub Bacchi imagine, utpotè juniorem nam ille Deus ſemper juvenis depingebatur, nunc exhibemus, ut ipſi Ptolemæi inter ſe dignoſcantur.

Ovid. meta.

Ath. l. 15. c. 15.

Cur corona hederacea Dionyſo tribuatur, aiunt, quum aliquem fortè dolor capitis urgeret, ejus compreſſu levatum, vinculum intellexiſſe doloris præſens eſſe remedium: hac igitur medicina opitulantes, eorum qui nimium bibiſſent, caput revinciebant, ob eámque rationem Dionyſo dedicarunt, qui ut potum invenerit, & malis inde naſcentibus ſuccurrat.

Thyrſus eſt haſta Dionyſo pro ſymbolo data, illa erat frondibus veſtita, pampinis ac foliis hederæ obtecta, in cujus extremitate cuſpis vel mucro, forma coni pinei.

Non illi Ptolemæi cognomen Dionyſi, tulere primi; jam unus ex Syriæ

Reg-

Regibus nomine Antiochus ſibi adſciverat, cujus nummum Joſephi teſtimo- LAGIDAR.
nio decepti, noviſſimo Antiochi vulgò Gryppi filio tribueramus qui ex epo- an. 276.
cha Seleucidarum HEP. 168. ad Antiochum Alexandri Theopatoris filium cu- Joſeph. Ant. l. 13. c. 13.
jus fuit tutor Tryphon, pertinet, ut demonſtrabimus ſi aliquando Hiſtoria pag. 382.
noſtra Syriæ Regum altero prælo ſubjiciatur. & ſeq.

Obſervandum in Ptolemæi Dionyſi nummis nullam Regni notam reperiri, qua de re quando illi fuerint percuſſi, ignoratur; qui mos non à patre ſolùm ſed a Ptolemæi Alexandri II. Regno cœptum obſervavimus: quæ res magnum Hiſtoriæ Ptolemæorum attuliſſet detrimentum, ſi quidem tot illorum Regum effigies diſcernere haud fuiſſet poſſibile, niſi annis eorum imperiis in iis ſumma diligentia ſignatis adjuti fuiſſemus; præſertim quum duo tantùm illi Principes, primus nempe Soteris cognomen, & Ptolemæus ſextus Philometoris appellationem in nummis conſignarint.

PTOLEMÆUS Junior,
REX ÆGYPTI XIII.



Ap. D. Foy Vaillant D. M.
ex num. arg. tetradr.

PTolemæus Ptolemæi novi Dionyſi vulgò Auletis, filius junior, undecim Lagid. 277.
annorum puer Ptolemæo fratri majori ex ordine naturali, & ex Cæſaris con- Ptol. Jun. 1.
ſtitutione in Ægypti Regno ſucceſſit, & ut Cleopatra ſoror primogenita teſtamento patris, priùs conjuncta in matrimonium cum fratre Dionyſo, ſicut uxor junioris adhuc eſſet, præſcripſit Cæſar, Regnum quidem ſoli Cleopatræ cujus gratia bellum Alexandrinum geſſerat, non conceſſit, metuens ne Ægyptii mulieris imperio addicti, denuò tumultuarentur, néve Romanorum, in ſe animos, quum hujus rei, tum ſuæ cum Cleopatra conſuetudinis

LAGIDAR. an. 277. cauſa commoverat, ſed ut illa viginti annos nata eſſet & ille undecim tantùm haberet, ſub matrimonii ſpecie, ipſa rerum ſola potiebatur.

Hirt. ibid. App. bel. civ. 2. Cæſar in Ægypto menſes novem exegit & invitum diſcedere bellum Pharnacis & Italiæ res coegerunt: ſecum Arſinoen Cleopatræ natu minorem, cujus nomine diù Ganymedes impotenter regnaverat, ex Ægypto deduxit, ne qua rurſus diſſenſio nova, priuſquam diuturnitate confirmarentur Regis imperia per ſeditioſos naſceretur; legione Veterana VI. ſecùm deducta, ceteras tres Alexandriæ reliquit, quo firmius eſſet eorum Regum imperium, qui neque amorem ſuorum habere poterant, quód fideliter permanſerant in Cæſaris amicitia, neque vetuſtatis autoritatem, paucis diebus Reges conſtituti.

Sueton. in Jul. Trium legionum, quas in urbe relinquebat, curam & imperium Rufini liberti ſui filio exoleto ſuo demandavit.

Id. ibid. Plut. in Cæſ. Cleopatra poſt Cæſaris diſceſſum peperit filium, qui Cæſario ab Alexandrinis & à matre, ipſo permittente Cæſare appellatus eſt.

Lagid. 278. Ptol. Jun. 2. App. bel. civ. 2. Dio lib. 43. Arſinoe Cleopatræ ſoror à Cæſare Romam deducta in triumpho quem ille de Ægypto egit, Achillæ Pothini caſus plauſibilis fuit, ſed quando illa inter captivos conſpecta eſt, ſexus & habita tunc pro Regina (nempe Cypri), & inter vinctos, quod nunquam Romæ contigerat ducta, plurimùm commiſerationis injecit, ut quum ejus occaſione lugerent vicem Romani, quiſque proprias calamitates deplorarent. Ceterùm Arſinoe in Germanorum gratiam dimiſſa eſt.

Dio ibid. Suet. in Jul. c. 52. Cleopatra ab Ægypto accita à Cæſare Romam venit cum Ptolemæo marito ſuo; ſed Cæſaris amor, neque is jam, cui in hoc Regno ſervierat, (quippe ejus fama tantùm Romam venerat), ſed cui in ipſa urbe deditus erat, magnoperè ei ab omnibus vitio verſus fuit. Cleopatræ domicilium in ædibus ipſius Cæſaris deſignatum fuit, ut jam utriuſque rei nomine malè audiret, ipſe infamiam nihil curans, Ptolemæum & Cleopatram inter amicos ſociósque Romanorum adſcripſit, Reginam non niſi maximis honoribus præmiiſque auctam remiſit, ejúſque ſtatuam poſuit ad latus Veneris Genitricis, cujus
App. bel. civ. l. 2. templum in urbe hoc anno dedicaverat.

Lagid. 279. Ptol. Jun. 3. Quum mos ab Ægyptiis eſſet inſtitutus, ut Reges ſuos qui per ætatem ſui juris non eſſent, illos decimo quarto eorum anno Memphim ad Anaclateria promovenda ducerent, ubi illos Reges proclamabant jurejurando ab iis pro legibus accepto, uti ſuprà diximus: hoc anno Ptolemæus hanc ætatem adeptus, in illam urbem ipſa Cleopatra procurante, ut totius dominationis avida non videretur, progreſſus eſt, & Rex publicè declaratus eſt.

Solebant etiam Reges in hac ſolenni die illuſtre aliquod cognomen ſibi adaptare ut ſe ab aliis principibus anteceſſoribus diſtinguerent & ſi aliquod jam uſurpatum eligerent, ordine ſecundi, aut tertii dicerentur; at quum Ægyptiorum Regum Hiſtoria, nobis ſcriptorum penuria, obſcuriſſima eſt relicta, quod verò cognomen Ptolemæus ille junior ſibi impoſuerit, præſertim quum Cleopatra regnaret ſola, & à plurimis illius Regnum ſit prætermiſſum, ignoratur.

Lagid. 280. Ptol. Jun. 4. App. bel. civ. 2. Cæſar idibus Martiis à conjuratis Romæ in curia confoſſus eſt, cujus rumor quum Alexandriam eſſet allatus, legiones Romanæ quæ pro præſidio urbis ab eo relictæ fuerant, in armis eſſe cœperunt.

Cicer. ad Att. l. 15. ep. 13. Porphyr. Gr. Euſeb. Ptolemæus initio Regni ſui Ægypti quarto, à Cleopatra ſorore dolo circumventus periit, anno ætatis decimo quinto, quum illa Octavum Ægypti Regni annum dinumeraret, tres & 8. menſes nempe cum fratre majore & tres & ſex menſes cum minore, ſed ab anno quo Cleopatra ſola Regnum tenuit, eos auſpicabimur.

EX



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput diadematum puerile ſine literis: in averſa parte Aquila fulmini inſiſtens cum epigraphe ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. In area à dextris ΜΕ. id eſt Μεμφιτῶν. Memphitarum.

Nummus iſte tetradrachmalis argenteus in Cimelio Card. Maximi Romæ primùm à nobis obſervatus eſt, ab Antiquariis Romanis ad Ptolemæum juniorem Ptolemæi Auletæ filium ſpectare exiſtimabatur, præſertim quum Leonardus Agoſtini Senenſis trium ſummorum Pontificum Antiquarius, inſigni in gemma annulari, effigiem huic Regi in nummo percuſſam, per quam ſimilem poſſideret. Hic autem Ptolemæus puer ut annorum quatuordecim natus conſpicitur, cujus imago etſi aliquam fratris majoris ſpeciem præferat, ab eo facilè ipſo intuitè diſcernitur. Adde quód fratris capilli paulò longiores ſunt Ægyptiorum Regum prædeceſſorum more quaſi calamiſtrati; hujus verò tonſi Romanorum exemplo quaſi illorum conſuetudine uti voluerit.

ΜΕ. initiales literas Μεμφιτῶν id eſt Memphitarum interpretamur, quód ille nummus Memphi percuſſus ſit Anacletariorum tempore, quando Ptolemæus Rex ab Ægyptiis more ſolito proclamatus eſt, qua de re in illius memoriam moneta ſignabatur, ut adhuc apud nos Rhemis obſervatur, quando Rex annum decimum adeptus ibi coronatur: ſed Galli æræ illius curioſi diem & annum in nummo conſignare ſolent, Ægyptii verò his parùm ſolliciti, primas urbis literas apponere, ut qui rem haberent notiſſimam, contenti erant.

LAGIDAR.
an. 280.

CLEOPATRA. VI.
ULTIMA REGINA ÆGYPTI.



In theſauro LUDOVICI MAGNI, *ex num. arg. tetradr.*

LAGIDAR. an 280. Cleop. 1. CLeopatra defunctis fratribus Ptolemæis, majore quidem Nili aquis obruto, Juniore autem veneno à ſe ſublato ſola tandem Ægypti Regnum adminiſtrare cœpit, quod Cæſarioni filio relinquere ſperabat, ſi res permitteretur, ut poſtea occaſionem nacta petiit à Triumviris ut Rex Ægypti appellaretur, de quo nos infrà.

Poſt Cæſaris mortem Dolabella ab illo in annum proximum Conſul deſignatus, ipſius loco conſulatum iniit, cùm M. Antonio qui Conſul erat cùm Cæſare, & ipſi Syria Provincia eſt aſſignata, quum priùs Caſſio illam Cæſar deſtinaſſet.

Lagid. 281. Cleop. 2. App. bell. civ. l. 4. Quum Dolabella in Syriam profecturus Roma egreſſus eſt in Aſiam tranſiit, in qua moratus A. Allienum Legatum ſuum in Ægyptum miſit ad Cleopatram, ut ab ea acciperet legiones quatuor, Pompeii Craſſique cladis reliquias, aut ex eorum numero qui Cæſare diſcedente apud illam remanſerant, quas illi Regina ut partium Cæſarianarum fautori conceſſit.

Id. ibid. C. Caſſius Dolobellam in Aſia morantem præoccupat & Syriam invadit, atque in Judæam contendit, quum audiret per Palæſtinam Allienum cum legionibus quæ in Ægypto acceperat, in Syriam venire, cui illic occurrit, illáſque coegit ſuis partibus accedere; non auſus quatuor ſuas opponere octo legionibus quas Caſſius ducebat: itaque hic præter opinionem duodecim in univerſum potitus eſt.

Do-

Dolabella claſſem mercede per L. Figulum conducens à Rhodiis, Lyciis, Pamphyliis, Cilicibúſque, expeditionem aggreſſus eſt in Syriam, ipſe terreſtri itinere cum duabus legionibus petens Provinciam, Figulo illuc navigante per mare, Laodiceam maritimam ambo pervenerunt. LAGIDAR. an. 281. Id. ibid.

Caſſius Dolabellæ claſſem invadere cupiens, per nuntios à Cleopatra & aliis, P. Romani ſociis, naves petiit, contemptus verò licèt ab omnibus præter Sidonios, navale tamen prælium cum Dolabella iniit in quo utrinque, ſatis multis navibus demerſis, quinque unà cum navalibus ſociis in Dolabellæ poteſtatem redactæ ſunt. Id. ibid.

Poſtea Caſſius rurſum nuntios miſit ad eos qui priora imperata contempſerant, & ad Cleopatram & ad Serapionem qui in Cypro copiis ejus præerat, Serapio Regina inconſulta miſit naves quotquot habebat. Cleopatra quidem claſſem paratam tenebat ad ferendum auxilium, ſed licèt per adverſa, tempeſtates navigare non poſſet, cauſata eſt Ægyptios fame ſimul & peſte laborare, ſuppetias omninò non tulit Dolabellæ. Id. ibid.

Dum Caſſius reparat vires contra Dolabellam & tandem illum Laodiceæ oppugnat. Cleopatra ubi cognovit Octavianum Cæſarem, Antonium & Lepidum ſocietatem pro ultione cædis Cæſaris iniiſſe & Triumviratum Conſulari poteſtate in quinquennium accepiſſe, medio Dolabellæ bello claſſe ſumptuoſa navigavit verſus mare Ionium, contempto Caſſio Murcíque ſtationibus.

Caſſius Dolabella Laodiceæ occiſo, inde Ægyptum infeſtus petiit audito quòd Cleopatra magna claſſe navigaſſet ad Cæſarem & Antonium, cogitans ſe hoc modo eam impediturum ſimul & puniturum, atque etiam Ægyptum occupare cupiens fame afflictam, & externo milite penè vacuam, propter recentem Allieni diſceſſum, ſed quum à Bruto vocaretur quòd Cæſar jam cum Antonio contra ſe per mare Ionium navigarent, ſic Caſſius invitus à ſperata Ægypto diſtractus eſt. App. de bel. civ. l. 4.

A Triumviris Cleopatra propter auxilium non modò navium ſed pecuniæ quam eadem miſerat, Dolabellæ ſubminiſtratum, impetravit ut ejus filius Ptolemæi nomen gerens, quem è Cæſare ſe peperiſſe dicebat, & propterea Cæſarionem cognominatum, Ægypti Rex diceretur. Diol. 47. pag. 345.

Cleopatra dolens quòd claſſis ſua in Africæ littore, tempeſtate fuiſſet afflicta cujus naufragii ſigna undis uſque in regionem Laconicam delata fuerant, ſeu quòd hiems ipſi moleſtiam & incommodum procreaſſet, in morbum etiam ſi non periculoſum, attamen Chronicum incidit. Lagid. 282. Cleop. 3. App. ibid.

Caſſio & Bruto ad Philippos à Cæſare & Antonio devictis, Cæſar in Italiam, Antonius tranſmarinas Provincias petiit, quo quum perveniſſet, Demetrio Julii Cæſaris liberto, Cyprum regendam commiſit & ad Cleopatram Dellium miſit, imperans in Ciliciam ut ſibi occurreret ad cauſam dicendam, quòd Caſſio diceretur, multùm ad bellum ſubminiſtraſſe opis & ſubſidii. Plut. in Anton. Diol. 48. Plut. ut ſup.

Dellius Ægyptum profectus, ut formam Reginæ aſpexit, in verbíſque acrimoniam & aſtutiam animadvertit, quòd protinùs ſentiret nihil in talem feminam Antonium conſulturum gravius, ſed fore illam apud eum maximam, convertit ſe ad colendam excitandámque Cleopatram, iret in Ciliciam adornata, neque jucundiſſimum Imperatorem, humaniſſimúmque formidaret: ille tunc annum quadrageſimum in circa agebat. Id. ibid.

Regina ab Dellio inducta, hinc conjecturam ducens ex prioribus ſuis formæ cum Cneo Pompeii filio & Julio Cæſare commerciis, facilè, Antonium ſperavit ſe ſubacturam: quando puellam adhuc illi & rerum rudem cognoverant, ad hunc verò ventura erat, quo maximè tempore ſpeciem habent feminæ florentiſſimam & ingenio vigent. Tunc enim 25. annos erat nata. Itaque magnam vim donorum & pecuniæ parat, ornamentáque, qualia veriſimile Lagid. 283 Cleopatr. 4.

I AGIDAR. an. 283. mile ſi potuiſſet eam ex ingenti opulentia & Regno felici afferre. Maximam verò ſpem in ſemetipſa ſuiſque ponens præſtigiis & veneribus, dat ſe in iter.

Id. ibid. Quum autem multas ab illo atque invitantibus ipſam amicis illius acciperet literas, uſque adeò deſpexit & deriſit Antonium, ut ſubveheretur Cydno fluvio in navigio aurata puppi, velis paſſis purpureis, remigio argenteis ducto remis ad tibiarum, fiſtularum, & cithararum modos. Recumbebat illa ſub tabernaculo auro intexto eleganter exculta, ut pingitur Venus. Pueri pictis Cupidinibus aſſimiles hinc & inde ſtabant, & ventulum ei faciebant, Ancillæ itidem, quæ formâ præcellebant, Nereidum & Gratiarum modo mixtæ partim aſſiſtebant gubernaculis, partim rudentibus complebant ripas odores ex ſuffituum copia flagrantiſſimi.

Ibid. Homines autem alii ſtatim à fluvio ex utraque ripa comitabantur eam, alii ad ſpectaculum deſcendebant ex urbe. Effuſa forenſi turba ipſe denique pro tribunali ſedens Antonius relictus eſt ſolus. Manavit autem per omnes rumor, Venerem ad ſalutem Aſiæ venire ad Bacchum comeſſatum. Antonius ergo miſit certos qui eam ad cœnam invitarent. Illa verò Antonium potiùs venire cenſebat ad ſe debere, qui ut ſub adventum illius facilitatem aliquam & comitatem oſtenderet morem geſſit ei ac venit.

Appian. bel. civ. l. 5. Antonius Cleopatram incuſavit quòd non fuiſſet proximo bello Julii Cæſaris laborum particeps: illa non tam ſe excuſavit quàm ultrò imputavit quatuor legiones inter initia belli miſſas ad Dolabellam; & quod poſt aliam claſſem paratam impedita ſit adverſis tempeſtatibus, caſúque Dolabellæ victi opinione citiùs: quódque Caſſio bis minaciter imperanti ſuppetias non tulerit, medióque bello claſſe ſumptuoſa navigaverit verſus mare Ionium, contempto Caſſio Murcique ſtationibus donec hyems præter aliam jacturam ipſam quoque in morbum conjiceret, quamobrem nec poſtea ſe reverſam in mare parta jam victoria.

Id. ibid. Tum Antonius ex aſpectu mente ſaucius, continuò cœpit eam amare juveniliter, ingenio ſemper, (ut fertur) ad hujuſmodi res flexili: in hanc verò jam olim etiam tum puellam conjectis petulantiùs oculis, quum Alexandriam ſequeretur Ducem Gabinium juvenis præfectus equitum.

Plut. in Anton. Hoc primo Antonii cum Cleopatra congreſſu, apparatum quum offendiſſet ille incredibilem, imprimis frequentiam obſtupuit luminum, tam crebra enim undique ſimul demiſſa & exorta perhibentur fuiſſe, iiſque inter ſe poſituris & ſedibus diſtincta, & compoſita in quadrum & orbiculatim, ut illud inter celebrata literis & eximia ſpectacula fuerit unum. Poſtero die illam invitans viciſſim, ſplendorem illum & accuratum paratum eſt enixus ſuperare. Utrobique inferior, & victus in his ipſis, primus deriſit cœnæ ſuæ ſordes & ruſticitatem.

Figura Cleopatræ non erat, ut perhibent, per ſe uſque adeò incomparabilis, neque ut obſtupefaceret ſpectatores, ſed habebat aculeos conſuetudo inevitabiles, formáque cum ſermonis illecebris, & morum ſimul circumfuſæ conſuetudinem veneres ſtimulum aliquem infligebant. Ad hæc loquentis voci inerat ſuavitas ac linguam ſicut multarum organum fidium promptè ad quemlibet ſermonem vertens, perpaucis ſanè barbaris per interpretem, pleriſque dabat per ſemetipſa reſponſa, ut Æthiopibus, Troglodytis, Hæbræis, Arabibus, Syris, Medis, Parthis. Multarum inſuper linguas aliarum gentium dicitur tenuiſſe, quum anteceſſores ejus Reges ne Ægyptiam quidem percipere ſuſtinuiſſent; nonnulli etiam deſiſſent Macedonicam.

App. bel. civ. lib. 5. Ita ergo cepit Antonium, ut juſſa ejus omnes exequerentur, nullo jam reſpectu humani juris aut divini, nam & ſororem, ipſa Cleopatra rogante,

Arſi-

Arſinoen, apud Miletum Dianæ Leucophrynes, ſupplicem Antonius immiſſis percuſſoribus ſuſtulit. Alii eam Epheſi in templo Dianæ ſupplicem occiſam referunt. LAGIDAR an. 283. Joseph. Ant. l. 15. c. 4.

Serapionem Cypri Præfectum, quia auxilia Cleopatra inconſulta Caſſio miſerat, Tyri ſupplicem in templo Aſyli prærogativâ ab Antiocho Evergete donato, Tyrios juſſit Reginæ dedere. Similiter & Aradios alium quemdam ſupplicem pariter in Aſylo, quem illis conceſſerat Seleucus Callinicus, hic autem quum Ptolemæus Cleopatræ frater navali prælio in Nilo victus à Cæſare nuſquam comparuiſſet ampliùs, ſe Aradiis vendicarat pro Ptolemæo. Id ibid. Hiſt. Seleuc. pag. 321. Ibid. Pag. 57.

Sacerdotem quoque Epheſiæ Dianæ Megabizum, quòd Arſinoen ejus ſororem, tamquam Reginam hoſpitio excepiſſet, duci juſſit, ſed Epheſiis ipſi Cleopatræ pro eo ſupplicantibus, dimiſit hominem. App. ut ſup.

Cleopatra ex urbe Tarſo domum reverſa eſt & Antonius in Syriam profectus, interea Fulviæ ejus uxori in Italia cum Octaviano contentio intervenit quæ ad bellum apertum illos duxit. E Syria in Phœnicen deſcendit Antonius, & quum graviſſima populis indixiſſet tributa diviſis in hiberna copiis, in Ægytum ad Cleopatram abiit. Id. ibid.

Antonius à Regina exceptus ſplendidè, hyemavit ibi ſine inſigniis Imperii, habitu & more privati, ſive tamquam in alieno Imperio civitatéque Regia, ſive ut in hybernis feſtos dies celebraret. Sepoſitis enim curis, & ſemotis Ducum officiis, pro habitu patrio ſumpſit ſtolam Græcanicam quadrangulam & calceamentum album Atticum, quo tum Athenienſium, tum Alexandrinorum Sacerdotes utuntur, vocántque Phæcaſium: progrediebatúrque tantùm ad templa, aut gymnaſia, aut Philoſophorum conventicula, cum Græcis conſuetudinem habens, in obſequiis Cleopatræ, propter quam potiſſimùm aiebat ſibi eam peregrinationem ſuſceptam. Lagid. 284. Cleop. 5. Id ibid.

Dum verò Antonius in adoleſcentis otioſi oblectamenta & ludos abſumeret & per luxum profunderet tempus. Erat enim congreſſus quidem illis vitæ, quam inimitabilem vocabant invitabántque in dies ſe invicem incredibili ſumptuum profuſione: nam quum quidam Medicus induceret amicum ut ſplendorem & paratum unius cœnæ contemplaretur, ut ille inter alia multa, apros octo vidit aſſari, numerum miratus eſt convivarum: tunc riſit coquus, & dixit non eſſe frequentes convivas, ſed circa duodecim: verùm quoque ferculum ponendum in vigore, qui momento defloreſcat: Etenim fieri poſſe, è veſtigio ut cœnare Antonius velit, vel paulo pòſt, vel fortè tradunt tempus poculo poſcendo, vel ſermone aliquo illato. Unde non una, ait, ſed parandæ ſunt cœnæ. Si quidem difficile conjectu tempus eſt. Plutarch. in Anton.

At Cleopatra blandiendi artem multifariam partita, & ſeriis intento & ludo ſemper novam aliquam objiciebat voluptatem & oblectamentum, quo lactabat Antonium, neque noctu neque interdiù ab eo diſcedens, Etenim ludebat cum eo alea, potabat, venabatur, in armis ſe exercentem ſpectabat, noctu aſſiſtentem januis & feneſtris popularium, atque in eos qui intùs erant, dicta jacientem, per plateas comitabatur, & cum eo vagabatur veſte ancillari tecta. Namque ejuſcemodi cultu ornare ſe ille elaborabat. Unde frequenter dictis, frequenter etiam verberibus mulctatus regrediebatur. Id. ibid.

Quamvis eſſet autem ſuſpectus pleriſque Antonius, gaudebant tamen illius ludo & vernilitate Alexandrini, atque alludebant, lætíque dicebant non inſcitè neque inconcinnè tragicam perſonam eum adverſus Romanos ſumere, comicam adverſus ipſos, at multos illius ludos planè ineptum ſit referre. Quum verò piſcans aliquando, quòd infœlix eſſet in capiendo, præſente Cleopatra, ſtomacharetur, juſſit piſcatores urinantes antè captos piſces clam hamo ſuo affigere. Ut bis aut ter traxit, non fefellit Reginam, mirari autem fingens ſe illam rem narravit amicis, oravítque ut poſtero die ſpe- Id. Ibid.

LAGIDAR. an. 284.

ctatum venirent. Ubi frequentes conſcenderunt naves piſcatorias, & hamum Antonius demiſit, imperavit uni ex ſuis ut præveniens & adnatans ſalſamentum Ponticum annecteret hamo. Quum prædam Antonius habere putans ſubduxiſſet, calamum conſecuto ſcilicet riſu. Nobis da calamum, inquit, Imperator, Pharitis & Canobitis Regibus: venatio tua, urbes, Reges, Provinciæ ſunt.

Id. ibid.

Hujuſmodi nugas & pueriles ludos agentem Antonium duo occupant nuntii unus à Roma, L. Fratrem ejus & uxorem Fulviam cum Cæſare bellum geſſiſſe & perditis rebus profugere ex Italia: alter nihilo hoc lenior Labienum cum Parthis Provincias Romanas occupare vix tandem excitatus ex ſomno contendit in Parthos, proceſſitque ad Phœniciam, Tyrum uſque, ſed eam deſeruit, & Sexti Pompeii prætexens bellum in Italiam ſe ducentis navibus vertit: Fulviæ uxori occurrit, bellúmque contra Cæſarem ſuſcipit, ſed Fulvia Sicyone mortua, pax inter eos per Octaviæ ſororis Auguſti matrimonium inita eſt, non diſſimulabat quidem habere ſe Cleopatram: inficiabatur tamen, atque ratione adhuc hactenus certè luctabatur contra Cleopatræ amorem.

Plutarch. Appian. Dio Caſſ.

Antonius diviſo inter Cæſarem Romano Imperio, ita ut Orientales omnes trans ſinum Ionium regiones uſque flumen Euphratem Antonio cederent, & ille ad Parthorum progreſſum cohibendum P. Ventidium in Aſiam præmiſit qui Ciliciam & Syriam deinde recuperavit.

Joſeph. Ant. l. 14. c. 25.

Herodes Antipatri Idumæi filius Malchi Arabum Nabatæorum Regis perfidiam fugiens, verſus Peluſium properavit, ubi nautis eum non recipientibus qui navigaturi erant Alexandriam, à magiſtratibus loci honorificè eò eſt deductus ad Cleopatram. Illa tamen detinere ibi eum non potuit Romam properantem, ubi Antonio denarravit ea quæ ſibi & familiæ ſuæ in Judæa contigerant, Herodes Antonii interventu à Senatu Judææ Rex declaratus eſt.

Lagid. 285. Cleop. 6. App. bel. civ. l. 5.

Antonius ad bellum Parthicum profectus, Athenis hibernavit cum Octavia ex qua ſuſcepit filiam, ſicut antea Alexandriæ, cum Cleopatra, magno itaque cum luxu & voluptate Octaviæ, quæ excellentiæ formæ gravitatem & prudentiam haberet adjunctam, Athenis exacta hieme, Octaviam remiſit in Italiam ne ſui in Parthico bello periculo conſors eſſet.

Dio l. 48. Eutrop. Oroſius.

In Syriam profectus Antonius, celeberrima contra Parthos à Ventidio ejus Legato obtenta eſt victoria menſe Junio in qua Pacorus Orodis Parthorum Regis occiſus eſt, recuperatíſque quas occupaverant Provincias Parthi, Antonius Athenas ad hiemandum reverſus eſt, in quam urbem accerſivit Octaviam uxorem ut iterùm cum illa hyemem tranſigeret, & Ventidium Romam ad triumphum miſit.

Lagid. 286. Cleop. 7. Dio l. 48.

Ineunte vere Antonius ex Athenis ſolvens cum Octavia ſorore Tarentum trecentis navibus dives appulit, ut Cæſari contra Sextum Pompeium ferret auxilium, quod quum recuſaret Cæſar, exaſperatus eſt Antonius, Octaviam ergo miſit ad fratrem ut arbitra intra utrumque foret, & quum res pluribus neceſſitudinis vinculis fuiſſet compoſita, Antonius Octaviam prægnantem à Corcyra in Italiam remiſit ob belli pericula, & in Syriam profectus eſt.

D. Epiph. de Menſ. & pond.

Interim Cleopatra Bibliothecam, quum percelebris illa Regum Ptolemæorum ſub Julio Cæſare incenſa fuiſſet, alteram in eodem loco ædificari juſſit, quæ prioris filia appellata eſt, & ut illam Antonius augeret, Bibliothecas, quæ Pergami erant in quibus eſſent ducenta millia ſimplicium librorum, Reginæ poſtea donavit.

App. lib. 5. Dio l. 48.

Nihil hoc anno Antonius in Syria memoratu dignum egit, nam eundo in Italiam & inde revertendo Antiochiam totum ferè annum exegit, Soſio Syriæ gubernatore quieto, ne Antonium re geſta offenderet.

Diù

Diu dormitans Cleopatræ amor, qui ſopitus melioribus conſiliis atque LAGIDAR.
extinctus videbatur, eluxit ex integro, nam omnia honeſta tum repellens an. 287. Cleop. 8.
conſilia, Fonteium Capitonem ad Reginam in Syriam adducendam miſit, Plut. in Ant.
ut autem venit, ſtatim illa cogitavit: quo modo illam Provinciam faceret Joſeph. Ant. l. 15. c. 4.
ſuam, Syrorúmque Optimates apud Antonium criminata eſt, & interfici eos ſuadebat, ut eo modo faciliùs cujuſque poſſeſſionum fieret Domina. Lyſaniam Ptolemæi Mennei filium ſtudere eum rebus Parthicis cauſata, interficiendum curavit, ejúſque Regnum ab Antonio accepit.

Alexandra Herodis Judææ Regis ſocrus, quum iniquiſſimè ferret contem- Joſeph. Ant. l. 15. c. 2.
ptum Ariſtobulum filium, quod eo ſuperſtite, aliunde vocatus Pontificatum uſurparet, ſcripſit Cleopatræ per quemdam fidicinem ut Pontificatum filio ſuo petat ab Antonio, ſed illo rem negligente, Dellius Antonii amicus matri ſuaſit ut Ariſtobuli & Mariamnes effigies ad Antonium mitteret. Hic verò indecorum ſibi ratus puellam Herodi nuptam accerſere, atque etiam Cleopatræ ſuſpiciones vitans, ſcripſit ut aliquo honeſto prætextu Alexandra filium ad ſe mitteret; ſed poſtquam hæc relata ſunt Herodi, pontificatum Ariſtobulo conceſſit.

Quum Phraates Parthorum Rex Orodem patrem occidiſſet Primorum per- Dio lib. 49.
multi ab eo partim ad Antonium profugerunt, inter quos vir illuſtris & potens Monæſes, quem deinde remiſit Antonius ſub ſpem pacis dum ad bellum contra Parthos ſe compararet, & ut illud iniret ad Euphratem profectus eſt, quem nullo præſidio teneri exiſtimabat, ſed ubi illum diligenter cuſtoditum cognovit, mutata ſententia in Armeniam ut inde in Mediam contra Artavaſdem Regem tranſiret, ire ſtatuit.

Itaque in Ægyptum remiſſa Cleopatra per Arabiam profectus eſt in Ar- Lagid. 288.
meniam, cujus erat Rex Artabazes Tigranis filius Artavaſdis Medorum Re- Cleop. 9. Florus. l. 4.
gis inimicus, ſed Artabazes duplo quàm recta erat via ampliùs, per montes, Juſtin. l. 42.
invia ínque gyrum conducendo: ſed quum Antonio hybernandum eſſet in Armenia & exercitus ex itinere octo millium ſtadiorum reficiendus, ac priuſquam moverent ex hybernis Parthi, occupanda veris initio Media, moram non ſuſtinuit, ingreſſus in illam infeliciter pugnavit, & ſub ſpecie pacis malè à Parthis obſervatæ cum maximo damno in Syriam perfugit.

Itaque quum hoſtes ei non ampliùs graves eſſent, quaſi mente alienatus, Plut. in
atque ex medicamento aut præſtigiis Cleopatram perpetuò reſpectans, plus Anton.
ad maturiùs revertendum quàm ad conſervandos milites intentus rediit Antiochiam, properans cum Ægyptia Regina hybernare. Paucis comitatus deſcendit ad mare, atque in caſtello inter Berytum & Sidonem poſito (Leuce come appellatur,) ſubſtitit, ut Cleopatram operiretur: cujus anxius morâ languebat.

Ibi ſe ſtatim contulit in vinum & crapulam. Intolerans tamen tractus convivii exurgebat inter pocula, ac crebrò exiliens ſpeculabatur, quoad illa eſt Ibid.
in portum delata. Tulit ea militibus magnam vim veſtium & pecuniam. Sunt qui dictitant veſtem Antonium ab illa ſumptam & pecuniam de ſuo, ut ſi illa dediſſet, diviſiſſe. Ex pecunia viginti quinque drachmas ſeu denarios ſingulis legionariis, ac ratam aliis portionem dedit, & quum pecunia ipſa non ſufficeret, multam ei etiam amici contulerunt, multam à ſociis exegit. His Dio l. 49.
actis Antonius in Ægyptum abüt.

Octavia inſtituerat in Syriam ad Antonium navigare, Athenáſque venit, Lagid. 289.
interea Artavaſdes Medorum Rex, cui diſſenſio inter Phraatem Artabazem Cleop. 10. Plut. in Ant.
interceſſerat per Polemonem Ponti Regem in bello ab eo captum, vocavit App. l. 5.
Antonium, omnes ei opes offerens in belli ſocietatem. Quæ Legatio Antonio admodum grata fuit indéque magna ſpe inflatus, ſtatuit iterùm per Armeniam pergere, conventóque ad Araxem amnem Medo, tum bellum movere.

LAGIDAR. an. 189. Id. ibid. Quare ſcripſit ad Octaviam Athenis immorantem, ut ibi præſtolaretur, ſignificans ei expeditionem ſuam. Illa quanquam id ægrè tulit, & odorata eſt prætextum, quæſivit per literas tamen quò mitti vellet, quæ attulerat ei. Attulerat autem multam veſtem militarem, magnum numerum jumentorum, pecuniæ & munerum Ducibus amicíſque ejus, inſuper duo millia delectorum militum in cohortes prætorias inſignibus armis exornatorum. Hæc Niger quidam Antonii amicus ab Octavia miſſus expoſuit ei; & addidit meritas convenientéſque laudes. Antonius dona Octaviæ, cùm alia, tum milites, quos in hunc ea finem à fratre petierat, accepit.

Id. ibid. Cleopatra conferre ſecùm pedem animadvertens Octaviam veritáque ne cum gravitate morum & Cæſaris potentia, placidam adjungens conſuetudinem, & Antonii obſervantiam, inſuperabilis eſſet & ſemel potiretur viro, deperire ſimulabat ſe Antonii amore, ac corpus tenui victu deducebat. Obtutus oculorum ejus adeunte illo obſtupefactus, marceſcens abeunte & dejectus ſimulabatur. Moliebatur ſubinde videri lachrymari, lachrymas verò quaſi illum falſura citò detergebat & occultabat. Hæc agebantur parante illo profectionem ad Medum.

Id. ibid. Inſervientes autem aſſentatores Cleopatræ increpabant Antonium ut durum ac ferreum qui immeritò perderet feminam ex illo pendentem uno & ſolo: Octaviam enim rebus poſtulantibus fratris gratia junctam ei fuiſſe & nomine frui uxoris; Cleopatram verò, tam multorum Reginam mortalium pellicem Antonii nominari: neque eam hoc defugere vel dedignari nomen, quo ad aſpicere illum & unà liceat vivere, quo ſi orbaretur, non ducturam ultrà ſpiritum. In tantum denique molliverunt & effœminarint hominem ut verens ne mortem ſibi conciſceret Cleopatra omiſſa profectione ad Medum, Dio l. 49. Alexandriam regreſſus ſit; atque ita deinde magis adhuc amori & impoſturæ Cleopatræ ſervivit.

Joſeph. Ant. l. 15. c. 3. Herodes Alexandram ſocrum juſſit intra Regiam contineri ne res turbaret, quod ejus animum exaſperavit, quare miſit ad Cleopatram literas præſentem rerum ſuarum ſtatum deplorans & rogans ut opem aliquam ſibi afferat. Illa juſſit eam unà cum filio Ariſtobulo clam in Ægyptum ad ſe confugere, quod conſilium placuit, móxque tale quiddam comminiſcitur. Paratis duabus ſandapalis in has ſe & filium incluſit, juſſit famulis conſciis, ut noctu has afferrent: erat autem mare petendum, ubi paratum ſtabat navigium quod eos in Ægyptum deveheret.

Id. ibid. Hæc apud Sabbionem amicum Alexandræ Æſopus ipſius ſervus effutivit, putans eum non eſſe inſcium ejus conſilii, quo cognito Sabbion, qui hactenus inimicus erat Herodis, ſuſpectus quaſi ſocius inſidiarum quibus Antipater veneno ſublatus eſt, arripuit occaſionem conciliandæ ſibi per hoc indicium Regiæ benevolentiæ, ad eum inſidias ſocrus detulit, at ille paſſus eam tentare negotium, in ipſa fuga deprehenſam retraxit. Veniam tamen erroris dedit, non auſus ei mali quicquam facere. Verebatur enim non ceſſaturam Cleopatram, odii tali anſa præbita: quare ſimulata magnanimitate volebat per clementiam videri indulgentior.

Plut. in Ant. Porrò Octaviam, quæ ludibrio eſt viſa, ut redux ex Athenis fuit, domum ſuam juſſit Cæſar migrare, ſed negavit, illa domum ſe viri lecturam, in ea igitur, ut ſi præſens eſſet, habitavit, & liberorum ejus non modò ex ſe, ſed ex Fulvia editorum honeſtam & magnificam curam egit.

Dio l. 49. p. 403. Mortis interea Sexti Pompeii, juſſu M. Antonii patratæ nuntius, Romam eſt allatus, Cæſar ſtatim Antonio currum ante roſtra & ſtatuas in templo Concordiæ poſuit. Nam adhuc fingebat ſe ejus eſſe amicum, eúmque de Parthica clade conſolatus eſt, invidiámque adverſus ſe victoriæ Sexti Pompeii & honorum ob eam decretorum nomine, obortam expoſuit.

An-

Antonius qui ultionis cauſam contra Artabazem Armeniæ Regem dilata- LAGIDAR.
verat, quærens occaſionem in Armeniam ad eum proficiſci ſtatuit, ineuntéque an. 290. Cleop. II.
vere cum Cleopatra ex Ægypto diſceſſit, Artabazes autem ad eum venire noluerat, etiam ſi per Dellium in matrimonium filiæ illius pro Alexandro filio popoſciſſet.

Alexandra filio Ariſtobulo aquis immerſo, vindictæ contra Herodem deſi- Joſeph. Ant.
derio accenſa, per literas Regis inſidias Cleopatræ indicaverat, ſimúlque fi- l. 15. c. 4.
lii ſui miſerabilem interitum. Illa verò jam dudùm adjuvandi eam cupida, & miſerta mulieris infortunium non ſecùs quam proprium curavit hoc negotium: nec deſtitit incitare Antonium ad ulciſcendam necem juvenis, indignum facinus dictitans Herodem ope ejus alieni juris potitum in legitimam Regum ſtirpem tam inſolenter debacchari. His permotis Antonius poſtquam Laodiceam Syriæ pervenit, accerſivit ad ſe Herodem dicturum cauſam de objecto necis Ariſtobuli crimine.

Herodes Cleopatræ odium metuens indeſinenter Antonium contra ſe irri- Id. ibid.
tantis, ad illum venit, muneribus placavit, & crebris colloquiis indignationem Antonii leniit, ut minùs poſthac ponderis haberet apud eum Cleopatræ inſtigatio, negabat enim Antonius oportere Regem facti ſui rationem reddere, alioqui ne Regem quidem futurum, ſed dato illi ſemel honore, etiam liberam poteſtatem permittendam eſſe: ídque ipſum etiam Cleopatræ aiebat conducibile, ſi non multum ſe miſceret alienis imperiis.

Honos ab Antonio Herodi habitus eſt, ad conſeſſúmque ſæpè ille adhi- Id. ibid.
bitus & ad quotidiana convivia, ídque non ceſſante à criminationibus Cleopatra quæ capta ejus regionis cupidine, quò Regnum id ſibi uſuparet, omnibus modis quærebat eum perdere. Sed quia juſtum ſe præberet Antònius nihil poſthac expectandum gravius exiſtimabat & brevi in Judæam conſtabilito tam Regno quàm amicitia, nec relictam Cleopatræ cupiditatem ullam ſpem, quando Antonius pro ejus poſtulatis Cœleſyriam conceſſiſſet, hac conditione, ne poſthac Judæam peteret, & deducto aliquantiſper Antonio contra Parthos eunte, Herodes in Judæam reverſus eſt.

At quum Cleopatra non deſineret in omnes incitare Antonium, quem Id. ibid.
hortabatur, ut auferens cuique ſuam dynaſtiam ipſi contribueret, flagitans etiam ab eo Judæam ſimul & Arabiam, Antonius Cleopatræ amoribus irretitus partes de Herodis & Malchi ditionibus, ablatas ei largitus eſt, nempe Judææ regionem quæ balſamum gignit & Arabiam Nabatæam Malchi Regis, quantùm ad Oceanum vergit. Adhæc Phœniciæ partem ſcilicet urbes quotquot ſunt intra fluvium Eleutherum uſque Ægyptum: præter Tyrum & Sidonem, quas jam inde à majorum ætate ſciebat eſſe liberas.

Hæc aſſecuta Cleopatra & Antonium in Armeniam cum exercitu profectum Id. cap. 5.
uſque Euphratem proſecuta revertitur: obitérque adita Apamia & Damaſco Cœleſyriæ primaria urbe, etiam Judæam ei libuit inviſere: ubi excepta ab Herode, conceſſam ſibi Arabiæ partem, & Hierichuntini agri reditus ei locavit. Is & balſamum fert, quod unguentorum longè preciosiſſimum ibi tantùm provenit, & eximiarum palmarum vim maximam.

Per hæc negotia contracta majore cum Rege familiaritate concubitum ejus Id. ibid.
appetiit, mulier natura intemperans & dedita libidini, ac fortè etiam amore tacta nonnihil: quamvis veriſimile ſit per ſtuprum quæſitam occaſionem ſtruendis inſidiis. Sed illa amorem prætexebat. Herodes autem jam antè ei parùm amicus quòd noſſet infeſtam ex æquo omnibus: tum verò etiam abhorrens tam proſtratam impudentiam, & rejecturus ſi petulantiùs pergeret, renuit.

Deinde cum amicis conſultavit, num habens eam in ſua poteſtate, debe- Id. ibid.

LAGIDAR. an. 289. ret occidere. Sic enim multis moleſtiis levare poſſe eos quibus vel hactenus infenſa fuerit, vel in poſterum futura ſit, quum & ipſi Antonio id fore utile, quandoquidem nec illi fida futura ſit, ſi in quam temporum difficultatem delapſus, opera ejus opus habeat. Huc procliviorem cohibuerunt amici indignum cenſentes, hominem in magnis negotiis in manifeſtum ſe periculum conjicere, & obſecrantes ne quid ageret temerè, non enim hoc laturum Antonium, quamtumvis ei hoc approbetur conſilium.

Id. ibid. Quin hoc ipſo augendum ejus deſiderium, quod per vim atque inſidias amiſiſſe eam videbitur, nec ſupereſſe vel mediocrem excuſationem, quin mulier ſit omnium ejus ætatis longè honoratiſſima, & ſi quid utilitatis ex ejus nece poſſit exiſtere, conjunctum ſit cum Antonii injuria, unde facilè apparere quàm magna & immedicabilia mala exoritura ſint in Regno & familia Regis ipſius, quum nihil vetet recuſata illius illicita poſtulatione, res pro præſenti ſtatu rectè deponere. His deterrentes & periculum probabilius rationibus oſtendentes, cohibuerunt eum à tanto facinore. Ille placata muneribus & omnibus obſequiis Regina, Peluſium eam uſque deduxit.

Dio l. 49. Paterc. l. 2. Oroſ. l. 6. Antonius quum in Armeniam perveniſſet, miſit iterùm Dellium ad Artabazem qui eum convenire declinabat, ſe illum in bello Parthico decepiſſe ſciens, ſed Antonius partim ſociorum opera perſuadendo, partim copiis terrendo, quum & ſcriptis & actis ejus ſe amicum omninò oſtendiſſet, eò vix tandem adduxit, ut in caſtra ſua veniret: tunc comprehenſum, primùm abſque vinculis circum caſtella, in quibus theſauri erant repoſiti, circumduxit, ſpe eorum ſine certamine potiundi ſimulans ſe eum non alia de cauſa captivum habere, quàm ut ab Armeniis pro liberatione ejus pecuniam colligeret.

Dio ibid. Joſeph. l. 15. c. 5. Cuſtodes gazæ ei non obtemperarunt, ſed Armenii arma ſumpſere, & Artaxiam maximum natu inter filios ejus Regem illius loco conſtituerunt, & Antonium aggreſſus Artaxias cum omnibus copiis quas colligere potuere commiſſo prælio ſuperatus eſt, & ad Parthos confugere coactus Antonius argenteis Artabazem catenis vinxit, quia nimirum turpe erat Regem in vinculis habere ferreis, univerſam Armeniam partim vi, partim deditione in ſuam poteſtatem accepit, indéque magnam vim auri argentique abſtulit, cum uxore Artabazis, filiis, & plurimis Satrapis.

Plut. in Ant. Dio ibid. His perfectis, Artavaſdis Mediæ Regis filia, arctioris amicitiæ cauſâ filio ſuo in matrimonium per Legatos impetrata, relicto in Armenia exercitu magnam prædam Artabazem cum conjuge & liberis ſecum ducens, in Ægyptum reverſus eſt, eóſque inter alios captivos ante ſe in triumpho Alexandriam introduxit curru ipſe invectus. Qua potiſſimum re P. Romanum offendit, quòd prima patriæ ornamenta in gratiam Cleopatræ deferret.

Dio ibid. Artabazem cum ſuis, aureis in vinculis ad Reginam in medio populi, tribunali argento obducto, auratáque ſella ſedentem adduxit. Armenii autem neque ſupplices ei facti ſunt, neque in genua conciderunt (quamquam & minis & promiſſis hoc crebrò juberetur,) ſed nomine eam ſuo compellaverunt, atque ideò magnos quidem habere ſpiritus exiſtimati, duriús autem propterea tractati ſunt.

Plut. in Ant. Dio ibid. Antonius Alexandrinis epulum deinde præbuit, ac in concilio populi Cleopatræ, ejúſque liberis, propter ſe ſedem dedit, habitáque ad populum quadam oratione, Cleopatram Reginam Regum, Ptolemæum, Cæſarionem cognomine, Regem Regum appellari juſſit, iiſque Ægyptum & Cyprum alia à priore diviſione inſtituta (nam Cleopatræ antea illius Inſulæ partem dederat)

Plut. in Anton. addixit. Illam verè Cæſaris ſuperioris conjugem fuiſſe dicebat, hunc ejuſdem legitimum filium, fingebátque ſe ſtudio ejus Cæſaris adductum hæc facere, quo Octavianum, non natum ejus, ſed adoptatum filium, in invidiam adduceret.

Libe-

Liberis autem ſuis ex Cleopatra natis, Ptolemæo natu minori Syriam, Phœ- LAGIDAR.
niciam & Ciliciam & omnes eis Euphratem uſque ad Helleſpontum regiones: an. 289.
Cleopatræ autem Africam Cyrenaicam: Alexandro fratri eorum quem Jotapa
Medorum Regis filiæ deſponderat, Armeniam & alias trans Euphratem,
uſque in Indiam promittens, quaſi jam eas occupaſſet, largitus eſt. Neque
verò Alexandriæ hæc modò egit, ſed Romam quoque perſcripſit.

Hos Antonius filios, Reges Regum appellavit, & produxit cultu Alexan- Iid. ibid.
drum Medico, tiara directa & cidari cultum, Ptolemæum crepidis, chlamy-
de, & cauſia ornatum diademate redimita. Hic enim Alexandri ſucceſſorum
cultus, ille Medorum erat & Armeniorum. Mox quum ſalutaſſent parentes
pueri, hunc Macedones, illum Armenii ſtipavere. Nam Cleopatra qui-
dem & tunc & aliàs in publicum progrediens, ſtolam Iſidis ſacram ſume-
bat, atque novæ Iſidis nomine reſponſa dabat populis, & numiſmata ejus in-
ſcribebantur ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ ΚΛΕΟΠΑΤΡΑ ΘΕΑ.ΝΕΩΤΕΡΑ. Regina Cleopatra Dea
nova.

Antonius relicto in Armenia exercitu, vere ex Ægypto diſceſſit, ad Ara- Lagid. 290. Cleop. 2.
xem fluvium profectus, quaſi Parthis bellum illaturus, ſatis habuit cum Me- Iid. ibid.
dorum Rege ſocietatem vinxiſſe, cujus ratione mutua ſibi auxilia, Antonius
Medo contra Parthos, Medus Antonio adverſus Cæſarem ſpoponderunt; mi-
litéſque nonnullos ejus rei cauſa permutaverunt, & Antonius Medo parte
Armeniæ recens occupatæ tradita, nam Polemoni minorem Armeniam Lega-
tionis ab eo ad ſocietatem hanc conciliandam ſuſceptæ præmium donavit, fi-
liam ejus Jotapen ut Alexandri conjugem futuram & ſigna militaria, quæ amiſſa
in Statiani pugna fuerant, recepit.

Interea Cæſar Octavianus in Senatu accuſavit Antonium, hic verò per epi- Iid. ibid.
ſtolas ſe deffendebat; ſed quum Cæſaris criminationes Antonius duras exi-
ſtimaret, ad bellum ſe paravit, & extemplo Canidium ex Armenia cum ſede-
cim Legionibus ad mare deſcendere imperavit. Ipſe trahens ſecum Cleopa-
tram conceſſit Epheſum, quo claſſis undique cogebatur.

Antonius Domitii & quorumdam aliorum conſilio præcepit Cleopatræ ut Plut. in
in Ægyptum navigaret, atque exitum ibi aſpectaret belli. At illa novam, Anton.
interprete Octavia, timens reconciliationem, induxit ingenti mercede Cani-
dium, ut pro ſe apud Antonium ageret, demonſtrarétque ei, neque æquum
eſſe ſummoveri bello mulierem quæ tantùm conferret auxilii (nam ducentas
naves onerarias dederat & xx. millia talentum, ac commeatum toti exercitui
præbebat,) neque ex uſu ejus eſſe ut frangerentur ea re Ægyptiorum animi,
qui virium navalium magnam partem efficerent: neque verò alioqui videre cui
ſociorum Regum prudentia concederet Cleopatra, quæ tantum Regnum tam
diù gubernaverat ſola atque ex diutino ipſius uſu magnas res didicerat
tractare. Hæc obtinuerunt, ac coactis copiis navigarunt ubi genio indul-
ſere.

Ut enim Regibus, dynaſtis, tetrarchis, gentibus & civitatibus inter Sy- Id. ibid.
riam, Mæotim, Armeniam, & Lauria poſitis, indictum omnibus fuit ut mit-
terent deportaréntque apparatum bellicum: ita injunctum cunctis qui ludi-
cram artem faciebant occurrere. Per multos dies Inſula tibiis & cantu perſo-
navit.

Hinc navigavit Athenas Antonius, ubi de integro effudit ſe in ludos & Id. ibid.
ſpectacula. Æmulatione autem Cleopatra, Octaviæ honorum, quos ibi ac-
ceperat (nam Octaviam Athenienſes imprimis habebant caram), proſecu-
ta eſt multis congiariis populum. Illi invicem decretis huic honoribus, Lega-
tos domum ad Plebiſcitum ei deferendum miſerunt, inter quos Antonius fuit,
ut potè civis Athenienſis.

Belli inter Cæſarem & Antonium hæ fuerunt cauſæ ac prætextus. Accuſa-

bat

LAGIDAR. an. 291. Cleopa. 13. Dio lib. 50. bat Antonius Cæſarem quòd Lepidum magiſtratu detruſiſſet: Provincias & exercitum, cùm Lepidi, tum Sexti Pompeii ſibi vindicaſſet quæ debuerant communia ambobus eſſe: horum dimidiam partem poſtulabat, ac militum etiam, quos ex Italia, utrique communis Cæſar delegerat.

Cæſar Antonio inter alia objiciebat, quòd Ægyptum, ſorte ſibi non datam obtineret, quòd Pompeium à ſe ultrò dimiſſum (ſic enim ferebat) occidiſſet: quòd Artabaze per fraudem capto, inque vincula conjecto, infamiam magnam P. Romano aſperſiſſet: manubiarum etiam partem dimidiam poſcebat: ac omnium maximè Cleopatram ei liberóſque ex ea ſuſceptos, ac donatas his regiones exprobrabat: ídque præcipuè, quod Cæſarionis nomen filio Cleopatræ indidiſſet & eum in Cæſaris familiam retuliſſet.

Ibid. Quum Cn. Domitius & Soſius Antonianarum partium uterque fautor Conſulatum accepiſſent, palam ad bellum deſcenderunt, illi autem poſt multas cum Octaviano Cæſare contentiones, clanculùm ad Antonium ſe receperunt, eóſque reliquorum Senatorum multi ſecuti ſunt. Eo cognito Cæſar, quum eos à ſe ultrò emiſſos dixiſſet, ne propter aliquam injuriam deſertus videretur, reliquis etiam qui vellent ad Antonium abire, ut tutò id facerent, permiſit.

Plut. in Anton. Mox illi, ubi ad Antonium pervenerunt, Antonius palam bellum ſuſcepit, & Octaviæ ſorori Cæſaris, uxori ſuæ repudium dinci juſſit, Romámque certos miſit illam qui domo ſua pellerent, exiiſſe memorant eam, trahentem ſecum omnes Antonii liberos, præter natu maximum ex Fulvia genitorum; ille enim agebat apud parentem. Plorabat illa & lamentabatur, quod una ex belli cauſis ipſa quoque videretur. Populum verò Romanum miſerebat non ita illius, ut Antonii, atque impenſiùs eos qui Cleopatram viderant, neque forma Octaviæ, neque ætatis flore præcellentem.

Id ibid. Cæſar celeritate & mole Antonii apparatus nuntiata trepidavit ne bellare illa æſtate cogeretur. Etenim multa deficiebant eum & homines pungebant pecuniæ exactiones: unde tumultus in Italia. Quare numerant in maximis Antonii peccatis belli procraſtinationem.

Dio l. 50. Compenſaverunt diſceſſum Domitii & Soſii ad Antonium, Titius & Plancus, quos Antonius & inter primos in honore habuerat, & omnium ſecretorum ſuorum conſcios fecerat: nam à Cleopatra ſuggillati quòd plurimùm fuiſſent adverſati ne bello intereſſet, perfugerunt ad Cæſarem & teſtamentum Antonii detexerunt, id enim obſignaverant. Tabulæ depoſitæ apud virgines Veſtales erant.

Plut. in Anton. Has ut accepit Cæſar recitavit in Senatu, exagitans quòd de funere ſuo ſtatuerat: nam præſcripſerat ut corpus ſuum etiamſi in urbe deceſſiſſet, per forum elatum Alexandriam mitteretur ad Cleopatram, ſed ægrè ferebat Cæſar quòd Antonius hoc teſtamento Cæſarioni teſtimonium faceret, illum eſſe verè Cæſaris filium; ſuis autem ille ex Cleopatra filiis immenſa munera dabat. Hæc tantùm indignationem apud omnes excitarunt, ut reliqua etiam quæ vulgò jactabantur, vera eſſe crederent: nempè Antonium, ſi rerum potitus foret Romam Cleopatræ dono daturum ac Imperium in Ægyptum tranſlaturum.

Dio lib. 50.

Plut. in Anton. Calviſius Cæſaris neceſſarius, multa etiam exprobravit Antonio, ſed Antonii amici Romæ ſupplices prenſabant populum. Unum etiam de ſuo miſerunt Geminium, rogatum Antonium, caveret ne abrogaretur ſibi Imperium, & hoſtis P. Romani declararetur. Geminius ut appulit in Græciam: Cleopatræ ut pro Octavia agens, ſuſpectus fuit, ab illáque inter cœnandum laceſſitus, quam ob rem veniſſet, expromere, omnia recta fore reſpondit, ſi abſceſſiſſet Regina in Ægyptum, quúmque illius iram timeret, brevi pòſt, fugam capeſſens, Romam ſe recepit.

Dio l. 50. Ut ſatis paratus Cæſar fuit, in Cleopatram bellum eſt decretum, Antonio

Digitized by Google

tonio verò Conſulatus, ad quem deſignatus erat, ademptus eſt, & etiam Im- LAGIDAR.
perium, cujus mulieri arbitrium permiſiſſet. Addidit Cæſar medicamentis an. 192.
Antonium potionatum, ne in ſua quidem eſſe poteſtate. Adeo enim hunc
mancipaverat ſibi Cleopatra ut eum Gymnaſiarcham Alexandrinorum effece-
rit, ab eo Regina ac Domina appellatâ ſit, milites in ſuo ſatellitio Ro-
manos habuerit, omnéſque ii ſuis in clypeis nomen Cleopatræ inſcripſe-
runt.

Ipſâ cum Antonio in forum prodibat, ludos cum eo curabat, cum eo Id. ibid.
judicia obibat, cum eo equitabat: in urbibus ipſa curru vehebatur, Anto-
nius pedeſter cum Eunuchis ſequebatur: idem Prætorium ſuum, Regiam
nominabat: aliquando acinace ſe accingebat; peregrinóque veſtitu uteba-
tur: in aureo ſedili & curru in publico conſpiciebatur: Oſiridem ſe & Dio-
nyſium, ipſa ſe Lunam & Iſidem ſcribebant ac fingebant: quo magis præ-
ſtigiis quibuſdam ad inſaniam ab ea adactus videbatur. Ipſa enim non An-
tonium modo, ſed omnes etiam, qui in aliqua apud eum eſſent exiſtimatio-
ne, hujuſmodi incatenatione quaſi uſa conſtrinxerat, ut ſibi ipſa Imperium
in Romanos auſa ſit ſperarae: ac, ſi quid maximo jurejurando, affirmaret,
jus quod eſſet ipſa datura in Capitolio juramentum fecerit.

His de cauſis bellum contra Cleopatram decretum fuit, contra Antonium Id. ibid.
nequaquam, volebántque hoc ipſum ei crimen objici poſſe, quòd contra
patriam, nihil à ſuis læſus, ipſe ultrò bellum pro Ægyptia muliere ſuſcepiſſet:
proinde omnia quæ bello gerenda ſunt neceſſaria, feſtinatò comparabantur:
fuítque ejus belli apparatus longè prioribus omnibus major, multis utrique
ad hoc bellum Provinciis auxilia ſubminiſtrantibus.

Cæſarem Italia omnis, Gallia, Hiſpania, Illyricum, Africa, excepta Id. ibid.
Cyrenaïca & ea quæ Boccho paruerat, parte, Sardinia, Sicilia ac reliquæ
Inſulæ prædictis terris continentibus vicinæ, adjuvare. Antonio regiones Aſiæ
continentis Romanis parentes, Thraciáque Græcia, Macedonia, Ægyptus,
Cyrenaïca cum finitimis, Inſulæ etiam propinquæ, Regéſque & Principes
ferè omnes, quotcumque tunc Antonio parentes Imperii Romani fines attin-
gebant, alii ipſi, alii per ſuos opitulabantur. Tanta autem contentione uter-
que utebatur ut ſociorum auxilia etiam Sacramento rogaverit.

Antonius naves habebat bellicas non minùs quingentas, in quibus octo & Plut. in
decem ordinum frequentes erant ſuperbè & ad triumphum exornatæ, pedi- Anton.
tum centum millia, duodecim equitum. Reges ei parentes in auxiliis erant
Bocchus Africæ, Tarcondimotus ſuperioris Ciliciæ, Cappadociæ Arche-
laus, Paphlagoniæ Philadelphus, Commagenes Mithridates, Sadales Thra-
ciæ. Hi interfuerunt bello. Ex Ponto Polemon auxilia miſit. Malchus
item ex Arabia & Herodes Judæus: ad hæc Amyntas Lycaonum, & Dejo-
tarus Galatiæ. A. Medorum etiam Rege ſubmiſſa auxilia.

Cæſari naves bellicæ 250. octoginta millia peditum & duodecim millia Id. ibid.
equitum quot hoſtibus.

Herodes quidem Judææ Rex magno apparatu expediebat auxilium Anto- Joſeph. Ant.
nio; ſed ille hanc operam remiſit negans ſibi opus eſſe: verùm quia tam ex l. 16. c. 6.
ipſo quàm ex Cleopatra audierat de Arabis perfidia; juſſit in illum bellum
vertere: nam & Regina hoc in rem ſuam fore exiſtimabat, ſi alter ab altero
mutuis attererentur cladibus. Igitur Antonii juſſu reverſus Herodes, domi
continuit exercitum cum quo poſtea invaſit Arabiam, & poſt acerrimum con-
flictum penes Judæos fuit victoria.

Antonius quum ad Italiam curſum, ibi bellum inopinantibus adverſariis Dio lib. 50.
guſturus ubi Corcyram veniens, vidiſſet Cæſaris naves actuarias, quæ ad
ſpeculandum præmiſſæ fuerant, apud Ceraunios montes ſtare, ſuſpicatus eò Plut. in Ant.
Cæſarem cum tota claſſe veniſſe, in Peloponneſum revectus, Patris hie-
mavit.

LAGIDAR. an. 293. Cleop. 14. Oroſ. l. 6. cap. 19. Vere inito nuſquam Antonius progreſſus eſt, quòd ſocii navales procul ab ipſo hiemaſſent; Cæſar autem Agrippam præmiſit, qui multas onerarias naves frumento, atque armis graves, ab Ægypto, Syria, Aſiáque ad ſubſidium ad Antonium venientes cepit, & Methonam, ubi occiſus eſt Bogud rex, expugnavit. Cæſar his animo auctus Brunduſio ſolvit, Ionium mare cum omnibus copiis trajecit, Actiúmque petiit, ubi claſſis Antoninanæ major pars ſtationem habebat, Corcyram occupavit.

Dio ibid. Simul atque Antonius de adventu Cæſaris cognovit, nihil cunctatus, cum iis quos habebat, Actium non multò pòſt venit, collectis deinde viribus caſtra non procul à Cæſare poſuit, & utraque ex parte ſinûs etiam equitatum ſubſidio collocavit.

Dio l. 50. Eo tempore Agrippa Leucadem repentè advectus Inſulam & naves quæ in ea erant, cepit, ac Patras: deinde & victo navali pugna Q. Naſidio, pòſt Corinthum quoque recepit. Quæ quum eveniſſent ac præterea. M. Titius & Statilius Taurus ſubitò adorti equitatum Antonii fudiſſent, ſociúmque ſibi

Vell. Paterc. lib. 284. Philadelphum Regem Paphlagoniæ adſciviſſent, eum ſequuti ſunt Amyntas Lycaoniæ & Dejotarus Galatiæ Reges, qui ad Cæſarem tranſierunt.

Plutarch. Dio ibid. Cn. Domitius, qui ſolus Antonianarum partium numquam Cleopatram niſi nomine ſalutavit, infenſus Reginæ redditus, febre jam correptus minutum acatium conſcendit atque, ad Cæſarem abiit, ſed licèt graviter id ferret Antonius miſit ei tamen contra Cleopatræ ſententiam generoſè omnia impedimenta cum amicis & ſervis. Domitius verò, illicò expiravit. M Syllanus & Q. Dellius etiam deſciverunt, & multi eorum exemplum ſecuti ſunt: Antonius autem audacia perdita ſuos in ſuſpicionem habuit.

Id. ibid. Interim Soſius ſperans ſe, ſi L. Taureſium qui paucis cum navibus ſtationem adverſùs Antonianos ſervabat, ante reditum Agrippæ aggrederetur, poſſe rem aliquam memorandam gerere; ſub auroram repentè contra eum evectus eſt, obſervata denſa nebula ne Taureſius navium ſuarum multitudine prævisâ fugeret, ac eum primo conflictu fugatum quum inſequeretur, obviam facto fortè fortuna Agrippa, non modo non aſſecutus eſt Taureſium, aut victoriæ fructum aliquem percepit, ſed ipſe cum Tarcondimoto Ciliciæ Rege, aliiſque multis interiit.

Plut. in Anton. Quia verò claſſis Antonii nihil proſperè gerebat, neque ad rem ullam maturè occurrebat, ſubactus eſt iterùm terreſtres copias reſpicere. Canidius quoque, qui præerat legionibus, ſub ipſum diſcrimen mutata ſententia, autor fuit, ut Cleopatram remitteret, recedénſque in Traciam vel Macedoniam, decerneret terreſtri Marte. Quippe Getarum rex Dicomes, magna manu oſtendebat ſe ei ſubventurum. Neque verò eſſe infame ſi exercitato bello Siculo, Cæſari mari cederet, ſed abſurdum ſi terreſtrium certaminum Antonius peritiſſimus, tot legionum non uteretur robore & apparatu, ſed diſtraheret & abſumeret in Claſſem vires.

Ibid. Verùm enim verò extudit Cleopatra claſſe ut bellum decerneretur, circumſpiciens jam tum fugam, componénſque res ſuas, non ubi ad victoriam conſuleret, ſed unde expediret fugam rebus perditis quàm facillimè. Prodi-

Dio l. 50. digia autem eam, ut ita ſentiret, impulerant, propterea mœſtitia ac infirmitate Cleopatra territa, Antonio quoque timorem injecerat. Neque verò aut furtim aut palam, fugientium more avehi ſtatuerunt, ne ſociis quoque metum incuterent; ſed tamquam ad navale prælium inſtructi, ut etiam ſi quis obſtare vellet, vi diſceſſum ſibi conficerent.

Plut. in Anton. Poſtquam decernere prælio navali deliberatum eſt, reliquas naves extra ſexaginta Ægyptias concremaverunt, optimas quaſque & ampliſſimas à triremi uſque ad decem ordinum naves complevit. Quum verò eſſent omnia jam inſtructa, Antonius convocatos milites allocutus eſt, deinde impoſuit viginti millia peditum & duo ſagittariorum. Ibi

Ibi quidam ordinum ductor pedeſtrium certaminum ſciens, qui complura prælia ſub Antonio decertaverat, corpúſque cicatricibus habebat conciſum, Antonio præſenti ejulans dixit. Quid, Imperator, hiſce diffiſus vulneribus & gladiis ſpem tuam profligatis in lignis reponis? Ægyptii & Phœnices in mari prælientur, nobis permitte terram, in qua aſſuevimus ſtantes occumbere vel vincere hoſtes. Ad ea nihil reſpondit; manu tantùm & vultu quaſi excitans eum ut bono animo eſſet, præterit, omni bona ſpe depoſita. Nempe gubernatores vela, quum ea vellent relinquere, imponere in naves & portare ſecùm coegit, addens faciendum ne quis hoſtium fuga evadat. LAGIDAR. an. 293. Id. ibid.

Cæſar apparatum hoſtium conſpiciens, ipſe etiam ſe ad pugnam compoſuit, ſed ubi conſilium eorum ex aliis, ac maximè ex Dellio qui ab Antonii partibus ad ipſum confugerat, intellexit, conducto in unum locum ipſe quoque exercitu, milites allocutus eſt. Dio l. 50.

Quatuor abhinc diebus grandi vento fluctuans mare, prælium interpellavit. Quinto die cælo ſereno & tranquillo mari concurrere. Antonius cum Poplicola in dextro cornu egit, in ſiniſtro Cælius, mediam aciem M. Octavius, & M. Juſteius obtinuere. Cæſar ſiniſtro præfecit Agrippam, dextrum ipſe retinuit. Copias Antonii terreſtres Canidius, Cæſaris Taurus in littore inſtructas tenuere quietas. Plut. in Anton.

Antonius auctuaria navi circumvectus, & adhortatus eſt milites, monens ob navium pondus, vel ut in ſolo ſtabiles pugnarent. Gubernatoribus imperavit, ut quaſi in ancoris ſtantibus navibus, nihil ſe moventes incurſum hoſtium exciperent, declinaréntque iniquitatem loci in faucibus loci. Cæſar dum claſſem luſtrabat, navigio ad dextrum cornu vectus, quieſcentes in anguſtiis miratus eſt hoſtes, ſi quidem ſtantium in ancoris erat navium ſpecies, ídque diù credens, ſuſtinuit ſuas, quæ octo ſtadiis ab hoſtibus aberant. Id. ibid.

Jam hora erat ſexta, IV. Nonarum Septembris, quum vento ex alto increbreſcente cunctationem moleſtè ferentes Antonii milites, naviúmque ſuarum freti faſtigio & amplitudine, ſicut inexpugnabili, ſiniſtrum cornu moverunt, cum quibus Cæſariani dimicaverunt: non autem datæ impreſſiones fuerunt, neque irruptiones navium, ita ut fuerit aſſimile pedeſtri prælio certamen, aut murorum oppugnationi: ſimul enim tres aut quatuor unam Antonii cingebant, tragulis & lanceis & contis & telis ignitis pugnabant. Antoniani ingerebant etiam catapultis ex turribus ligneis tela. Porrigente ad circumdandos hoſtes alterum cornu Agrippa, expandere contrà Poplicola ſuos conatus, à media acie ſua divulſus eſt. Tumultuante hac, ac cum Arruntio dimicante. Id. ibid.

Sed quum jam dubio eſſet eventu certatum, tandem Cleopatra, quæ in ancoris poſt claſſem pugnantem ſtabat, quum non ferret diuturnam ac incertam eventus ſpem, diutiùs ſuſpenſa animi ſolicitudine, ancipitíſque prælii exitus expectatione victa, ſigno ſuis dato, fugæ ſe dedit cum ſexaginta navibus per medios pugnantes & ſecundo vento Peloponneſum petiit. Antonius ſimul atque navem Cleopatræ vela facientem, omnium oblitus, proditis & deſertis illis qui pro ipſo certabant atque animam profundebant, conſcendit quinqueremem, Alexandro Syro, & Scellio ſolis comitibus, illam ſecutus eſt fugientem. Id. ibid.

Cleopatra perſpiciens Antonium venire ſignum ſuſtulit ex navi & Antonius illa exceptus eſt, neque aſpexit illam, neque aſpectus eſt ab illa, ſolitarius tranſiit in proram, atque ibi tacitus & cogitabundus conſedit, ambabus manibus caput tenens: Cæſar autem emiſit claſſis ſuæ partem, ut Antonium & Cleopatram inſequeretur, quæ quum eos conſequi non poſſet, reverſa eſt: Liburnicæ tamen quædam Antonium ſunt aſſecutæ, quas ille repulit, Id. ibid. Dio lib. 51.

LAGIDAR. an. 293 Plut. in Ant. pulit, poſteàque, ad prius ſilentium rediit, eadem ſe componens figura. Ad Actium quum claſſis, Antonii diu fuiſſet oblectata, atque graviſſimè ab inſurgentibus in proram infeſtata fluctibus, tandem hora decima ſuccubuit. Neque plus quinque millia cecidere: Naves captæ trecentæ. Haud multi ſenſerant Antonii fugam: atque audientibus res prima viſa incredibilis, novemdecim legionibus integrorum adhuc & duodecim militibus equitibus relictis capere eum fugam, quaſi non ſubinde ambigua uſus fortuna, neque ſexcentorum certaminum & bellorum fuiſſet vicibus verſatus.

Id. ibid. Poſtquam Antonius tres dies tranſegit in prora ſolus, ſeu ira percitus, ſeu erubeſcens illam, appulit ad Tenarum. Ibi feminæ familiares adduxerunteos primum ad mutua colloquia, deinde ad convivia unà ineunda, & ad concubitum perpulere. Jam naves onerariæ quoque non paucæ & amici aliquot ex fuga ad eum confluxerunt, profligatam nuntiantes claſſem, ſed terreſtres copias arbitrari ſe conſtare. Milites ejus in deſiderio quoque & expectatione mox alicunde appariturum. Tantam autem præſtiterunt ei fidem & virtutem, ut & fuga ejus patefacta cohæſerint diebus ſeptem, miſſóſque ad ſe à Cæſare legatos repudiaverint. Denique ubi Dux noctu profugit Canidius & caſtra reliquit, ab omnibus derelicti, proditique à Ducibus ſuis, aggregaverunt ſe ad victorem.

Dio lib. 51. Antonius & Cleopatra ad Tenarum ſimul quum perveniſſent, ibi præter animi ſententiam, divulſi invicem ſunt, Cleopatra in Ægyptum contendente, ne clades audita novos ibi tumultus concitaret. Hæc ut tutò in Ægyptum adnavigare poſſet, victoriam mentita, proras coronaverat, cautionéſque victoria obtenta uſurpari conſultas, tibiis concini juſſerat. Poſtquam in tutum pervenit, multos Primores ſemper ſibi infenſos, ac tum clade ejus animo auctus, occidit, horum facultatibus & reliquis divis etiam conſecratis (neque enim ab ullo quamtumvis inacceſſo ſacrario ſe abſtinebat,) ingentem pecuniam confecit, copias comparavit, auxilia quæſivit: útque Mediæ regem ad ſuam ſocietatem pertraheret, Armeniæ Artabazis regis caput amputatum ei miſit.

Id. ibid. Terreſtris Antonii exercitus ad Cæſaris partes tranſiit. Diffugerunt quidam Primores Romani ad Antonium. Socii Reges in ſuam quiſque patriam refugerunt nullum ampliùs bellum paraturi, iis abſtulit Regna, Amynta & Archelao exceptis, inter vità donatos, præcipui fuerunt Soſius, & M. Scaurus. Inter ſupplicio affectos potiſſimùm recenſentur Curius & Aquilii Flori pater & filius.

Plut. in Ant. Dio l. 51. Antonius è Tenaro nuntios ad Canidium miſerat imperans ut properè per Macedoniam ſe reciperet cum exercitu in Aſiam, & ipſe tranſmiſſurus in Africam quoſdam miſit ad Pinarium Scarpum & exercitum, quem is jam antè ibi conſcriptum ad tuendam Ægyptum habebat; verùm quum ille ſe illum minimè recepturum diceret & miſſos quoque ad ſe occidiſſet, nonnullóſque milites id moleſtè ferentes necaſſet: Antonius inſtitit ſibi manus inferre; ſed interpellatus ab amicis, Alexandriam ſe contulit.

Id. ibid. Quò quum advenit, Cleopatram offendit opus aggreſſam audax & grande, Iſthmum qui mare rubrum dirimit ab Ægyptio, qui etiam diſtinguere Aſiam & Africam putatur, qua maximè ab utroque ſtringitur pelago & coarctatur, ut non plus trecentis ſtadiis pateat in latum, adorta eſt trajicere claſſem, dimiſiſque in ſinum Arabicum cum magna copiæ pecuniæ vi, copiis & navibus, ſedes quærere remotas, ſervitutem & bellum refugiens.

Dio l. 51. Interea quæ bello accelerando conveniunt ab Antonio & Cleopatra parata ſunt & filios ſuos Cæſarionem Cleopatra, Antyllum, ex Fulvia ſibi natum Antonius, in viros retulerunt, ut & Ægyptii viro ſibi imperante eſſent alacriores, & reliqui eos Duces habituri, ſi quid Antonio & Cleopatræ accidiſſet,

diſſet, animis eò magis conſtarent. Id quidem factum perniciem adoleſcen- LAGIDAR
bus iſtis attulit ut Cæſar iis, tamquam juris jam & principatum aliquem ge- an. 193.
rentibus non parceret.

Antonius & Cleopatra ita ſe parabant tamquam & claſſe & pedeſtribus Ibid.
copiis belligeraturi, in eúmque finem vicinos populos & reges amicos ſibi
junctos ad auxilia convocabant, nihilo tamen minus etiam ad hoc ſe inſtrue-
bant, ut ſi qua neceſſitas urgeret, in Hiſpaniam navigarent, aut ad rubrum
mare concederent.

Exiſtimabat Antonius integrum adhuc eſſe pedeſtrem ſuum exercitum Plut. in
quum illi legionum Actiacarum amiſſarum ipſe nuntium attulit Canidius. Anton.
Mox Herodem Judææ Regem cum aliquot legionibus & cohortibus accepit Lagid. 194.
ad Cæſarem tranſiſſe. Antonius relicta urbe & amicorum conſuetudine, Cleop. 15.
domicilium ſibi in mari ad Pharum extruxit, projecto in altum aggere atque
ibi extorris ab hominibus egit, vitam ferebat ſe imitari & æmulari Timonis,
quòd res ſuæ eodem loco eſſent.

Cæſar in Italiam media hieme properavit, & rebus ſuis ibi conſtitutis, in Dio lib. 51.
Græciam avectus eſt trigeſimo quàm in Italiam iverat die ac propter hiemem
navibus per Iſthmum Peloponneſiacum tranſlatis, tanta celeritate in Aſiam
advenit, ut de ejus diſceſſu ſimul reditúque Antonius & Cleopatra nihil co-
gnoverint.

Quum allatus eſt nuntius Antonio Dynaſtas omnes à ſuis partibus antea ſtan- Plutarch.
tes defeciſſe, Syriámque Didio commiſſam, ad Cæſarem acceſſiſſe, & Arabes in Anton.
in Sinu Arabico naves ad navigationem in rubrum mare fabricatas combu- Dio l. 51.
ſiſſe; denique quicquam ultrà foris manere in fide. Nihil horum commo-
vit, ſed quaſi libenter ſpem abjiceret, ut ſimul & curam, tabernaculum il-
lud marinum, quod nominabat Timonum, reliquit, exceptúſque à Cleo-
patra in Regiam, convertit civitatem ad comeſſationes, poculáque, & ſe ad
donativa. Cleopatræ & Cæſaris filio togam puram, & virilem Antyllo de-
dit ſuo ex Fulvia filio, quamobrem agitarunt convivia per multos dies
commeſſationéſque & feſtum Alexandrini.

Ut Antonius & Cleopatra Cæſarem in Samo Inſula hybernare acceperunt Plut. in
ſimul ad illum legatos miſere. Petebat Cleopatra liberis ſuis regnum Ægy- Anton.
pti, ille Athenis poſtulabat, ſi non daretur in Ægypto, ut privato liceret vi-
tam agere. Ad Cæſarem Euphronius filiorum ejus miſſus eſt Legatus, & A-
lexas ad retinendam Herodis Regis tranſitionem.

Cæſaris reſponſum ut ex Legatis cognoverunt Antonius & Cleopatra, alios Dio lib. 51.
miſerunt: ac Cleopatra quidem per eos magnam ei vim pecuniæ promiſit:
Antonius autem amicitiæ eum ac propinquitatis admonuit ſuam cum Ægy-
ptia muliere conſuetudinem excuſavit ipſorum mutuum quondam amorem
ac ſocietatem actorum in adoleſcentia enumeravit: denique P. Turullium
Senatorem, unum ex Julii Cæſaris percuſſoribus amicum tum ſuum, Cæſari
tradidit; ac ſe ipſum etiam interfecturum pollicitus eſt, ſi eo facto ſalus
Cleopatræ impetrari poſſet.

Cæſar Turullio occiſo, ídque in Co Inſula, Antonio ne tum quidem re- Id ibid.
ſpondit quicquam, & Cleopatræ multa criminatus eſt, ídque etiam reſpon-
dit, ſi ea ab armis & Regno deſtitiſſet, conſilium ipſum capturum, quid
ea fieri deberet.

Igitur tertiam legationem Antonius, ac filium ſuum Antyllum cum multo Id ibid.
auro miſit. Cæſar, auro accepto, eum ſine reſponſo propoſiti, irritum à
ſe dimiſit.

Cleopatra clam, Antonio inſcio, Sceptrum aureum, coronam auream Id ibid.
ſellámque regiam Cæſare miſit, quaſi regnum cum iis tradens, ut is, om-
nino haberet Antonium, ipſam ſaltem miſericordia proſequeretur Cæſar

 occultè

LAGIDAR. an. 194. occultè ei impunitatem ac Regnum integrum pollicitus eſt ſi Antonium occidiſſet.

Id. ibid. Nihilominus tamen Cæſar veritus, ne Antonius & Cleopatra, deſperata veniæ impetratione in incœpto perſtarent, ac ſuis viribus vincerent, aut in Hiſpaniam ac Galliam trajicerent, aut pecunias quas immenſas eſſe audierat, corrumperent: Thyrſum libertum ſuum ad Cleopatram miſit qui & humaniter multa cum ea loqueretur, & Cæſarem ejus amore captum diceret, ſperans eam, quæ ab omnibus hominibus amari volebat, eò aduci poſſe ut Antonio necato ſe ipſam & pecuniam incolumem ſervaret.

Plut. in Anton. Thyrſus Cæſaris nomine miſſus ut inflatam mulierem ac mirè formæ cauſa tumidam poſſet movere, prolixiore oratione quàm alii cum Cleopatra agens, & ſupra modum honoratus ab ea, ſuſpicionem movit Antonio. Itaque corripuit eum & flagellis cecidit, inde remiſit ad Cæſarem. Mox quò dilueret Cleopatra crimina & ſuſpiciones illius, coluit Antonium mirificè, ac die ſuo natali ſummiſſè, & pro præſenti Fortuna acto natalem illius ſummo ſplendore & magnificentia celebravit, ut multi ad cœnam invitati, qui acceſſerant inopes, opulenti diſceſſerint.

Dio l. 51. Cleop. 15. Hyeme tranſacta Cæſar in Antonium per Syriam & Duces ejus per Africam. Antonius cognito Cornelium Gallum, accepto Scarpi exercitu, ſubitò Parætonium occupaſſe, illud contendit ſperans quidem ſe eas copias à Gallo ad ſe ſine ullo labore traducturum; (nam benevolentia erga ſe affectos propter communem militiam noverat) ſin aliter nequiret, vi certè potiturum; nam & navales & terreſtres copias ſecum adducebat magnas, ſed Gallus naves partim incendit, partim ſubmerſit.

Id. ibid. Dum hæc fiunt Cæſar Peluſium vi, ut ferebatur, re vera autem proditione Cleopatræ cepit. Hæc quum nemo ſuppetias ferret, Cæſari autem nullo modo reſiſti poſſe audiret, ac ex ſermonibus Thyrſi, crederet eum ſuo amore captum, quum quòd id ita eſſe cuperet, tum quod eadem ratione patrem ejus, ac Antonium ſibi mancipaverat, idéóque non veniam modò ſibi, & Regnum Ægypti, ſed Romanorum Imperium ſperabat, ſtatim ei Peluſio ceſſerat.

Id. ibid. Antonius quum ad nuntium eorum quæ Peluſii eveniſſent, Parætonio diſceſſiſſet ante Alexandriam Cæſari obviam factus, equitatu eum abitinere fatigatum ſuperavit. Hinc aucta confidentia, ac eo etiam quòd jaculatus in Cæſaris caſtro, libellos, ſena in ſingulos ſeſtertia promiſiſſet, pedeſtri etiam certamine congreſſus, victus eſt, & Alexandriam refugit.

Plut. in Ant. Conditoria habebat Cleopatra & monumenta eximio artificio extructa, quæ Iſidis templo adjecerat. Eo ex Regiis theſauris pretioſiſſima quæque congeſſit, aurum, argentum, Smaragdum, unionem, ebenum, ebur, cinnamomum: poſtremò magnam vim tædarum & ſtupæ. Unde metuens illis opibus Cæſar, ne eas deſpondens animum, perderet illa, & concremaret, oſtendit ei aſſiduè dum cum exercitu ad urbem contendit, benignam ſpem.

Dio l. 51. Cleopatra verò cives Alexandrinos occultè prohibuerat contrà Cæſarem exire; quum palam ea, ut hoſti occurrerent, cohortari videretur: itaque

Plut. in Ant. Cæſar ut conſedit ad Hippodromum, erumpens infeſtus Antonius certavit ſtrenuè, atque equitatum Cæſaris profligavit, effuſúmque egit uſque ad caſtra. Hac elatus victoria ingreſſus eſt Regiam & Cleopatram in armis oſculatus eſt, atque eum qui fortiſſimè dimicaverat, commendavit illi: Cleopatra præmium ei auream loricam & galeam donavit: iſte verò his acceptis tranſiit nocte ad Cæſarem.

Id. ibid. Porro provocavit denuò per nuntios Antonius Cæſarem, ut ſolus ſecum certaret, qui reſpondit, vias Antonio multas patere ad interitum. Quare con-

conſiderans non poſſe quàm in prælio mori ſe honeſtiùs, deliberavit ſimul LAGIDAR.
terra maríque Cæſarem adoriri: atque inter cœnandum, ut fertur, impe- an. 294.
ravit ſervis ut propinarent & exciperent epulis ſe liberaliùs.: incertum eſſe
idémne facturi poſtridie eſſent, an aliis dominis miniſtraturi: ipſe verò ex-
tinctus jaceret & exanimis. Amicos ob hæc quum cerneret illachrymari, non
ducturum ait ſe ad pugnam, ex qua mortem glorioſam potiùs quàm ſalutem
& palmam ſperant ſe quæſiturum.

Simul atque diluxit Kalendis Sextilibus peditatum ipſe in tumulis pro urbe Id. ibid.
collocavit, deinde ad inſtruendam claſſem ad portum deſcendir, ut aut na-
vali pugna decerneret, aut in Hiſpaniam tranſmitteret, ſed Cleopatra juſſe- Dio l. 51.
rat ut naves ab eo transfugerent: itaque quum advenit, claſſem in altum pro-
vectam vidit, atque in hoſtem ſpectavit pergentem. Conſtitit ibi, præſtolans
ut ſucceſſum cerneret.

Claſſici poſtquam remigio appropinquaverunt adverſæ claſſi, ſalutaverunt Plut. in
Cæſaris milites. Quibus ſalurem reddentibus, deſciverunt ad illos, atque Anton.
ex omnibus navibus una effecta claſſis urbem infeſta petiit. Dum id con-
templarur Antonius, extemplò deſertus eſt ab equitibus qui tranſitionem
fecere. Peditatu fuſo recepit ſe in urbem, proditum ſe à Cleopatra voci-
ferans iis, in quos illius cauſa arma ſumpſerat.

Cleopatra quum iram Antonii & deſperationem formidaret confugit ad Id. ibid.
monumentum cum Eunucho & duabus ancillis, cataractáſque dimiſit clau-
ſtris & repagulis firmatas, ac miſit ad Antonium nuntiatum defunctam eſſe.

Antonius id credens, ſervum fidum Erotem, ut ipſum interimeret, roga- Id. ibid.
vit, Eros diſtrictum enſem extulit, quaſi illum icturus: verùm averſo vultu
interemit ſemetipſum. Macte Eros, inquit Antonius, quid faciendum ſit,
doces. Ita ventrem fodit, atque in lectulum demittit ſe. Ictus non fuit is,
qui maturaret mortem: unde curſu ſanguinis poſtquam decubuit, inhibito
refocillatus, oravit aſſiſtentes ut ſe confoderent. Illi ejecerunt ſe ex cubiculo,
vociferante & diſcruciante ſe Antonio.

Inde eo orto tumultu, Cleopatra quum id ſenſiſſet, ex faſtigio monumen- Id. ibid.
ti proſpexit, juſſúſque ab ea Diomedes ſcriba eſt Antonium in monumentum Dio ut ſup.
ad ipſam deportare, ut verò Antonius audivit eam eſſe ſuperſtitem, con-
ſurrexit quòd vivere ſe poſſe arbitraretur, ſed multo profuſo ſanguine, de-
ſperata vita, obteſtatus eſt præſentes, ut ſe ad ſepulcrum deferrent, ſervi
ejus ſuſtulerunt illum, & ad januam ſepulcri geſtarunt.

Dum fertur Antonius ad Cleopatram, Dercetæus quidam ejus ſatelles
rapto Antonii pugione reconditóque, ſubduxit ſe, curréntque ad Cæſarem,
exitum Antonii primus nuntiavit ei, atque enſem oſtendit cruentum. Ille
accepto hoc nuntio, in inrimum ſeceſſit tabernaculum: ubi illachrymavit
Antonio, affini quondam & Collegæ ſuo, multorúmque certaminum & re-
rum ſocio. Mox ſumptis epiſtolis, accitíſque amicis, recitavit ad lenia &
æqua ſcripta ſua, quàm ille ſemper reſpondiſſet importunè & ſuperbè. Inde
Proculeium mittit, mandans ut maximè, ſi queat Cleopatram redigat vivam
in poteſtatem. Etenim timebat theſauris, & magnificum ad ornamentum du-
cebat triumphi, ſi illam adduxiſſet.

Cleopatra ad Antonii adventum non reſeravit fores, ſed ex feneſtris ſpe- Plut. ibid.
ctans, per funes qui ſuſpenſi lapidibus in altum invehendis erant, ſurſum Dio ibid.
tractus eſt. Nihil aiunt fuiſſe illo ſpectaculo, qui adfuere, lamentabilius.
Quippe ſanguine oppletus & animam agens trahebatur, manúſque verſus
Cleopatram porrigebat, & annitebatur ſuſtollere ſe. Neque enim id mu-
lieribus factu proclive erat; ſed magno labore illa manibus incumbens & pro-
na facie, apprehendit vinculum excitantibus eam qui infra ſtabant, & vicem
ejus anxiis.

Ut

I AGIDAR. an. 294. Id. ibid. Ut eum hoc modo accepit & depoſuit in lectum, pepla eum lamentans dilaceravit, pectúſque ſuum percutiens & lanians manibus, cruorémque facie abſtergens dominum, virum, Imperatorem appellavit, ae ſuorum penè malorum eſt illius miſeratione oblita. Lenito ejus dolore, Antonius vini hauſtum popoſcit: vel quòd ſitiret, vel quòd celeriùs ita expiraturum ſe ſperaret. Poſtquam bibit monuit eam, ut rerum ſuarum, ſi abſque turpitudine liceret, incolumitati conſuleret, ae præcipuè inter amicos Cæſaris fidem adhiberet Proculeio; ſe verò ob noviſſimam rerum converſionem ne lamentaretur, ſed gratularetur ob bona quæ fuerat conſecutus, quòd omnium hominum fuiſſet elariſſimus & plurimùm potuiſſet, atque eo tempore non ignaviter eſſet Romanus à Romano ſuperatus.

Id. ibid. Jam efflabat animam Antonius in gremio Cleopatræ quum à Cæſare adfuit Proculeius Eques Romanus cum Epaphrodito Cæſaris liberto. Cleopatra verò abnuit ex propinquo congredi cum Proculeio, ſed colloquium cum eo ex illo ædificio habuit aſſiſtente foris ad poſitum in plano oſtium, quod firmiter erat obſeratum, ut admitti tamen vox poſſet. In colloquio illa Regnum liberis ſuis petiit: alter bono animo ut eſſet, hortatus eſt, & omnia permitteret Cæſari.

Plut. in Anton. Proculeius ut locum contemplatus, Cæſari renuntiavit, iterùm miſſus eſt ad eam appellandam Gallus. Qui ut venit ad fores, produxit de induſtria ſermonem. Interea Proculeius admotis ſcalis intravit per feneſtram, quâ exceperant mulieres Antonium, trahénſque ſecum duos Miniſtros, deſcendit confeſtim ad ipſas fores quibus aſſiſtebat Gallum alloquens Cleopatra. Ubi una ex mulieribus quæ incluſerant ſe cum illa, exclamavit, miſera Cleopatra, viva in poteſtatem Cæſaris venis: convertens ſe, cernénſque Proculeium, inſtitit ſe ipſam ferire, nam ſica erat accincta.

Id. ibid. Dio ut ſup. Ceterùm accurrens properè & complexus eam ambabus manibus Proculeius. Injuriam facis, inquit, Cleopatra & tibi & Cæſari, quæ magno documento eum clementiæ privas & leviſſimo Imperatori notam inuris perfidiæ & ſævitiæ, ſimul ei detraxit gladium, veſtémque ejus, ne quid tegeret veneni, excutit, & aliquot dies ei, ibi ut commoraretur dum Antonii cadaver condiret, eonceſſit, ejus cura Epaphrodito data; nihil de comitatu ac de eonſueto cultu detrahentes, quò magis ea, quæ cupiebat, impetraturam ſperaret, ac ne quid ſibi ipſa mali injungeret.

Plut. in Ant. Cæſar Alexandriam ingreſſus eſt eum Ario Alexandrino Philoſopho, cujus fuerat olim diſcipulus, colloquens, dextráque eum tenens, quo tam eximio honore ab ipſo cultus, conſpicuus civibus & ſuſpiciendus eſſet. Ingreſſus Gymnaſium, conſcenſo tribunali, quod erectum erat, conſternatos metu cives, & humi ſe abjicientes exurgere juſſit, atque populum ſe omni

Dio l. 51. noxa liberare in gratiam Serapidis, ſecundò Alexandri Magni, & Arrii amici ſui.

Plut. in Ant. M. Antonium multis Regibus & Ducibus petentibus funerare, non ademit corpus Cleopatræ, ſed illius manibus eſt humatus ſplendidè & regaliter, omniáque ei, quibus uti voluit, permiſſa. Ex tanto mœrore & dolore, correpta febre, id velamentum arripuit. Læta, quaſi ideo temperatura cibo, & vitam liberè poſitura, Medicum habebat familiarem Olympum, quem prodita ei veritate conſiliarium & adjutorem ad tabem ſibi inducendam adhibuit.

Plutarchus Dio ut ſup. Odoratus rem Cæſar ei minas & terrores de liberis objecit quibus illa ſicut machinis expugnata eſt, permiſitque corpus ſuum omnibus pro arbitrio curare & alere. Venit etiam paucis diebus pòſt ipſe ad eam appellandam & conſolandam, forſan ejus colloquium petierat.

Iid. ibid. Cleopatra conclavi ornatiſſimo ac ſella pretioſiſſima parata, ſe ipſam cultu quàm

quam maximè abjecto, nam habitus eam lugubris mirè decebat, ac appoſitis LAGIDAR. multis ac vanis Cæſaris ſuperioris imaginibus, ínque ſinum acceptis epiſto- an. 194. lis, ab eo ad ſe datis; ingredientéque Cæſare ſuffuſa pudore exiluit, abjecitque ſe ad pedes ejus, & ſalve, inquit, ô Domine, hoc enim nomen mihi ademptum, Dii tibi tribuerunt; Juſſit Cæſar eam decumbere & juxtà aſſedit, vides, inquit illa, patrem tuum, qualis ſæpenumero ille ad me ingreſſus eſt, quot mihi honoris tribuerit qui me etiam Reginam Ægypti conſtituerit.

Deinde attigit illa nonnullam excuſationem, ea quæ facta eſſent in vim Id. ibid. & metum deflectens, quam confutante in ſingulis Cæſare ac coarguente, tunc artificioſum luctum ac voces ad molliendum animum appoſitas edidit: nam gratiæ illæ, & formæ confidentia non erat ſemel extincta, ſed ex ea licèt ita affecta elucebat extrinſecùs aliquatenus, & cum vultus motibus effulgebat.

Hac varietate & ſermonis & geſtuum uſa, mellitos quoſdam alios intuitus Id. ibid. ac voces adjecit. Cæſar quamquam Cleopatram ciendis affectibus intentam animadvertebat, tamen eo diſſimulato oculis in terram affixis hoc unum pronuntiavit. Bono animo eſto, mulier, nihil enim mali patieris. At Cleopatra licèt ingenti dolore correpta quòd neque aſpexiſſet eam Cæſar, neque de Regno aut amore ullum feciſſet verbum ad genua ejus ſe projiciens, fletúmque edens: Vivere, inquit, ô Cæſar, neque volo neque poſſum.

Veritus autem ne ſe ipſa occideret, iterum animo vel eſſet bono hortatus Id. ibid. eſt, tunc illa divertit ad miſericordiam expoſcendam & ad preces, quaſi ſummoperè concupiſcere vivere Poſtremò numeri theſauri breviarium, quod habebat, ei tradidit. Quum Seleucus, unus Procuratorum, argueret eam quod reconderet & ſupprimeret nonnulla: exiliens & in capillum ejus involans, multis plagis os ejus contudit.

Subridente Cæſare atque illam reprimente. Anne grave, inquit, Cæſar Plut. ibid. eſt, quum tu inviſere me hoc in ſtatu & appellare ſis dignatus, à ſervis me meis deferri, ſi quid repoſui, non mihi ſanè miſeræ mundum: ſed quo pauca munera Octaviæ & Liviæ tuæ feram, ut placatum te per illas, & clementiorem habeam. His gaviſus eſt Cæſar, omnino illam teneri cupiditate vitæ: igitur Cæſar ubi oſtendit, & hæc ei concedere ſe, ceteráque ſupra omnem ſpem cum ea acturum, digreſſus decepiſſe arbitrabatur ſe eam.

Cornelius Dolabella erat nobilis juvenis inter Cæſaris amicos: hic Cleo- Id. ibid. patræ cupidus, precanti tunc hoc dedit beneficii, ut per internuntium clam ei ſignificaret Cæſarem ipſum pedibus deceſſurum per Syriam, ipſam verò cum liberis ſtatuiſſe poſt triduum in Italiam mittere.

Hoc intellecto, primùm Cæſarem oravit, ut ſibi inferias dare permitteret Id. ibid. Antonio. Annuente illo, ubi ad monumentum eſt perlata incumbens cum familiaribus mulieribus in tumulum. Nuper te, inquit, liberis adhuc manibus, chare Antoni, funeravi, nunc parento captiva & cuſtodita, ne planctibus & lamentationibus ſuggillem ſervile hoc corpus, quoad triumphum de te ſervatur. Alios honores vel juſta ne expectaveris, verùm hæc tibi à Cleopatra, quæ abducitur, ſunt noviſſima. Vivos nos nihil detraxit, nunc verò morte videmur commutaturi loco, tu ut Romanus hìc jaceas, infelix ego hìc in Italia, hactenus modò patriæ particeps tuæ. At ſi quid iſtic numina valent & poſſunt, noli deſerere vivam tuam conjugem, neque in me permittere triumphum duci de te, ſed hìc me tecum abde & conde: nam mihi ex infinitis malis nihil tam grave vel acerbum eſt, quàm breve hoc tempus quod te ſine vixi.

His editis lamentis, poſtquam coronas & oſcula tumulo tulit, præcepit Ibid. ſibi parari balneum. Lota accubuit, & ſplendidè epulata eſt. Tum ciſtam

LAGIDAR. an. 294. quidam rure veniens attulit. Percunctantibus quid ferret, ſatellitibus, aperiens & auferens folia, cophinum plenum ficorum oſtendit. Mirantes ſpeciem & magnitudinem, arridens, invitavit ut ſumerent. Illi nihil ſuſpicati juſſerunt ficos eum intrò ferre.

Plutarch. Dio ibid. Sub prandium, Epiſtola qua à Cæſare petebat, ut cum Antonio ſepeliri ipſam juberet Epaphrodito dedit perferendam, ut is aliud quiddam contineri ea exiſtimans, occaſione Epiſtolæ Cæſari reddendæ è medio removeretur, tum omnibus ejectis reliquis præter Iram, ſeu Nairam, & Charmium, ſeu Charmionem, quas ſecum ſemper habuerat, veſte ſe omnium elegantiſſima induit, ac quàm potuit pulcherrimè exornavit, & quum Charmione componebat diadema, quo redimitum erat caput ejus, ſupra lectum concidit.

Solutis tabulis Cæſar ut obſecrationes & quæſtus legit, precantis ut apud Antonium conderetur, intellexit illicò quid geſtum eſſet. Ac primùm inſtitit illuc ipſe accurrere, deinde ſpectatum properè miſit quid rei eſſet, curſu tunc illuc profecti, & ſtationem nihil offendentes ſenſiſſe, reſerata janua defunctam invenerunt & ſupra aureum lectum jacentem, Regio cultu exornatam invenerunt.

Strab. l. 17. Plut. in Ant. Galen. l. de Ther. ad Piſ. Dio lib. 51. Perhibent aſpidem inter ficos illos illatam, foliiſque fuiſſe intectam quam ut vidit, Cleopatra ſiniſtro brachio admovit. Alii incluſam hydriæ aſpidem, atque ita fuiſſe autumant aſſervatam, fuſóque aureo ipſam laceſſentis, & ſtimulantis arripuiſſe Cleopatræ brachium. Alii aſpidis ad occidendum celeritatem, Cleopatram inquiunt magnum primo ac profundum vulnus brachio ſuo dentibus intuliſſe; deinde venenum, quod prius ex aſpide paraverat, in pixide quadam ad ſe allatum vulneri infudiſſe.

Id. ibid. Sed veritatem novit nemo: quando venenum quoque geſtaſſe proditum eſt, acum ab ea qua capillum componere ſolita eſſet, veneno inunctam tradunt, cujus ea fuerit natura, ut quum corpori aliàs nullum damnum injungeret, ubi primùm tamen ſanguinem vel minimum attigiſſet, mortem & celerrimam & abſque omni dolore adferret. Hanc acum ab eà more ſuo in capite eatenus geſtatam, tum detractam, brachióque priùs alia re ſauciato ſanguini immiſſam fuiſſe.

Plutarch. Dio ibid. Cæſar, audito Cleopatræ interitu, attonitus, corpus ejus vidit & quum notas duas & quidem tenellas obſervaret, remedia ei adhibere & Pſyllos qui poſſent venenum ex illa exugere juſſit, ut ſi qua ratione vitæ reſtituere illam poſſet. Porrò quamvis moleſtiam traxit ex illius deceſſu, animum tamen ejus generoſum eſt admiratus, corpus ejus ſplendidè & regaliter condi apud Antonium juſſit.

Plut. in Anton. in Reg. Pto. lib. Strom. Exceſſit Cleopatra annos nata 38. quorum duos & viginti regnavit id eſt inchoatos. A morte Alexandri M. uſque ad Cleopatram apud Ptolomæum Geographum & Clementem Alexandrinum numerantur 294. id eſt inchoati.

Statuæ Antonii dejectæ ſunt, Cleopatræ non motæ: impetravit amicus ejus Archibius à Cæſare mille talentis ne cum Antonianis convellerentur.

Cleopatra modum neque rei Venereæ neque avaritiæ ſtatuere noverat, multa per ambitionem prodigalitate; multa etiam temeraria ſuperbia utens, Regnum Ægyptium amore paraverat, ac eadem arte Romanum quoque adipiſci intendens, & hoc non conſecuta eſt, & ſuum inſuper perdidit.

Plut. in Anton. Ex Cleopatræ liberis Cæſario, qui ex Cæſare Dictatore prognatus ferebatur, illum miſerat mater cum magna pecuniæ ſumma per Æthiopiam in Indiam, Pædagogus ejus Theodorus è contra Rhodum duxit, ex qua illum induxit ad regrediendum Alexandriam tamquam vocaret eum

Cæſar

Cæſar ad Regnum. Deliberante de eo Cæſare perhibent Arium dixiſſe non LAGIDAR.
propagandum eſſe in multis Cæſaris nomen, quare eum poſt matris mortem an. 294.
extinxit. Alii ferunt in Æthiopiam fugientem, interceptum in itinere ne- Dio l. 51.
catum.

Ex Antonii liberis Antyllus Fulvia natus major, quamquam ei Cæſaris eſ- Id. ibid.
ſet deſponſata Julia ejus filia, qui in patris ſacellum à Cleopatra factum confugerat, à Pædagogo etiam Theodoro cognomine proditus, ſtatim jugulatus eſt, obtruncantibus eum militibus, detraxit ei Pædagogus, quam collo gerebat, pretioſiſſimam gemmam, eámque inſuit zonæ ſuæ. Id inficiatus & compertus quum eſſet, in crucem actus eſt.

Alexander, Ptolemæus, & Cleopatra, ex Cleopatra & Antonio filii, ad Triumphum Cæſaris reſervati ſunt & Romam poſtea perducti.

Qui Antonii rebus faverant, Cæſar alios ſupplicio affecit, alios venia vel ſua ſponte, vel amicis intercedentibus, inter ſupplicio affectos numeratur
P. Canidius infeſtiſſimus quidem Cæſari, ſed & Antonio infidus, qui timi- Oroſ. lib. 6.
diùs deceſſit, quàm profeſſioni ejus, qua ſemper uſus fuerat, congruebat, Paterc. l. 2.
occiſus eſt etiam Cæſaris juſſu Q. Ovinius Senator.

Quum inveniſſet Cæſar apud Antonium permultos Principum ac Regum Dio l. 51.
liberos, alios obſidum nomine, alios per contumeliam educatos fuiſſe, eorum partem domum remiſit, partim conjugio invicem copulavit, alios retinuit, Jotapen Regi Medorum qui ad ſe victis confugerat, ultrò reddidit: Artaxiæ autem, quia is Romanos, qui in Armenia ſuperfuerant, occidiſſet, fratres ſuos quantumvis petenti non remiſit. Id. ibid.

Deinde corpus Alexandri inſpexit, atque attrectavit, ita ut naſi quoque, (ita enim fertur,) particulam aliquam fregerit. Ptolemæorum corpora, quamquam ea oſtendere Alexandrini enixè volebant, non ſpectavit, Regem ſe, non mortuos voluiſſe videre dicens. Id. ibid.

Ceterùm magna pecuniæ vis in Regia reperta eſt, (omnia enim ferè etiam Sanctiſſimorum templorum donaria ſuſtulerat Cleopatra ac Romanis prædam, ſine ipſorum ſcelere aliquo adauxerat,) multæ etiam ab iis qui criminis alicujus rei fierent, exigebantur: ac reliqui ſeorſum omnes, quibus nullum crimen objici poterat, ſextantem bonorum ſuorum poſcebantur. Inde omnibus militibus ſtipendia debita numerata ſunt: qui verò cum Cæſare tum quoque erant, ducenos quingenos ſinguli denarios accepere, ne urbem diriperent: omnibus, qui mutuum antè aliquid dediſſent, id exſolutum eſt: multa Senatoribus ac Equitibus, qui in belli ſocietate fuerant, dona data ſunt, in ſumma, Imperium Romanorum ditatum eſt, templáque eorum exornata. Dio Halic.

Tandem Cæſar Ægyptum in poteſtatem P. Romani redegit Olympiade Præm. Ant.
187. anno illius tertio ineunte, ſcilicet menſe ſextili eámque tributariam fecit & ei P. Cornelium Gallum præfecit; quem primum Ægyptus Romanum Judicem habuit. Poſtea Cæſar exiit & Romam per Syriam abiit. Romani diem quo capta fuit Alexandria....



EX CIMELIO REGIO.

Caput muliebre diadematum ſine literis, in cujus averſa parte Aquila inſiſtens fulmini cum Epigraphe ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ. in area L. ς. id eſt anno ſexto.

Plurimæ fuerunt Ægypti Reginæ nomine Cleopatræ, prima quidem Antiochi Magni Syriæ Regis filia & Ptolemæi Epiphanis uxor, ſecunda Philometoris conjux & ſoror, tertia hujus filia Ptolemæi Evergetis uxor ſecunda; ſed illa cujus effigiem exhibet nummus drachmalis argenteus, iis præteritis, famoſa eſt Antonii Amaſia, vultu & imagine ab Antiquariis plurimùm nota.

Litera numeralis ς. annum Cleopatræ Imperii ſextum indicat, ſed an à morte patris quum ab ejus Teſtamento vocata eſt Regina? an verò à morte fratris junioris Ptolemæi poſtquam ſola Ægypti Imperium tenuit: Si Porphyrio credimus, illa jam Octavum numerabat annum quando hic fato functus aut veneno ab ea ſublatus eſt, ſi ſolam ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ Epigraphen perpendamus, ad tempus quo ſine fratre regnabat nummum revocat, ſed ambitioſa Princeps femina plûrimùm ſub fratribus poterat.

Licèt multos annos imperarit Cleopatra illius nummi tamen rari ſunt, præſertim ex auro, deinde ex argento cum inſcriptione Græca ſeu ſola ſeu cum effigie Antonii; ſed cum Epigraphe latina faciliùs parantur. Ex ære omnes cum Antonii imagine pro raris habentur.



EX MUSÆO D. FOUCAULT.

Caput Cleopatræ habitu Dianæ cum Pharetra pone dorſum ſine literis, in averſa parte duplex cornucopiæ cum Epigraphe ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ, & in area K.

Non mirum eſt ſi Cleopatra prodit ſub habitu Dianæ quæ eadem eſt quæ Luna, nam à Regibus hæc Dea ita culta eſt, ut ejus nomen liberis ſuis imponerent, ut obſervavimus in nummis filiæ Evergetis II. & Cleopatræ ejus neptis & uxoris quæ ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ ΣΕΛΗΝΗ appellatur.

In Anton. Imo noſtra Cleopatra illud cognomen Cleopatræ ſuæ ex Antonio filiæ, apud

apud Plutarchum indidit τὸν μὲν Ἀλέξανδρον, τὴν δὲ Κλεοπάτραν ἐπίκλησεν δὲ, τὸν μὲν ἥλιον, τὴν δὲ σελήνην, *unum Alexandrum, alteram Cleopatram appellaſſet, illum quidem Solem, hanc vero* Lunam. Unde ſeu cultu, ſeu ambitione Lunæ habitum Cleopatra aſſumpſiſſe videtur, ſi quidem in ſequentibus *Dea nova* indigitatur.

Litera K. indicare videtur nomen loci ubi cuſus eſt nummus ut ſæpiùs retulimus, illam ergo interpretamur Κοπτητῶν, *Coptetarum*, erat urbs Ægypti Coptus, plurimùm celebris, in quo pariter Arſinoes Philadelphi nummus pariter ſignatus, an verò duplex cornucopiæ urbis inſigne eſt ut quibuſdam placet? an ad deſignandam Ægypti potiùs abundantiam.



EX CIMELIO REGIO.

Caput M. Antonii nudum cum Epigraphe ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΘΕΑ ΝΕΩΤΕΡΑ. *Imperator. Dea nova.* Ex averſa parte Caput Cleopatræ diadematum ſine literis.

Hic nummus minimæ formæ æneus à Cleopatra in Antonii honorem videtur percuſſus, in quo ab una parte illius imaginem cum utriuſque titulis exhibet, ad demonſtrandum illum in Regno ſummam habere poteſtatem, quippe nomen Αὐτοκράτορος id eſt Imperatoris, apud Romanos ut apud gentes magna erat in exiſtimatione, quippe enim tantùm Senatus decreto dabatur, & apud Græcos pro Domino habebatur: unde Jupiter apud Plautum ſummus Divûm atque hominum Imperator. Amph:

ΘΕΑ ΝΕΩΤΕΡΑ id eſt *Dea nova*, indigitatur Cleopatra, vox Νεώτερα pro νέα poſitivo ſæpè uſurpata, quaſi nova eſſet Iſis ſeu Diana quæ eadem eſt apud Mythologos & Ægyptios. Ut autem apud Plutarchum Antonius Διόνυσος νέος προσαγορευόμενος *Bacchus novus dicebatur.* Sic Cleopatra *Dea nova* appellari voluit per excellentiam nullo Deæ nomine addito, porrò idem autor eam deſignat Iſidem στολὴν ἑτέραν ἱερὰν Ἴσιδος ἐλάμβανε, καὶ νέα Ἶσις ἐχρημάτιζε. *Stolam Iſidis ſacram ſumebat, atque novæ Iſidis nomine reſponſa dabat populis.* in Anton.




EX CIMELIO REGIO.

Caput Cleopatræ diadematum cum Epigraphe ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ ΚΛΕΟΠΑΤΡΑ ΘΕΑ ΝΕΩΤΕΡΑ ; ex averſa parte caput nudum Antonii cum inſcriptione ΑΝΤΩΝΙΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΤΡΙΤΟΝ ΤΡΙΩΝ ΑΝΔΡΩΝ. *Antonius Imperator tertium Triumvir.*

Cleopatra in hoc eximiæ raritatis nummo tetradrachmali argento ſe primo Reginam, deinde novam Deam nominat, de qua ſuprà abundè diximus.

In averſa parte Antonius non excellentiæ nomine quaſi ſummus Imperator ut in ſuperiore nummo indigitatur, ſed Imperator tertium appellatur, quem titulus Senatus haud ei decrevit, ſed ob Parmeniam ejus Rege capto, tamquam à ſe devictam uſurpavit. V. C. 720. Prima autem vice Imperatorem l. 37. p. 43. eſſe appellatum allato in urbem Catilinæ capite refert Dio, ſed an verò anno V. C. 711. quum ad exercitum circa Mutinam profectus eſt. Secundùm autem ſeu iterùm Imperator vocatus eſt decreto Senatus ob Parthos à Ventidio ejus legato tamquam ab ipſo devictos, menſe Junio V. C. 715.

Triumviri nomen ſibi cum Imperatoris tertium copulat ob primum acceptum Triumviratum anno V. C. 712. qui deſierat poſt quinque annos, ſed ipſo converſo in alterum quinquennium V. C. 717. eandem poteſtatem prorogaverant Antonius & Cæſar abſente Lepido.



EX MUSÆO CARD. MAXIMI.

Capita Antonii Laureati & Cleopatræ diadematæ jugata cum Epigraphe M. ANTONIUS IMP. COS. DESIG. ITER. ET TERT. In averſa parte Bacchus muliebri habitu ſupra ciſtam D. cantharum S. thyrſum, hinc & inde ſerpens ſeſe erigit & literis III. VIR. R. P. C.

Frequentior occurrit nummus tetradrachmalis argenteus cum ſimili typo cum Solo Antonii capite, ſed hic rarior & Antonii & Cleopatræ Capita exhibet

hibet jugata. Alter etiam obſervatur cum ſolo Antonii capite, in cujus averſa parte pro Baccho ciſtæ inſidente, viſitur caput Cleopatræ.

Hi omnes nummi à communi Aſiæ Provinciæ percuſſi videntur, quippe ciſta illa inter prægrandes duos ſerpentes ſupra quam ſtat Bacchus, illius ſtemma eſt, quod nobis confirmat Auguſti nummus in quo pro Baccho exhibetur Victoria, ſupra ciſtam illam inter eoſdem ſerpentes cum inſcriptiocine ASIA RECEPTA quum eam recuperaſſet, poſt devictum ad Actium, & occiſum in Ægypto Antonium.

Alludit Aſia Antonio, cum Baccho ſuo protectore Deo; narrat enim Plutarchus Antonium ingredientem Epheſum, illum, appellaſſe Bacchum. In vita Anton. Διόνυσον αὐτὸν ἀνακαλυμένων χαριδότην καὶ μειλίχιον *appellabántque Bacchum benignum ac blandum.* Aſiani autem hunc nummum Antonio & Cleopatræ cuderunt poſtquam Ventidius ejus Legatus Labienum & Parthos ex illa expuliſſet & Cleopatram in Syriam per Fonteium accerſiſſet.



EX MUSÆO CAR. PATINI D. M. PAR.

Capita jugata M. Antonii & Cleopatræ cum literis M. ANT. IMP. COS. DESIG. ITER. ET TERT. III. VIR. R. P. C. In averſa parte navis velo expanſo cum inſcriptione C. FONTEIUS CAPITO PROPR. PRAEF. CL. Alter nummus eamdem præfert Epigraphen vice verſa.

Hi nummi à C. Fonteio Capitone percuſſi ſunt. Fonteius ille ex gente plebleia, cognomine Capito, Antonii amicus fuit teſte Horatio. lib. 1. Satyr.

—— Capitóque ſimul Fonteius ad unguem
Factus homo, Antoni non ut magis alter amicus.

Legatus fuit Proprætore Antonii in Aſia, unde in nummo dicitur PROPR. deinde Claſſi ejus Præfectus, ideo PRAEF. CL. inſcribitur, dum Antonius Coſ. deſignatus erat iterum & tertium, quando Conſulatus in quadriennium ex fœdere cum Cæſare & Pompeio pace inter eos in Sicilia facta compararunt.

Antonius cum trecentis navibus verſus Italiam navigaverat ad Cæſarem, In vita Antonii. quibus præerat Fonteius, pacéque inita per Octaviam, quam poſtea Romam dimiſit, & Cleopatræ amore victus ut ait Plutarchus Καπίτωνα Φοντήιον ἔπεμψεν ἄξοντα Κλεοπάτραν εἰς Συρίαν. *Fonteium Capitonem ad Cleopatram adducendam in Syriam miſit.* In cujus memoriam Fonteius Antonio & Cleopatræ adulans nummos ſignavit. Tandem anno V. C. 721. Kal. Juliis Conſul ſuffectus eſt cum M. Acilio Avíola.



EX MUSÆO NOSTRO.

Capita Antonii & Cleopatræ jugata. M. ANT. IMP. COS. DES. IT. ET TER. III. VIR. R. P. C. in averſa parte M. OPPIUS CAPITO PROPR. Navis velo expanſo cum litera A. in vertice.

Oppiorum gens plebeia fuit, cujus ſunt cognomina Cornicen, Statianus & Ep. 8. Oppio; Tribus quidem Terentina Ciceroni; ſed quis fuerit ille M. Oppius Capito partium Antonii fautor, altum eſt apud Hiſtoricos ſilentium; ex illius igitur dignitatibus nummo inſcriptis quærendum eſt. Vox PROPR. id eſt *Proprætore*, Legatum Antonii in aliqua ex ejus Provinciis denotat fuiſſe, ut ſuprà in Fonteii nummis eamdem Epigraphen legimus.

Dio l. Legati Proprætore vocati ſunt, qui Provinciam aliquam regerent ſub illis qui ſummum Imperium in iis habebant, ut in Conſularibus nummis videre eſt in gente Poblicia ex una parte CN. MAGNUS, in averſa M. POBLICI. LEG. PROPR. & in Cæcilia P. CRASSUS JUN. LEG. PROPR. nempe Scipionis in Africa Legatus.



EX MUSÆO CARD. MAXIMI Romæ.

Eadem capita jugata, eadémque Epigraphe, in averſa parte M. OPPIUS CAPITO PROPR. PRAEF. CL. eadem navis, & litera A. in imo.

In nummo Oppii Capitonis ſuperiore, ex voce PROPR. illum aliquam Antonii Provinciam Legati Proprætore nomine adminiſtraſſe diximus ex ipſo ob Epigraphen PRAEF. CL. eam fuiſſe ad mare ſitam auguramur, & in eam C. Fonteio ſucceſſiſſe ex eadem inſcriptione COS DESIG. ITER ET TERT. In vit Ant. *Conſul deſignatus iterum & tertium.* Si quidem ex Plutarcho Fonteius Capito adduxit Cleopatram ad M. Antonium anno ejus Regni 8. & tunc eſſet Conſul deſignatus iterum & pariter ſub Oppio ſecundum Conſulatum non eſſet conſecutus.

Litera A. in utroque nummo annum deſignat Oppii Capitonis in Provincia primum.



EX THESAURO REGIO.

Capita adverſa Antonii & Cleopatræ cum eadem Epigraphe: in averſa parte M. OPPIUS CAPITO PRÆF. CL. Prora navis, litera B. in imo.

Si nummus hic mole minor ſit, pretio tamen par, cum aliis videtur. Superiores Oppii nummi capita Antonii & Cleopatræ ſociata exhibent, hic adverſa. Prior illum deſignat pro Prætore Legatum, hic tantùm Præfecturæ Claſſis Oppii titulum præfert. In anterioribus, literæ A. ejus primum dignitatis annum denotant, in hoc litera B. ſecundum arguit, in quo nondum etiam ſecundum Antonius inierat conſulatum quod anno v. c. 720. evenit, quum Sempronium Atratinum in locum ſuum ſuffecit: unde quanta lux è nummis etiamſi minimæ ſint molis.



EX THESAURO REGIO.

Capita M. Antonii Triumviri & M. Antonii ejus filii jugata, ex adverſo caput Cleopatræ diadematum cum Epigraphe M. ANT. IMP. COS DESIG. ITER. ET TERT. III. VIR. R.P.C. In averſa parte navis velo expanſo &. M. OPPIUS CAPITO PROPR. PRÆF. CLASS. in area Γ. anno 3°. & Tria crura ſimul compacta quæ vulgò pro Triquetra ſeu Siciliæ nota habentur.

Seguinus noſter hunc nummum vulgavit in ſelectis numiſmatibus, quem M. Antonii & Cæſaris jugatorum cum Octavia ex adverſo imagines exhibere conjicit, ob Triquetram in nummo ſignatam poſt expulſum nempe à Cæſare Sextum Pompeium ex Sicilia, ſed illum monueramus ex eodem nummo integriore Romæ reperto non Cæſaris eſſe vultum, ſed M. Antonii ejus filii, nec effigiem muliebrem Octaviam repræſentare, ſed Cleopatram; Seguinus autem in ſecunda quidem ſua ejuſdem libri editione ſe à nobis monitum indicat, ſed id eludere tentat, idcirco illi reſpondemus in notis ad hunc librum in calce illius folio 405. pag. 103.

Plutarchus in iis quæ ad Cæſarem recriminandum Antonius affert, inter præcipua narrat extortam Pompeio à Cæſare Siciliam cum Antonio eum non eſſe partitum, quod non omnino verum eſſe videtur, ſi quidem Dio in allocutione M. Antonii ad milites ſuos ante pugnam Actiacam, illi Siciliæ par- In vita Anton. Lib. 50. pag. 430.

 tem

tem attribuit. *Denique* inquit Antonius, *quanta tandem portio Sicilia eſt noſtri Imperii.* Quod confirmare videntur nummi ab Antonii Legatis & Claſſis Præfectibus percuſſi.

Triquetra Siciliæ nota nummum hunc in Siciliæ quadam urbe, & ſi augurari liceat Panormi ſignatum denotat, Panormi autem nummi Triquetram illam pro Stemmate exhibere ſolent, & quidem M. Oppii Capitonis cura, quem partis ejus Inſula Legatum pro Prætore M. Antonii fuiſſe exiſtimamus quod confirmat alter nummus L. Bibuli qui ſe PRO. SIC. id eſt Legatum *pro Prætore Siciliæ*, inſcribit.

Oppius Capito qui in priore nummo Capita M. Antonii & Cleopatræ jugata, in altero verò eadem adverſa ſignavit, nunc ipſa in ampliore & primæ quidem magnitudinis exhibet, & non Octaviam ut putat Seguinus, ſed caput Antonii filii, effigiei patris ſubdit, ut tamquam heres Provinciarum Romanarum eſſet proximus ut natu major ex Fulvia Antillus; & cum illo Alexandriæ degeret teſte Plutarcho, cui etiam in illa urbe nummos aureos cuderunt in patris averſa parte Monetarii quæ omnia adoleſcenti perniciem attulit, cui Cæſar quaſi jam & Principatum aliquem gerenti, ut ait Dio, non pepercit, imo illum & ſi ejus filia eſſet deſponſata, jugulavit.

In vita Anton. S-lect. Num. Seguini. lib. 51.

Litera Γ. in area nummi annum tertium, ſeu Legationis, ſeu Claſſis Præfecturæ denotat, ut A. & B. in ſuperioribus primum & ſecundum deſignavit. Duo navalia habere potuit Antonius, unum Panormi in Sicilia, alterum in Phœnicia forſan Tyri, nam Cleopatra ſuum Alexandriæ habebat. Hoc etiam anno quo Oppius nummum cudit, nondum Conſulatum adeptus erat; ſi quidem in eo perhibetur Conſul deſignatus iterum, & Conſulatum anno ſequente iniit.



EX THESAURO MEDICEO.

Caput Cleopatræ diadematum ante quod prora navis cum inſcriptione CLEOPATRAE REGINAE REGUM FILIORUM REGUM. ab altera parte Caput Antonii pone quod Tiara ſeu cidaris cum Epigraphe ANTONI ARMENIA DEVICTA.

Quia nobis Ptolemæorum Ægypti Regum deſcribenda eſt Hiſtoria & de aliis rebus tantùm eſt ſermo, quoad hanc rem ſpectant, ideo Caput Cleopatræ præmiſimus Antonio, præſertim quum ille fuerit qui nummum cuderit, ut denotat ejus Epihraphe, quandoquidem latinè ſcripti ab Antonii Legatis ſignati ſint, quare nomen Cleopatræ in iis ſemper reticuerunt.

Hic nummus drachmalis argenteus Armenia ab Antonio occupata poſtquam Artabazem illius Regem dolo comprehendiſſet anno Cleopatræ Regni undecimo, percuſſus eſt: id ei circa Antonii caput legitur ARMENIA DEVICTA, porro id Romanis contumeliæ fuit, Regem & ejus familiam in Triumphum & quidem Alexandriæ ducere, quapropter quum Antonius Romam perſcripſiſſet, ut ibi rata eſſe juberentur quæ in Armenia fecerat, illius literæ publicè recitatæ non ſunt teſte Dione, nihilominus ſibi titulum Imperatoris III. quem

Lib. 49. pag. 416.

quem ei milites in hac expeditione tribuerunt, in nummis ſemper abhinc uſurpavit.

Cidaris ſeu Tiara pone caput Antonii, inſigne eſt Armeniorum Regum: erat autem tegumentum capitis, quo Perſarum Reges olim utebantur, albis maculis in cærulei coloris faſcia intermicantibus, quale videre eſt in nummo Tigranis Artabazis patris in noſtra Seleucidarum Hiſtoria deſcripto; hanc Pag. 399.
verò Cidarim à fugiente Tigrane capiti detractam, & in victoris Luculli ma- Plut. in
nus delapſam, in triumpho Romæ in victoriæ monimentum ille detulit; hanc Lucul.
verò Artabazis Antonius pone caput ob Armeniam devictam pro inſigni ſignare curavit.

Antonius titulum Cleopatræ, quem ipſi tribuerat in concilio Populi Alexandrini quum ipſis epulum præberet poſt ſuum de Armenia triumphum, circa caput ejus ſcribere juſſit, quare Dio narrat Κλεοπάτραν Βασιλίδα βασιλέων Lib. 48.
καλεῖσθαι ἐκέλευσεν. *Cleopatram Reginam Regum appellari imperavit.* Ambitioſi illi tituli à Parthorum Regibus uſurpabantur, ut nos docent ſuperſtites eorum nummi ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΑΡΣΑΚΟΥ, imò & ipſi Armeniæ Reges, illum ſibi vendicarunt, ut videre eſt in noſtra Seleucidarum hiſtoria ΒΑΣΙΛΕΩΝ Pag. 400.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΤΙΓΡΑΝΟΥ. ideo devicta ſeu occupata Armenia tamquam illam Cleopatræ ſubmitteret ſuperbum illi titulum impoſuit, nam inquit Florus, *Re-* Lib. 131.
gnùmque Armeniæ filio ſuo ex Cleopatra nato dedit.

Non modò Cleopatram Antonius *Reginam Regum* appellat, ſed matrem FILIORUM REGUM. Nam Dio in hac ad P. Alexandrinum concione ha- Lib. 48.
bitu refert, καὶ τὸν Πτολεμαῖον ὃν Καισαρίωνα ἐπωνόμαζον Βασιλέα Βασιλέων καλεῖσθαι ἐκέλευσεν, *& Ptolemæum quem Cæſarionem cognominabant, Regem Regum appellari juſſit.* Ex Plutarcho ſuos & Cleopatræ filios, Reges Regum vocavit, & In vita
Alexandro Armeniam cum Media & Parthorum Regno, quum ſubactum eſſet, Anton.
attribuit Ptolemæo Phœniciam, Syriam, & Ciliciam, imò & Cleopatræ filio Cyrenes Regnum: ideo Cleopatram filiorum Regum matrem in nummo appellat.

Prora navis ante Cleopatræ vultum appoſita eſt ad denotandum penes Reginam maris eſſe imperium, nam ex octingentis navibus quæ contra Cæ- Ibid.
ſarem paratæ ſunt, trecentæ tantùm erant Antonii & quingentæ pertinebant ad Cleopatram, quarum Regia vocabatur Antonias.



EX THESAURO MEDICEO.

Capita adverſa Antonii & Cleopatræ cum literis. M. ANT. IMP. TER. COS. in averſa parte Antonius & Cleopatra ſtantes in curru à quatuor equis marinis tracto cum inſcriptione. L. ATRATINUS PRAEF. CLAS. F. C. L. *Atratinus Præfectus Claſſis fieri curavit.*

L. Atratinus ex gente Sempronia, quum ex Lege fœderis cum Cæſare & Sex. Pompeio ſanciti, Antonius inire deberet Conſulatum cum L. Scribonio

 Libone

Dio lib. 49. Libone Pompeii Socero an. v. c. 720. & illum K. Januarii abſens abdicaſſet, in ejus locum ab illo ſuffectus eſt uſque ad K. Julii, poſt quas videtur Claſſis Antonii præfecturam obtinuiſſe, & nummum cudiſſe quum jam Antonius ob Armeniam occupatam Imperatoris tertium, ſibi titulum arrogaſſet ut nos edocet ejus Epigraphe IMP. TER.

Ut Triumphum curru invectus Alexandriam Antonius de Armenia armis occupata egerat, in Cleopatræ gratiam, ſic Atratinus Reginæ adulans maris triumphum ob illam victoriam in nummis exhibere voluit, quaſi Cleopatra ad illud Regnum invadendum ſuis navibus ad exportandos homines, impedimenta, & commeatus, plurimùm contuliſſet: ideo Antonium & Cleopatram Stantes in curru quatuor equorum marinorum depinxit; ſive penes eos maris Imperium eſſe ob tot naves quas ſimul ſuppeditare poſſent, ut volunt alii.



EX THESAURO MEDICEO.

Capita Antonii & Cleopatræ adverſa cum literis. M. ANT. IMP. TER. pone caput Antonii Lituus. In averſa parte navis velo expanſo cum Epigraphe L. ATRATINUS AUGUR. COS. DES. TER. in area litera B.

Hic mediocris formæ nummus ex ære à L. Sempronio Atratino in Antonii & Cleopatræ honorem percuſſus eſt, poſt occupatam ab Antonio Armeniam, ex qua profectione Imperator III. appellatus eſt, ut illius capitis Epigraphe demonſtrat.

Sempronia gens multis cognominibus diſtincta omnis plebeia fuit, exceptis Atratinis qui fuere Patricii, ut refert Livius, ſatis antiqua videtur, ſi quidem memoratur A. Sempronius Atratinus Conſul cum M. Minutio Augurino anno v. c. 257. An verò Atratini cognomen ab iis qui Atrati vocabantur, qui pulla atra veſtiti Luctûs cauſâ. Lib. 4.

Litera B. in area nummi ſignata, ſecundum denotat Præfecturæ Claſſis Antonianæ annum, quam gerebat L. Atratinus, ut in ſuperioribus nummis has literas numerales deſignare demonſtravimus; unde quanta lux hiſtoriæ ex his ſuperſtitibus Romanæ antiquitatis monimentis quotidie affulgeat, norunt illi, vetuſtos qui nummos ſtudioſè colligunt.

Lituus ad Antonii Sacerdotium ſpectat, ideo AUGUR. in averſa parte nummi renunciatur, ut & Conſul deſignatus tertiùm ad annum v. c. 722. quem tamen Romæ non iniit, quum hoſtis P. Romani fuiſſet declaratus.

EX




EX THESAURO REGIO.

Capita jugata M. Antonii & Cleopatræ cum inſcriptione M. ANTON. AUG. COS. ITER. DES. TERT. III. VIR. R. P. C. In averſa parte navis prætoria cum velo expanſo & literis. L. BIBULUS M. F. PRO. SIC. L. Bibulus Marci filius *Legatus* pro Prætore Siciliæ.

Inſignis eſt nummus qui nobis dubium de Triquetra Siciliæ nota ſeu de Panormi urbis ſymbolo ſolvit in nummo Oppii Capitonis ſuprà deſcripti, quem ſuſpicabamur ideo Legatum pro Prætore fuiſſe M. Antonii in Sicilia, ſed voces PROP. SIC. hoc nobis arcanum aperiunt in L. Bibulo: unde nobis felix conjectura de Dionis verbis qui Antonium Siciliæ partem poſt Sext. Pompeii ex hac Inſula diſceſſum cum Cæſare obtinuiſſe, & huic L. Bibulum præfeciſſe nos edocet. Lib. 51.

Lucius Bibulus ſe Marci filium inſcribit, pater ejus Conſul fuit cum Julio Cæſare anno V. C. 695. ex gente erat Calpurnia.

Præfuit Syriæ per biennium V. C. 703. quo tempore amiſit duos filios qui in Ægypto à militibus occiſi ſunt ut in vita Cleopatræ retulimus, à Pompeianis Claſſi Præfectus eſt contra Cæſarem V. C. 706. à quo terra prohibitus, graviore morbo implicitus paulò poſt mortuus eſt. Lucius verò filius quum proſcriptus fuiſſet à Triumviris V. C. 711. ad Brutum profugit, & poſt pugnam Philippenſem adhæſit Antonio, qui eum rei maritimæ ſub patre probè inſtructum noverat, Siciliæ Legatum pro Prætore fecit, & Claſſi quæ in hac erat Provincia præfecit.



EX MUSÆO NOSTRO.

Prior nummus Capita exhibet Antonii & Cleopatræ ſociata cum Epigraphe M. ANT. IMP. TER. alter eadem capita adverſa cum literis M. ANT. AUG. IMP. uterque habet COS. DES. TER. III. VIR. R. P. C. in amborum averſa parte L. BIBULUS PRAEF. CLAS.

Nummus prior à L. Bibulo percuſſus eſt anno V. C. 720. quum Antonius Conſulatum ſuſcepiſſet K. Jan. cum Libone, unde COS. iterum inſcribitur in

nummo, & hoc anno ab Antonio Præfectus Claſſi nominatus eſt poſt M. Oppium Capitonem, qui appellat in nummis ſuis Antonium tantùm Conſulem deſignatum iterum, & ſic uterque videtur fuiſſe Legatus pro Prætore Siciliæ & Præfectus Claſſi quæ in Sicilia ſtationem habebat.

Hi verò duo nummi anno v. c. 721, vel 722. aut alter 721, alter verò 722. percuſſi videntur quum uterque præferant cos. DES. TER, nam quum Antonius geſſiſſet ſecundum Conſulatum an. v. c. 720. dictus ex fœdere cum Cæſare & Sext. Pompeio Conſul deſignatus tertium quem inire debebat anno v. c. 723. Lucius autem Bibulus quum copias Antonii tranſvexiſſet in Græciam contra Cæſarem, in mercedem ab eo accepit Provinciam Syriæ regendam in qua non multò poſt mortuus eſt, & ſic non interfuit pugnæ Actaicæ, & Antonius Syriam conceſſit Q. Didio, qui poſt prælium ad Actium commiſſum ei Cæſaris artes amplexus gladiatores è Cyzico ad Antonium per ſuam Provinciam tranſire prohibuit.

App. Bel. civ. 4.

F I N I S.

PRO

PRO
APPENDICIS
LOCO.

NOſtra de Lagidarum Imperio Hiſtoria, Ægypto in Provinciam Romanam redacta, planè videbatur abſoluta; ſed quum ea ſit ad nummorum fidem accommodata, ecce Cæſaris Auguſti eximiæ ſingularitatis nummus Alexandriæ percuſſus, qui Ptolemæorum inſigne Aquilam nempe fulmini inſiſtentem exhibet, quaſi non eſſet forma Regni mutata.

NUMMUS CÆSARIS.



Apud R. P. JOBERT S. J. PARISIIS.

Caput juvenile Laureatum ſine Literis, in poſtica parte Aquila fulmini inſiſtens cum Epigraphe ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟϹ ΚΑΙϹΑΡΟϹ, in area à dextris cornucopiæ, à ſiniſtris L. B.

Nullus eſt in re nummaria tam parùm verſatus, qui primo aſpectu hunc nummum non cenſeat Ægyptium: Ex forma enim & ſtemmate dignoſcitur, primò ex forma, Ægyptii omnes nummi circuitum non habent æqualem, ita ut pars extrema ſit amplior altera quæ declivis eſt, & ut Gallicè loquar deſinit *in latus*. Quis præterea Aquilam fulmini inſiſtentem pro perpetuo Ptolemæorum Ægypti Regum Symbolo non agnoſcat.

Cornelius Gallus eques Romanus, à Cæſare Præfectus eſt, Ægypto & mox Alexandrini ſuos Victori nummos dedicare voluerunt, & ut nihil in eo de Regum ſuorum ſplendore amiſiſſe teſtarentur, ipſam fulmini inſiſtentem Aquilam eorum inſigne perpetuum in Cæſaris nummo incidi curaverunt, ejus capite ſine literis Principum ſuorum exemplo in parte anteriori percuſſo.

Hîc dubium aliquod meum præterire non poſſum. Primo enim intuitu ex juvenili facie in qua vix laurea vel diadema diſcernebatur; ex Ægyptiaca nummi forma; ex Aquila fulmini impoſita, ad Ptolemæos ſola ſpectante; ex voce tandem ΚΑΙϹΑΡΟϹ, quæ legebatur unicè, altera limo & materia tartarea omnino obducta, Cæſarionis nummum eſſe ſuſpicabar, illud augebat ſimilis à Goltio cum ΚΑΙϹΑΡΟϹ & reliquis literis etiam mutilis, ipſius miſeri adoleſcentis nummus, quum cælo acuto, & patientia pro ΒΑϹΙΛΕΩΣ, nam In Jul. Cæſ.

Ægy-

In vit Ant. Ægypti Rex apud Plutarchum cum matre Cleopatra declaratus fuerat) ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ Epigraphen detexi.

Illud Imperatoris nomen Cæſar, ſecundo poſt Ægyptum captam anno, in quinto ejus ſcilicet Conſulatu, non quale propter victoriam tribui more vetuſto ſolebat, accepit, ſed quo ſumma Imperii demonſtraretur, quod inquit Lib. 73. Dio, patri quoque ejus Julio, filiis, nepotibus fuerat decretum; id etiam confirmat annus ſecundus in area nummi appoſitus, his notis L. B. *anno ſecundo.*

De die nat. August. c. 2. Sed quantùm hæ numerales literæ Cenſorinum illuſtrant, qui Ægyptios ab eo tempore, quo in poteſtatem P. Romani venerunt, annos *Cæſarum Auguſtorum* dinumeraviſſe narrat. Cœpit igitur Epocha illorum die prima Syntax. l. 3. c. 8. menſis Thot, quæ à Ptolemæo Geographo deinde uſurpata eſt, & in hoc De leg. ad Caium. nummo annus ſecundus illius Æræ, & Cæſaris Imperii ab Ægypto capta deinde dinumeratus, ut etiam Philo ipſe oſtendit.

ÆGYPTUS NUMISMATICA
EX IMPERATORIBUS ROMANIS
DESUMPTA
ORDINE ALPHABETICO.

Alexandria.



ΑΥΤΟΚ. ΜΑΡΚ. ΟΘΩΝΟΣ ΣΕΒ. Caput Othonis Imp. laurea ornatum, in area nummi L. A. anno primo. In averſa Mulier proboſcide Elephanti ornata d. tenens coronam cum Epigraphe ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑ.

Inter octodecim Alexandriæ nominis urbes Alexandria Ægyptia inter celeberrimas præſertim nominatur ab Alexandro Magno Olymp. CXII. anno 2. condita, Ariſtophane Magiſtratu Athenis, C. Valerio Potito Flacco, M. Scalig. in Euseb. anim. Claudio Marcello Coſſ. v. c. 423. Regia fuit Ægypti Regni à Ptolemæo Lagi F. Sedes & Metropolis conſtituta. Ab Antonio Triumviro ΡΩΜΗ appellata, tandem ab Auguſto ſub poteſtatem Pop. Romani redacta menſe ſextili anno v. c. 724.

Mulier illa ſtans Provinciam deſignat more patrio veſtitam, capite proboſcide Elephanti ornatum eſt tamquam Africæ caput, coronam dextratenet, Othoni Imperatori porrigendam, Alexander enim qui Legionibus Ægypti præerat cum Muciano Syriæ Præſide ad ejus partes acceſſit de quibus Tacitus. Hist. l. 2. *Judaïcum exercitum Veſpaſianus, Syriæ Legiones Mucianus Sacramento Othonis adegere. Simul Ægyptus, omnéſque verſæ in Orientem Provinciæ nomine ejus tenebantur. Unde Othonis nummi in Ægypto ſignati.*

Apol-

Apollonopolis.



ATT. KAI. TI. AIΛ. ΑΔΡΙΑΝΟC. Imperator Cæſar Titus Ælius Hadrianus. Caput Hadriani Laureatum.

ΑΠΟΛΛωνοπολιτῶν L. IA. anno undecimo Apollonopolitarum. Apollo habitu ſuccincto ſtans ſeu gradiens, d. ſagittam è pharetra dorſo appenſam depromit, ſ. extenſa arcum.

Apollinis urbs in Ægypto gemina apud Stephanum, prior vocabatur par- De Urbib.
va, altera verò magna. Illa memoratur à Ptolemæo in Coptite Nomo ſita, Lib. 4. c. 5.
hæc verò in Hermonthite Nomo, Crocodilis nempe inimica apud Strabonem, Lib. c. 7.
licet hæc bellua pro Deo in aliis hujus Provinciæ urbibus pro Deo coleretur.
Porrò Plutarchus ait in illa ſtatutum eſſe ut quiſque omnino de Crocodilo Lib. de Iſid. & Oſir.
edat certa quadam die. In quanam earum urbe cuſus ſit nummus, licèt incertum, tamen in magna illum ſignatum ſuſpicamur, in qua Apollo, ùnde nomen civitati inditum, colebatur, uti hujus Hadriani nummus indicat.

Apollo Jovis filius & Latonæ perhibetur uno partu cum Diana ſorore editus. Ipſi Arcus pro armis datur, quo adultus Pythonem ſerpentem ſagittis occidit, Apollo autem dictus eſt ἀπὸ τοῦ ἀπόλλυσθαι quòd jaculis perderet. Ut venator hic depictus eſt & juvenis, quia ei perpetua juventus tamquam Phœbo adſcribitur. Ægyptiaca lingua Appollo vocatur *Horus*, à quo Horæ nomen acceperunt, ut ait Macrobius. Ceterùm de Apollinis Mythologia vide Natalem Comitem.

Urbes plurimæ Ægypti nummos ſuos Hadriano Imperatori dedicarunt Lib. 4. c. 10.
quòd de Provincia benè meritus ſit; unde dicitur RESTITUTOR AFRICAE.

Arsinor.



Eadem Hadriani circa caput Epigraphe, in averſa verò parte APCINOITῶν. L. IA. *Arſinoitarum anno undecimo.* Caput Arſinoes Reginæ velatum

Arſinoe urbs multiplex, ſed quum nobis hic de Ægypti oppidis ſermo ſit,
una ad Delta ſita eſt, quæ poſtea Cleopatris appellata eſt, altera Ptolemæo Lib. 4. c. 5.
Arſinoe mediterranea dicta, etiam Crocodilorum civitas quòd ibi maximè Plin. l. 5. c. 9.
colerentur; utraque de nomine ſuo Nomon habuit, in ultima verò nummum ſignatum arbitramur ob Arſinoes effigiem, quam adhuc Hadriani ævo præfert, quum prior urbs Cleopatridos nomen ab aliqua hujus apellationis Regina deinde ſumpſerit. Plurimæ fuerunt hujus nominis civitates in Cypro,

Lybia, Cyrene & Arabia conditæ à Ptolemæo Philadelpho in gratiam ſororis & uxoris Arſinoes, de quibus conſule Geographos.

Duplex fuit Arſinoe Ptolemæi Philadelphi uxor, prior quidem Lyſimachi Thraciæ Regis filia ex qua ducit Ptolomæum Evergetem, Lyſimachum, & Berenicen Antiocho Deo Syriæ Regi nuptam, quam deinde ſuſpectam relegavit Copton, ubi mortua eſt.

Altera fuit Arſinoe ejus ſoror, priùs Lyſimacho regi nupta, deinde fratri Ptolemæo Cerauno, ut ipſius filios ſub hoc prætextu interimeret, qui eam poſteà in Samothraciam relegavit, unde poſt ejus mortem in prælio contra Gallos commiſſo ad Ptolemæum fratrem confugit, ex quo nullam ſuſcepit prolem, ſed prioris Arſinoes liberos adoptavit.

Busiris.



Nummus Hadriani cum eadem circa caput Epigraphe in averſa parte ΒΟΥCΙ-ριτῶν L. ΙΑ. *Buſiritarum anno undecimo.* Oſiris ſtans cum loti fructu in capite & pallio prælongo, d. Cervum ſuſtinet, ſ. haſtam gerit.

De Urb. Buſiris ex Stephano, urbs Ægypti, fuit ſtructa in medio Provinciæ, in Delta, ita cognominata quòd Iſis illic Buſirim ſepeliverit. Alii verò, quòd Buſiris ab Oſiride, *Toparcha*, id eſt, *loci gubernator* fuit conſtitutus. Ab hac urbe Buſirites nomos, id eſt, Præfectura dicta, de qua Strabo. Alii volunt Buſiridem crudeliſſimum Ægyptiorum Tyrannum, qui hoſpites omnes Jovi immolabat, ſed Eratoſthenes apud Strabonem fabulam eſſe contendit. Urbs illa celebris fuit morte Demetrii Phalerei, Theophraſti diſcipuli, qui ibi à Ptolemæo Philadelpho obiit.

Oſiris haud dubiè in urbe Buſiri colebatur, quum eum in Hadriani nummo exhibuerint, illum verò unum eumdémque cum ſole exiſtimatum ſciunt omnes Ægyptiæ Mythologiæ periti, de eo vide Seldenum. Oſiris autem ut plurimùm loti flore inſignitur, ut eum videre eſt apud Seguinum noſtrum. Dextra cervum geſtat, tamquam ſymbolum Solis & rapidiſſimi curſus ipſius, ſiniſtra haſtam divinitatis, multi enim pro Jove exiſtimabant: Cultus ejus etiam Romæ fuit. Plures ei ædes & templa extructa fuere ſub nomine Serapidis qui idem credebatur, ut teſtatur Gyllius Giraldus.

Lib. de Diis Syr. Sel. num. Pag. 31. P. Victor. De Diis Gent.

Diospolis magna.



Caput Hadriani cum eadem inſcriptione, in cujus averſa parte ΔΙΟΠΟΛΙτῶν ΜΕγάλων L. ΙΑ. *Dioſpolitarum magnorum anno undecimo.* Imperator Eques pacificatoris habitu dextram elevans, ſin. equi habenas regit.

Steph. de Urbib. Dioſpolis, Jovis urbs, magna civitas Ægyptiæ Thebaïdis quæ *Hecatompylos*,

pylos, dicebatur, opus Oſiridis & Iſidis, antequam à Perſis deſtrueretur, porrò de conditoribus non conveniunt Scriptores, de qua Diodorus ſic. Nonnulli Thebas eſſe exiſtimant, quas ab Oſiride non conditas putant, ſed Lib. 1. multis pòſt annis à quodam Rege, ex Diodoro elucet Thebas priùs dictas deinde Dioſpolim, quod confirmare videtur Strabo *poſt Apollinis urbem*, Lib. 17. *Thebæ, vocatur verò nunc Dioſpolis.* Quum verò fuerint & aliæ quatuor hujus nominis parvæ in Ægypto urbes, prior in nummis ſe magnam inſcribit.

Dioſpolitæ de adventu Hadriani Imperatores in urbem ſuam gloriantur, quippe ejus memoriam in nummis æternam ſignarunt, ſic enim adventus Auguſti alicujus, in nummis Romanis, depingitur Imperator nempe Eques dextram elevans verſus urbem, in quam graditur, ſemper ad ſiniſtram percuſſus, quum è contrà ſemper ad dextram ſignatur in profectionibus dextra haſtam gerens.

De Hadriani in Ægyptum profectione plurimi Romæ ſignati ſunt nummi, inquibus ALEXANDRI inſcribitur, in aliis ADVENTUI AUG. ALEXANDRIÆ, in aliis denique RESTITUTORI AFRICÆ.

HERMOPOLIS.



Nummus idem Hadriani cum eadem inſcriptione in cujus averſa parte ΕΡΜΟΠΟΛΙΤΩΝ L. ΙΑ. *Hermopolitarum anno undecimo.* Circa caput Barbatum loto inſigne ante, quod Ibis avis.

Hermopolis quæ Mercurii civitatem ſonat, urbs eſt Ægypti apud Stephanum, à qua nomos ſeu Præfectura nomen habet Hermopolites apud Ptolemæum, aliàs ejuſdem Provinciæ, ejuſdem etiam nominis appellat, ſed quarum altum eſt apud Autores ſilentium. Priorem inter clariores civitates memorat Ammianus. *Igitur inter urbes alias Hermopolim habet & Coptum & Antinoon*, quæ ita ſervata eſt uſque ad Ammiani tempora. Ob feracitatem Soli, ex quo etiam Tunetum adhuc exportatur. De Urb. Lib. 4. c. 5. Lib. 22. cap. 40.

In quibuſdam Hermopoleos urbis nummis Mercurium ſtantem obſervavimus, ut ibi cultum à quo denominatur civitas; ſed in hoc qui Hadrianum Imperatorem exhibet Oſiridis eſt caput loti flore inſigne. Oſiris autem præcipuus erat totius Ægypti Deus, qui ſe Saturni filium antiquiorem prædicabat, contra quem Gigantes etiam inſurrexiſſe, ut in Jovem planè oſtendit Lib. 1. Diodorus: unde quum ipſos deviciſſet Ægyptios ut Rex, lege ſanxit, præter communem ceterorum omnium morem, fas eſſe ſororem à fratre uxorem duci, exemplo ſuo qui Iſidi ſorori nupſerat, hinc Ptolemæi Reges, ſorores ſuas duxerunt uxores.

Ibis apponitur in nummo ut peculiaris Ægypto, quæ etiam ut plurima animalia colebatur, quia quum ſerpentibus veſcitur, hominibus ſalutem conſervat.

THIS.



Nummus Hadriani caput cum eadem inſcriptione præfert in averſa ΘΙΝΙτῶν L. IA. *Thinitarum anno undecimo*. Oſiris ſtans corona radiata ornatum cum pallio oblongo, ſ. icunculam quam Deam ſpem exiſtimamus.

De Urbib. This, urbs Ægyptia eſt, prope Abydum, cujus civis Thinites, apud Stephanum, ex Alexandro Ægyptiacorum primo; Stephani verò Commentator Thomas de Pinedo, Thim Ægypti urbem ab autore ſuo celebrari refert, ſed de qua altum apud alios ſilentium eſſe narrat, porrò nummus iſte Hadriani quem manibus tractavi huic Geographo ſuffragatur, unde quotidie ex ipſis antiquis monimentis hiſtoriæ & Geographiæ lux affulget.

Oſiris in hac etiam urbe colebatur ut Supremus Ægypti Deus, ſed in eo corona radiata inſignitur, quia ejus nomine Sol intelligebatur apud Ægyptios, De Iſid. & Oſirid. at cur in tam multis oppidis colatur Oſiris, quòd crederent ut refert Plutarchus corpus ejus multis in partibus terræ ſepultum eſſe, addens Ægyptiorum fortunis ac potentia præcipui, ſtudioſè hoc ambientes, ut eodem cum Oſiride potiantur ſepulcro.

Spes Dea brachio geſtatur ab Oſiride, quòd illa Dea peculiariter ab Hadriano coleretur ut notat Giraldus, & demonſtrant ejus Imperatoris nummi, cujus ædes Romæ erant in foro Olitorio. (De Diis gent. P. Liv. Dec. 3. l. 1.)

CABASA.



Simile Hadriani caput & eadem circa illud inſcriptio in parte averſa ΚΑΒΑCΙτῶν. L. IA. *Cabaſitarum anno undecimo*. Oſiris ut ſuprà cum Loto ſupra caput, d. cervum, ſ. haſtam puram.

Lib. 4. c. 5. Cabaſa apud Ptolemæum urbs eſt Ægypti & Metropolis Præfecturæ Cabaſitis, inter nomos autem ejus Provinciæ etiam recenſetur à Plinio Cabaſites. (Lib. 5. c. 9.)

Oſiris erat, ut diximus, Iſidis frater, illum Solem, & hanc Lunam exiſtimantes Ægyptii, ideo decima ſeptima menſis die interiiſſe fabulabantur illi qua die maximè plenilunium fit evidens, Cervum gerit tamquam Solis curſus rapidiſſimi Symbolum, ſiniſtra haſtam divinitatis. (Plut. de Iſid. & Oſir.)

CANOPUS.



Idem Hadriani caput, eadémque Epigraphe in averſa parte ΚΑΝωβιτῶν L. IA. *Canobitarum anno undecimo*. Caput velatum & Loti flore ornatum Hydriæ ſuperpoſitum.

Canopus ſeu Canobus urbs eſt Ægypti diſtans 120. ſtadiis ab Alexandria terreſtri itinere, cognonimis Canopi, qui Menelai Gubernator fuit & ibi obiit, Strab. l. 17. inſignita. Ex ea urbe ortum ferunt Claudianum Poëtam. Devicta autem Troja Menelaus cum Helena vi ventorum in Ægyptum delatus, Guberna- Solin. c. 34. torem Canopum Amyclæum ictu ſerpentis, quem Hæmorrhoïda vocant, amiſit, in ejúſque memoriam condidit de nomine urbem, relictis ibi iis, qui ad navigandum erant inutiles.

Deus ille in averſa parte Hydriæ impoſitus, Deus eſt Canopus de quo narrat Rufinus. Ferunt aliquando Chaldæos ignem, Deum ſuum circumferentes, cum omnium Provinciarum Diis habuiſſe conflictum, quo ſcilicet qui viciſſet, hic eſſe Deus ab omnibus crederetur. Reliquarum Provinciarum Dii æris, aut auri, argentíque, aut ligni vel lapidis, vel ex quacumque materia conſtabant, quæ per ignem corrumperetur. * Ex quo fiebat ut ignis locis omnibus obtineret.

Hæc quum audiviſſet Canopi Sacerdos, callidum quiddam excogitavit. Hydriæ fieri ſolent in Ægypto fictiles: undique crebris & minutis admodum foraminibus patulæ, quibus aqua turbida deſudans, defæcatior, ac purior redditur. Harum ille unam cera foraminibus obturatis, deſuper etiam variis coloribus pictam, aqua repletam ſtatuit in Deum, & exciſum veteris ſimulacri, quod Menelai gubernatoris ferebatur, caput deſuper poſitum, diligenter aptavit. Adſunt poſt hæc Chaldæi, itur in conflictum circa Hydriam, ignis accenditur: cera qua foramina fuerant obturata, reſolvitur; ſudante Hydria, ignis extuiguitur, & Sacerdotis fraude Canopus Ægyptiorum victor oſtenditur.

COPTUS.



AYT. KAI. TPAIAN. CEB. ΓΕΡΜ. ΔΑΚΙΚ. Circa caput Traiani Laureati in averſa parte ΚΟΠΤΗΤῶν L. IΓ. *Coptitorum anno decimo tertio*. Oſiris cum flore loti ſupra caput, d. haſtam, ſ. cervum geſtat.

Plut. lib 5. Schol. vet. Coptus urbs eſt Thebaïdis in Ægypto, unde nomos Coptites, vergens ad mare rubrum, in qua Io verſa in Iſidem colitur, nam hæc Regina iſtic nuntium accepit de morte Oſiridis mariti ſui, hine urbi Κόπτος nomen eſſe inditum dixerunt Græci, quia ibi capillos ſcidit præ dolore, quod vox Κόπτειν ſignificat ſcindere quod firmare videtur Plutarchus addens, Coptum, lingua Ægyptiaca *privationem* notare.

Lib. de Iſi. & Oſir.

Nil mirum igitur ſi in hac urbe ubi ſummoperè colebatur Iſis, cives etiam Oſirim ejus maritum & Regem venerati ſint; Populi autem quando ſuos alicui Imperatori nummos dedicabant Deos ſignare ut Deas in Auguſtarum nummis apponere ſolebant.

Lotus apponi ſuper caput Oſiridis videtur, quod ille agreſtes Ægyptios ad civilem ſtatum reduxerit, eóſque rerum ad vitam colendarum rationem docuerit, nam Lotus eſt herba quæ recedentibus aquis Nili, provenit ſimilis fabæ, in cujus capite fructus eſt papaveri ſimilis, intus grana, ceu millium, ex quo incolas panem facere docuit Oſiris, quem Lotometram appellant.

Plut. l. 22. cap. 21.

CYNOPOLIS.



ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΤΙ. ΑΙΛ. ΑΔΡΙΑΝΟϹ. Circa caput Hadriani Principis in cujus averſa parte Deus Anubis cum capite canino, d. ſiſtrum ſ. caduceum, cum Epigraphe ΚΥΝΟΠΟλιτῶν. L. ΙΑ. *Cynopolitarum anno undecimo.*

Lib. 17. Cynopolis ſeu Canum urbs eſt Ægyptia quæ memoratur Straboni qui eam Præfecturam appellat Ἑξῆς δ᾽ ἐϛὶν ὁ Κυνοπολίτης νομὸς καὶ Κυνῶν πόλις. *Sequitur Cynopolitana Præfectura & canum urbs.* ὧ ἡ ὁ Ἄνυβις τιμᾶται, *in qua Anubis colitur*, & honor & ſacer quidem cibus canibus eſt conſtitutus, unde forſan Canum urbs appellata.

Anubis cum capite canino depingitur, de quo inquit Plutarchus, ſunt qui puerum, ex quo Iſis Oſiridis necem comperit, ſub Anubis nomine coli putent, quem natum Nephthe tradunt, & ipſam quidem Nephthen timore Typhonis perculſam, ejeciſſe, quem magno labore canibus indagantibus repertum enutriviſſe, eúmque cuſtodem deinceps comitémque habuiſſe, Anubim appellatum, & creditum Deos cuſtodire, ut canes hominibus cuſtodes eſſe aſſolent.

Anubis quoque ab Ægyptiis Mercurius vocatus eſt, de quo Servius. Quia canino capite fingitur, hunc volunt eſſe Mercurium: ideo quia nihil eſt cane ſagacius, caduceum igitur Mercurii Symbolum gerit, d. ſiſtrum, quod erat crepitaculum æneum quo ſacerdotes in Iſidis Sacris utebantur, unde Ovid.

Amor. l. 2. *Per tua ſiſtra precor, per Anubidis ora verendi.*

LEON-

Leontopolis.



ΑΥΤ. Κ. Τ. ΑΙΛ. ΑΔΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ ϹΕΒΑϹΤΟϹ. Circa caput Antonini pii in cujus averſa parte ΛΕΟΝΤΟΠΟΛΕΙΤΩΝ L. ΙΗ. *Leontopolitarum anno decimo octavo.* Figura virilis ſeminuda ſtans cum pallio, d. haſtam, ſ. Leonem ſuſtinet.

Leontopolis ceu Λεόντ@ πόλις, Leonum civitas, Ægypti urbs eſt Metropolis Leontopolitis Præfecturæ inter Buſirim & Panephyſim, illius Ptolemæus & Plinius meminerunt. Lib. 4. c. 5. Lib. 5. c. 9. Ut Ægyptii univerſi de animalibus terreſtribus tria præſertim colebant, nempe bovem, canem, & felem, porrò ſunt & quæ ſeorſim venerantur, inter quos narrat Strabo Leontopolitanos, Leonem. Lib. 17. pag. 812. Quapropter in oppido Leontopoli Leones ſtudioſè ali autor eſt Ælianus Lib. 12. c. 7. Hiſt. animalium, quod confirmare videtur Plutarchus qui ad alenda quæ venerarentur animalia, ſumptum ſuppeditare conſtitutum Ægyptios refert: Lib. de Iſid. & Oſir. Leonem autem colunt, rictibúſque Leoninis januas templorum ornant, quia Nilus exundat.

Titanis primùm curru tangente Leonem.

Sed quis ille eſt qui læva gerit Leonem à Leontopolitanis in nummo ſignatus? Etiam ſi nullum Dei præferat attributum, tamen Deus eſſe videtur, maximè id arguit corpus ſeminudum pallio divinitatis tectum, & ſi mihi conjecturæ locus eſt, Vulcanus, cui Leones conſecraſſe Ægyptios narrat Ælianus, in libro de animalibus, ubi Leonibus in Ægypto religioſum cultum non modò tribui ſed etiam urbem Leontopolim nomen traxiſſe refert. Lib. 12. c. 7. Si malleum Vulcano non dederint ut Græci. Haſtam divinitatis ipſi tribuerunt, nec iiſdem attributis ſua Ægyptii & Græci numina ornabant.

Lykopolis.



Caput Hadriani Laureatum cum Epigraphe ΑΥΤ. ΚΑΙ. Τ. ΑΙΛ. ΑΔΡΙΑΝΟϹ. in averſa parte Serapis ſtans cum modio in capite, d. cervum, ſ. haſtam & literis ΛΥΚΟπολιτῶν. L. ΙΑ. anno undecimo.

Lycopolis, ſeu Luporum civitas, Ægypti urbs eſt & Metropolis Præfecturæ Lycopolitis Ptolemæo, hæc à Lupis cognominata, eo quod Æthiopes Lib. 4. c. 5. agros Ægyptios incurſantes, Lupi facta acie, uſque ad civitatem Elephantinam repulerint. Ibidem urbem conſtruentes Ægyptii à beſtiis illis Lycopolim

Lib. 17. lim vocarunt. Ideò Strabo narrat Lycopolitanos venerari Lupum, quod confirmat Plutarchus his verbis. Sanè ſoli omnium Ægyptiorum Lycopolitæ ovem edunt: quia idem Lycos, id eſt Lupus, facit, quem pro Deo habent; piſcem autem Oxyrinchum edunt, quum Oxyrinchitæ eum venerentur.

Lycopolitanos etſi Lupum pro Deo habere dixerimus, nihil tamen in hoc nummo de illo ſignavere, ſed Oſiridem ſub figura Serapidis exhibent, nam ipſi inter ſe diſtinguuntur, quòd Oſiris ſemper præfert Lotum ſupra caput, & Serapis modium: porrò apud Plutarchum idem eſt Oſiris & Serapis. Præſtat autem, inquit, cum Oſiride Serapim facere; at ut pro Sole Oſiris accipiatur, Serapis nomen ejus eſt qui Univerſum ordinat atque ornat, quod voce Σαίρειν, quidam exprimunt: ideo Serapis dextra cervum Solis ſymbolum, ut diximus, gerit.

Marea.



ΑΥΤ. ΚΑΙ. Τ. ΑΙΛ. ΑΔ: ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ ϹΕΒ. Circa caput Laureatum Antonini Pii in averſa parte, Serapis ſtans cum modo in capite, d. Leonem, ſ. haſtam & literis ΜΑΡΕΩΤΩΝ. L. ΙΗ. *Mareotarum anno decimo octavo.*

Lib. 3. Marea, urbs eſt & lacus, Alexandriæ Ægypti adjacens. Urbis meminit Thucydides, *Inarus*, inquit, *Pſammetichi Libys*, *Rex Libyum Ægypto finitimorum*, *profectus ex urbe Marea*, *quæ ſupra Pharum eſt*, *majorem Ægypti partem ad defectionem à Rege Artaxerxe impulit.* Ptolemæus Mareotim tantùm Præfecturam nominat; De Palude verò Mareotide Strabo, ait, *Alexandriam duo Maria undique alluunt*, *alterum à Septentrione Ægyptium*, *alterum à Meridie quod Marcotis dicitur*, ... *adeo ut portus qui ad Paludem eſt*, *ditior ſit Marino.*

Lib. 4. c. 5. Lib. 17.

De Iſid. & Oſirid. En iterum Serapis ſub Oſidiris figura quem eumdem eſſe refert Plutarchus, & ferè in omnibus Ægypti urbibus cultum; quòd illæ ferè cunctæ ſe ipſius Dei vel Regis corporis partem apud ſe ſepultam exiſtiment; quando Iſis ejus aliquod fruſtum ut reperibat, ibi humabat. Serapis ſupra caput modium ut frumenti ferendi autor, & Leonem ſupra dextram gerit ut Solis Symbolum & ipſi ſacrum teſte Æliano. *Idcirco* ait *Soli Leonem conſecrari exiſtimo*, *quòd ſol laborioſiſſimus ad nullum temporis punctum verſari intermittens circum orbem terræ*, *ab inſtituto curſu numquam quieſcit.*

MEMPHIS.



Eadem circa caput Antonini inſcriptio, in averſa parte Oſiris Loto in capite ornatus, d. haſtam, ſ. ſiſtrum, ut videtur, pro pedibus bos Apis cum Epigraphe MEMΦEITHC, & in area L. IH. *anno decimo octavo.*

Memphis olim Ægypti Metropolis, de cujus conditoribus non convenit inter autores; fatum eſt hoc antiquiſſimis urbibus commune. Herodotus eam Lib. 2. c. 99. à Mene Ægypti primo Rege conditam tradit. Alii Thebas primum fuiſſe oppidum ferunt quæ quum decreſcerent, contra Memphim accreſcere cœpiſſe uſque ad Ptolemæos qui Alexandriam fecere Regiam ob Alexandrum conditorem; manſit tamen urbs in qua Regum anacleteria ob illius Antiquitatem celebrari ſolent. Urbs eſt ad verticem Deltæ ſita, ex cujus adverſo hodie ædificata Cairus eſt. Olim Nomos Memphites, quæ nummum Antonino dicaſſe videtur, ut indicat vox MEMΦEITHΣ.

Oſiris juſto nomine à Memphitis in nummis exhibetur ſi quidem urbis conditor recenſetur, & Plutarchus illius ſepulcrum verè in ſolis Memphi & De Iſid. & Oſir id. Abydo oppidis extare referat: Apis autem bos Memphi nutritur, ut pote animæ ejus ſimulacrum, nam Bacchum ex India boves duos adduxiſſe narrant, quorum Apis alter, alter Oſiris dictus: unde plerique Sacerdotum Ægyptiorum in idem aiunt reſidere Oſirin & Apin, enarrántque & docent nos, Apin eſſe intelligendum formoſam animæ Oſiridis imaginem.

Alii Memphis urbis reperiuntur nummi ut & aliarum civitatum, ſed unum ex iis proferre curavimus.

MENDES.



ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΤΙ. ΑΙΛ. ΑΔΡΙΑΝΟϹ. Circa caput Laureatum Hadriani in averſa parte. ΜΕΝΔΕσιτῶν. L. IA. *Mendeſitarum anno undecimo.* Hircus.

Mendes urbs Ægypti, juxta Lycopolim, ubi Pana & Hircum colunt qui Strab. l. 17. Ægyptiorum lingua *Mendes* vocatur. A nomine urbis Præfectura eſt Men- Herod. Lib. 2. c. 46. deſia, & oſtium Nili dicitur Mendeſium.

Mendeſii in nummo Hircum ut Deum ſuum exhibent: de quo ſic ait Herodotus. *Vocatur verò Hircus & Pan Ægyptiacè, Mendes. Contigit autem in hoc Nomo mea ætate, hoc portentum; cum mulieribus Hircus* propa-

lam

lam miſcebatur; ſed licèt excellentiſſima forma illius libidini ſubſternerentur, unde ortos ex tali concubitu maximos viros Hiſtoriæ ſcriptores tradunt; Plutarchus inquit, *Mendeſius in Ægypto Caper incluſus cum multis ac formoſis mulieribus coitu abhorret, & Capras deſiderat.* Ex ſupra citato Herodoti loco, Pan & Hircus, idem eſſe videtur, porrò Mendeſii Capras & Hircos non mactabant, unde Juvenalis.

In Gryllo.
Ut ſup.
Satyr. 15.

—— *Nefas illic fœtum jugulare Capellæ*
Carnibus humanis veſci licet.

M e n e l a u s.



M. ΑΥΡΗΛΙΟC ΚΑΙCΑΡ. Circa Caput M. Aurelii nudum, in averſa parte ΜΕΝΕΛΑΙΤΩΝ, *Menelaitarum.* Mulier ſeminuda umbilicum uſque cincta ſtrophio, infima parte in Crocodilum deſinens, dextram ori admovet, ſiniſtra duplex cornucopiæ. Caput verò Loti flore ornatur.

Lib. 17. Menelaus Ægypti urbs prope Delta de qua Strabo πλησίον δ' ἐ καὶ ἐν ἑαυτῷ πόλις Μενέλαος. *Non procul hinc eſt urbs nomine Menelaus*, non longè à Naucrati diſtat, eam à Menelao Helenæ marito conditam exiſtimamus, quum in Ægyptum tempeſtatis vi delatus eſt, & quem ſuprà, Canopum urbem in Gubernatoris Canopi ibi defuncti memoriam extruxiſſe diximus. Etiam Præfecturam ex ea urbe Menelaitem fuiſſe nominatam ſcribit Ptolemæus Geographus.

Lib. 4. c. 5.

Quæ ſit illa in nummo ſignata figura, ſi faciem & ſeminudum corpus cum Loti inſigne in capite obſervemus, illam eſſe Iſidem ſuſpicabimur, ſi quidem Iſis cum ſimili capillitio & capitis ornamento depingitur; ſed cur infima pars in Crocodilum deſinit: an Menelai Iſis ipſa coleretur & Crocodilus etiam? ut Ombitæ, Coptitæ & Arſinoitæ illum tamquam Deum venerabantur. Si figura virilis eſſet Typhonem quis poſſet, quum ille ejus formam induerit. Crocodilus certè cultus ſui probabili cauſa minimè deſtituitur, nam fertur teſte Plutarcho, extitiſſe exemplum Dei, ſolus animalium elinguis, nimirùm quia voce, numen nihil indiget, ſed iter juſtitiæ, citra ullum conficiens ſonitum, res humanas juſtè temperat.

Ælian. l. 10. cap. 21.

Me-

Metelis.



ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΤΙ. ΑΙΛ. ΑΔΡΙΑΝΟϹ. Circa caput Laureatum Hadriani; in averſa parte ΜΕΤΗΛΙτῶν. L. ΙΑ. *Metelitarum anno undecimo.* Accipiter cum Loti flore ſupra caput, inſiſtit ſcipioni.

Metelis, urbs Ægyptia Stephano prope Alexandriam, quæ ejus ætate, *Bechis*, dicebatur; hodie Roſecto Italis, juxta Heracleoticum oſtium Nili, non obſcura, ab Alexandria 60. millia paſſuum diſtans, Peluſium verſus. De illa urbe ſic ait Mela. *Deinde ſemel, iterùmque diviſus Nilus ad Delta & Metelim it per omnem Ægyptum vagus, atque diſperſus.* Metropolis fuit apud Ptolemæum Præfecturæ Metelitis. Lib. 1 c. 9. Lib. 4. c. 5.

Oſirim ſemper Loti flore inſignem in nummis ab Ægyptiis exhiberi ut ſolenne ejus ſymbolum diximus, quem in hoc ſub Accipitris imagine ſignatum videmus, uti nos docet Plutarchus. *Accipitre etiam picto Oſirin ſæpè proponunt.* Avis enim ea pollet acumine viſus & volatus celeritate, eáque eſt natura, ut celerrimè alimentum digerat. De Iſid. & Oſirid.

Accipitres etiam ut à Tentyritis ſanctiſſimè coli narrat Ælianus, ſic à Metelitis nos docet nummus. Illi autem accipitrum genus adorant, propter comparationem quam cum igne iis eſſe affirmant: at quum Oſiris pro Sole accipitur, ideo illi atque ignis aut Sol veloces ſunt ac violenti. Quidam Ægyptios Animalia & volucres venerari ferunt, quòd Typhonis metu in iſta tranſiiſſe latendi cauſa & corporis Ibium, canum, accipitrum ſe occuluiſſe exiſtiment. Lib. 10. cap. 24.

Oxyrynchus.



Eadem circa Hadriani caput inſcriptio. In averſa parte ΟΞΥΡυγχιτῶν L. ΙΑ. *Oxyrynchitarum anno undecimo*, Pallas ſeu Minerva galeata ſtans, d. victoriam, ſ. haſtam.

Oxyrynchus Ægypti urbs ad Nilum ab Oxyryncho piſce ubi colitur nomen habens, qui ex acumine roſtri ſic appellatur, de urbe ſic ait Strabo. *In ulteriore regione eſt Oxyrynchus civitas & Præfectura ejuſdem nominis, colunt verò Oxyrynchum*, piſcem, *& eſt ipſis templum Oxyrynchi.* Eum accolæ dicunt ex Oſiridis vulneribus eſſe prognatum. Oſirin autem ſentiunt Ælian l. 10. cap. 46.

Lib.4.c.5. eundem cum Nilo eſſe. Ptolemæus urbem Metropolim facit Præfecturæ Oxyrynchitis.

Quinque fuerunt apud Mythologos Minervæ. Prima Apollinis mater,
Lib. 17. ſecunda orta Nilo, quam Ægyptii Saïtæ colunt ut nos docet Strabo, & quam etiam Oxyrynchitæ venerantur, ut nummus teſtatur. Minerva ut erat ex Nilo orta, & Nilus idem qui Oſiris, inde videtur illa tanquam Oſiridis filia exiſtimari; ſed potiùs eadem cum Iſide eſt ut narrat Plutarchus. *Sai eſt Minervæ, quam eandem cum Iſide arbitrantur, Fanum.*

PANOPOLIS.



Caput Hadriani Principis cum eadem Epigraphe, in averſa cujus parte ΠΑΝΟ-Πολιτῶν L. IA. Panopolitarum anno undecimo. Pan cum cornibus in capite, parte ſuperna homo, infima Hircus, d. Lotum, ſ. pedum.

Panopolis, urbs fuit Ægypti, in Thebaïde, ad orientalem Nili ripam, inter urbem Apollinis ad Boream, & Coptum ad Auſtrum: à qua urbe, Præ-
Lib. 5. c 9. fectura Panopolites dicitur apud Plinium, & illa Præfectura vocatur Metro-
Lib. 4. c. 5. polis apud Ptolemæum: nullam ob aliam rem memoranda, niſi quòd protulerit *Nonnum* Poëtam inſignem, cujus extant Græca lingua Dionyſiacorum libri 48. & Paraphraſis in Evangelium D. Joannis Græcè etiam verſu Hexametro.

De Urbib. Panopolis id eſt Panis urbs in qua Deus Pan colitur, *ejus erat*, inquit Stephanus, *magnum ſignum cum pudendo arrecto*, ille autem pingebatur cum cornibus, in radiorum Solis ſimilitudinem, ſuperior pars hominis eſt quòd in Æthere ſit ἡγεμονικὸν mundi, infima hiſpida eſt propter arbores virgultas & feras. Caprinos habet pedes, ut oſtendat terræ ſoliditatem. Vitæ ruſticanæ Præſes univerſæ habebatur. Cujus etymon univerſam naturam deſignat. Dextra tenet Lotum ut denotet ſe in Ægyti coli, quum illum Arcades Græci præcipuè venerarentur, ſiniſtra pedum recurvum propter annum, quia hic totius naturæ Deus perhibebatur. Apud etiam Mendetes, ut ſuprà notavimus, ſummo erat honore.

PELUSIUM.



Caput Hadriani cum eadem inſcriptione; in averſa parte caput Iſidis loti flore ornatum & literæ ΠΗΛΟΤειωτῶν L. IA. anno undecimo.

Pelusium urbs in extrema Ægypti ora quæ Caſtiotidi contermina eſt, à quo & extremum Nili oſtium, quo Ægyptus ab Aſia terminatur, Peluſium
Strab. l. 17. vocatur. Peluſio autem nomen feciſſe πηλὸς hoc eſt lutum, ferunt. Sita eſt

eſt à mari ampliùs 20. ſtadiis, hac difficilis intratu eſt Ægyptus ab orientalibus partibus ob loca cœnoſa, ita ut clavis Regni diceretur: nam Peluſium quoque ipſum eſt cinctum lacubus, nec non paludibus.

Iſis in Peluſiotarum nummis tanquam urbis fundatrix exhibetur, ſi Plutarcho credimus: Quum autem illa Byblo Phœniciæ rediret Oſiridis ſponſi arcam referens, Aſtartes filium in mare excidiſſe memorant, pueróque nomen fuiſſe Palæſtino, & à Dea conditam urbem ei cognominem Peluſium. Iſis ut Oſiris Maritus Loti flore ſemper inſignitur, ſolenne tamquam utriuſque ſit Symbolum, quod ex illo Panem conficere Ægyptios docuerit. De Iſid. & Oſirid.

De Hadriano ſcribit Spartianus. Peragratâ Arabiâ Peluſium venit & Pompeii tumulum magnificentiùs extruxit, & in hac Perigrinatione quæ anno ejus Imperii undecimo extitit, omnes nummi cum his notis L. IA. in omnibus urbibus ab incolis percuſſi videntur. In Hadr.

PINAMUS.



Eadem inſcriptio circa caput Hadriani Imp. in cujus averſa parte ΠΙΝΑμυτῶν L. IA Pinamytarum anno undecimo. Caput Herculis imberbis pelle Leonina amictum.

Pinamus urbs Ægypti apud Stephanum de qua apud Geographos altum ſilentium, ſed huic ſuffragantur Hadriani nummi, unus in quo Oſiris capite radiato ſtans, d. cervum, de cujus cultu apud omnes Ægyptios abundè diximus, ſed hic nobis Herculem etiam in hac urbe veneratum eſſe teſtatur, de quo Plutarchus de Herodoti malignitate, ait, *Herculem autem & Bacchum, quos Ægyptii Deos appellant, Græci, homines qui conſenuerunt: nullibi iſtam adhibuit cautionem, quamquam Herculem quoque Ægyptium in Diis ſecundis ponit.* Hercules hic imberbis ut Tyri depingitur, in multis Græciæ urbibus barba onuſtus exhibetur.

PROSOPIS.



Caput Hadriani Imperatoris cum eadem Epigraphe, in averſa parte Serapis ſtans togatus modio ornatus, dextram ori admovens, læva cornucopiæ cum Epigraphe ΠΡΟCωπιτῶν L. IA. *Proſopitarum anno undecimo.*

Proſopis urbs eſt Ægypti in Inſula juxta Herodotum quam in Delta conſtituit ſeu parte Ægypti inferiore, illam Thucydides continenti à Megabaſo Perſa junctam ſcribit ſiccato alveo, dum Græcos & Ægyptios obſideret, Lib. 2. Lib. 1.

 qui

Lib. 17. qui in eam acie ſuperati, refugerant. Strabo illam nominat Præfecturam in
Lib. 4. c. 5. qua Veneris civitatem fuiſſe memorat. Ptolemæus ipſam Nomon & Metropolim facit.

Serapis colebatur in orbe Proſopi, ut indicat nummus qui eum pro Numine exhibet, ſed ſi mihi conjecturæ locus, Hadrianus eſt ſub Serapidis imagine, qui togatus ad Imperatorum normam exhibetur: ſolebant enim populi Principem à quo beneficium aliquod acceperant, ſub Dei quem venerabantur, imagine repræſentare. De modio Serapidi tributo, jam diximus; ſed
In Apolog. cur ori dextram ut Harpocrates admonet; Tertullianus Septimius ſcribit hunc ipſum Harpocratem eliminatum, & Serapidem & Iſidem, Italia, L. Piſone & Gabinio Coſſ. cornucopiæ Harpocratis itidem ſymbolum eſt, ut dextram ori apponere, tamquam Silentii Deus, quod Ægyptii Harpocrati tribuebant ob primitias leguminum ipſi oblatas.

SAIS.



Eadem Epigraphe circa caput Hadriani Principis, in averſa parte CAITτηνῶν L. IA. *Saittarum anno undecimo.* Pallas ſtans galeata, d. noctuam, ſ. haſtam.

Sais urbs eſt Ægypti intra Deltam juxta unum ex Nili oſtiis, quòd ab ipſa
Lib. 17. *Saitecum* dicitur. Sais inquit Strabo, eſt Metropolis inferioris Ægypti re-
Lib. 4. c. 5. gionis, illius Præfectura appellatur à Ptolemæo Saites. In hac urbe erat Regis Pſammetichi ſepultura, cujus ſævitia ducenta hominum millia ex Ægy-
Muſ. 2. pto in Æthiopiam profugere; ille autem quum Regnum adeptus eſſet, inceſſit ei dignoſcendi Cupido, qui reverà primi hominum extitiſſent, ex eo
Lib. 10. cap. 21. tempore didicit Phrygas primos fuiſſe, ſecundos verò Ægyptios. Ælianus narrat Crocodilos ejus filias rapuiſſe, propter quod ipſum animal ſanctum credidit populus.

Lib. 8. Sais Ægyptiorum lingua, Minerva appellatur apud Pauſaniam nihil mi-
Lib 5. contra Celſ. De Nat. Deor. rùm igitur ſi divinos honores Minervæ decreverint Saitæ, ut refert Origenes, illam è Nilo ortam narrat Cicero. *Secunda orta Nilo, quam Ægyptii Saitæ colunt.* Strabo apud eos illius templi meminit in quo erat Pſammethici,
Lib. 17. D: Iſid. & Oſir. ut ſuprà diximus, erat ſepultura. Minerva apud Plutarchum erat eadem cum Iſide. Quod Sai eſt, inquit, Minervæ, quam eandem cum Iſide arbitrantur, fanum, hanc habebat inſcriptionem. Ego ſum omne quod extitit, eſt, & erit, meúmque peplum nemo adhuc mortalium detexit.

Fulgent. lib. 2. Galea illi datur & haſta quòd Dea bello & militiæ præſit: noctua verò in ejus tutela eſt, quod ut ſapientiæ etiam Dea, illa in tenebris proprium fulgorem poſſideat.

SEBE.

SEBENNUTUS.



Caput Hadriani, Auguſti cum eadem inſcriptione, in cujus averſa parte Bacchus ſtans, d. racemum, ſ. thyrſum cum Thyrſo vite involuto & literis ΣΕΒΕΝνυτῶν L. ΙΑ. *Sebennutarum anno undecimo.*

Sebennutus urbs eſt Ægypti intra Deltam, juxta unum ex Nili oſtiis à quo Sebennyticum inter Bolbitinum ad Occidentem, & Pathmeticum ad Ortum; memoratur à Ptolemæo Præfectura ejus Sebennytes, cujus Sebennutus Me- Lib. 4. c. 5.
tropolis: nam Xois civitas eſt in ejus Nomo, ex Sebennuto urbe oriundus Strab. l. 17.
erat Manethos impurorum in Ægypto ſacrorum ſummus Sacerdos quem Ptolemæi Philadelphi ætate vixit, de quo Euſebius, inquit, *Manethos fla-* Chronic.
men ſacrorum, & ſcriba adytorum Ægypti, genere Sebennyta, Heliopolites, Domino meo ſalutem.

Sebennytæ Bacchum haud dubiè coluerunt quum eum in nummis exhibuerint, at Bacchus idem eſt ac Oſiris apud Plutarchum. *Eſſe autem Oſirin* De Iſid. & Oſir.
eumdem cum Baccho Deum. Quæ autem palum faciunt Sacerdotes dum Apidis cadaver rate advectum ſepeliunt, nihil diſtant à Bacchi Sacrificio, quippè & hinnulorum pelles appendunt & thyrſos gerunt, iiſque utuntur clamoribus & motibus quibus Bacchico furore correpti dum orgia peragunt.

Fertur etiam apud Ægyptios Bacchus filius Iſidis, qui non Oſiris ſed Ar- Ibid.
ſaphes nomen gerit, ſed Hadrianus hic Romano veſtitu inſignis pro Baccho à Sebennytis exhibetur, qui d. racemum & thyrſum cum vite, ut Bacchi attributa gerit.

SETHRON.



ΑΥΤ. Κ. Τ. ΑΙΛ. ΑΔΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC CΕΒ ΕΥ. *Imperator Cæſar Titus Ælius Hadrianus Antoninus Auguſtus Pius.* Caput Antonini Pii Laureatum, in cujus averſa parte ΣΕΘΡΟΕΙΤΗC L. ΙΕ. *Sethroïtes* Nomos *anno decimo quinto.* Antoninus Pius militari habitu ſtans, d. haſtam, ſ. accipitrem tenet.

Sethron urbs eſt Ægypti apud Stephanum ex Alexandro, prope Bubaſtum De Urb.
fluvium, ejus Præfectura eſt Sethroïtes, cujus meminit Plinius, quam eſſe Lib. 5. c. 9.
unam ex decem quæ in Delta numerantur, ſcribit Strabo. Θῖγος Σεθροίτης Epi- Lib. 17.
ſcopus ſubſcripſit act. 1. Concilii Epheſini anno 431.

Se-

Sethroïtes Nomos Antonino Pio nummum dedicat anno ejus Imperii decimo quinto, quem exhibet militari habitu, Deum ſuum Accipitrem læva
De Iſid. & Oſirid. tenentem, jam ex Plutarcho diximus, Ægyptii *Accipitre etiam picto Oſirin ſæpè proponunt.* Ælianus refert illos Accipitrem Apollini quem vocant Oron ſua lingua conſecrare, illúmque venerari háncque convenientiam cum Apolline habere, quòd nullo negotio adverſos Solis radios intueatur; ideo pro Apolline etiam accipitur, Apollo eſt Sol, Oſiris verò pro Sole habetur.

TANIS.



ΑΥΤ. Κ. Τ. ΑΙΛ. ΑΔΡΙΑΝΟϹ, circa caput Hadriani Imp. Laureatum, in cujus averſa parte ΤΑΝΙτῶν L. ΙΑ. *Tanitarum anno undecimo.* Figura militaris ſtans, d. accipitrem, ſ. haſtam, in capite modium.

Tanis urbs eſt Ægypti intra Deltam, à Gigantibus condita & nominata teſte Iſidoro, & Pharaonis quondam Regia, ubi Moyſes tot edidit ſigna, & ex qua Iſraëlitæ per mare rubrum illo duce ſunt erepti, ſita ſupra lacum, ſeu paludes, in quibus Tanis etiam Inſula, ſed majori ex parte diruta nunc jacet, ad ea Taniticum Nili oſtium fuit appellatum, inter Peluſiacum ad
De Iſid. & Oſirid. Ortum & Mendeſium ab Occaſum, per quod Plutarchus Oſiridis arcam in mare è Nilo dimiſiſſe Typhonem narrat, quod eam ob rem nominatu abo-
Lib. 5. c. 9. minabile fuit Ægyptiis. Fuit ejus Præfectura Tanites vocata, apud Plinium
Lib. 4. c. 5. & Ptolemæum, cujus hoc teſte Tanis erat Metropolis.

Impp. num. fol. 197. Jam prodiit hic nummus à Patino noſtro ſub nomine ΚΑΝΙ L. ΙΑ. in lucem datus, ſed quum illum non interpretatus ſit, nunc eum aggredimur. Imperator eſt Hadrianus de Ægypto benè meritus, à Tanitis ſub Serapidis imagine cuſus, modio ſuo ut Deus eſt ornatus, ſed ut Imperator Romanus, militari habitu inſignis; dextra Accipitrem, aliis Ibin ſuſtinet. Accipiter Oſiridi ſeu Serapidi erat ſacer, & ut ſæpè diximus, imò pro ipſo Oſiride apud Plutarchum colebatur. Siniſtra haſtam gerit Imperatoris Romani ſolemne ſymbolum, dum ille paludatus depingitur. De modio Serapidis inſigni abundè diximus.

TENTYRIS.



ΑΥΤ. Κ. Τ. ΑΙΛ. ΑΔΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ ΕΥ. ϹΕΒ. *Imperator Cæſar* Titus Ælius Antoninus Pius Auguſtus. Caput Antonini Pii Laureatum: in averſa parte ΤΕΝΤΥΡιτῶν L. ΙΑ. *Tentyritarum anno undecimo.* Mulier ſtolata ſtans, d. columbam.

Tentyris urbs eſt Ægypti in Inſula Nili inter Dioſpolim ad Boream & Latopolim ad Auſtrum non longè à Copto, cujus Præfectura erat Tentyrites Plinio & Ptolemæo. Illam præditam virtute fugandi Crocodilos narrat Stephanus, ejus autem Oppidani naturali quadam poteſtate illos inſectabantur, ut quos alii pro Diis habebant, inſectabantur, atque necabant: unde immortale inter Ægyptios, eos Ombitæ imitabantur. Plinius ſola voce eos in fugam vertere refert. Strabo Tentyritas ſequi Crocodilos Romam allatos narrat, ut illos Spectatoribus videndos traderent. Lib. 5. c. 9. Lib. 4. c. 5. Lib. 8. c. 25.

Tentyritæ ſuos Antonino Pio nummos cuderunt, & ut ejus benevolentiam ſuam ſibi devincirent in iis Fauſtinam Imperatoris uxorem ſub imagine Veneris quam colebant Matronæ Romanæ forma ſtolatam exhibuerunt, dextra columbam tenentem. Plutarchus ait Ægyptios Nephthyn colere, quam Venerem nominant, & omnia naſci ex Saturno atque Venere exiſtimabant. Græci verò ſentiunt Columbam animal eſſe ſacrum Veneri, imò & Syri; narrant enim Columbas ovo è Cœlo delapſo incubuiſſe ex quo nata eſt Venus. De Iſid. & Oſirid.

HYPSELIS.



ΑΥ. Κ. Τ. ΑΙΛ. ΑΔΡΙΑΝΟϹ. Circa caput Hadriani Auguſti Laureatum, in averſa parte ovis, cum Epigraphe ΥΨΗΛΙτῶν L. ΙΑ. *Hypſelitarum anno undecimo.*

Hypſelis, Ægypti tantùm vicus eſt apud Stephanum, ſed & Ptolemæo De Urbib.
Oppidum eſt à quo Præfectura Hypſelites, imò & ejus Metropolis ipſa Hy- Lib. 4. c. 5.
pſelis.

Hypſelitæ ſuos Hadriano Imperatori nummos dedicant & in iis ovem quam venerantur ipſi exhibent. De illa audi Plutarchum, *apud Ægyptios bovem nimirùm, & ovem, & ichneumonem, liquet utilitatis gratia* atque *emolumenti honorem inveniſſe.* Ideo illi ovem non edebant, unde ibidem ait. *Sanè Soli omnium Ægyptiorum Lycopolitæ ovem edunt, quia Lycos, id eſt Lupus, idem facit, quem pro Deo habent.*

De Iſid. & Oſir.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google